



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Cursus Theologicus**


**Gormaz, Juan Bautista**

**Augustae Vindelicorum, 1707**

Tractatus De Deo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81950](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81950)



# DE DEO OPTIMO MAXIMO

I N

## PRIMAM PARTEM ANGELICI PRÆCEPTORIS.

**P**incipé aggredimur totius Theologiae tractatum, qui & abstrusissimas DEI vias, & abscondita Divinitatis arcana, juxta Fidei regulas rationis naturalis lumine perscrutatur: Fides namque principia præbet: Theologica verò facultas rationis naturalis viribus præmunita conclusiones deducit. Quapropter infallibilitas Priorum ad Fidem spectat: Rectitudo verò Illationis pertinet ad Theologiam. Si enim objectiva veritas, quæ per actum Fidei tanquam principium proponitur, non ita proponeretur per actum supernaturalem, sed per naturalem, semel concessis præmissis, eodem modo intellectus rectè suas formales conclusiones inferret: sic in hoc syllogismo: Omnis homo est redemptus à Christo: sed Petrus est homo; ergo Petrus est redemptus à Christo. Concessis præmissis tam necessitatur Hæreticus ad inferendam conclusionem, quamvis major præmissa illius syllogismi sit in eo naturalis, ac proinde cum objecto, ut est in se, inconnexa, quàm Catholicus, qui habet illam præmissam supernaturalem cum objecto connexam. exinde conclusio Theologica non est intrinsicè, sed solum extrinsicè supernaturalis, quatenus descendit à principiis revelatis, à quibus extrinsicè denominatur: si enim nulla præmissa sit revelata, conclusio versans circa DEUM, ejusque perfectiones, dicitur pertinere ad Theologiam purè naturalem, qualis vocari solet vera Philosophia, juxta Augustinum tom. 5. lib. 8. de Civit. Dei cap. 1. Si autem habeat unam saltem præmissam Fidei, & alteram naturalem evidentem, sive principia certa, quorum unum saltem sit revelatum, & à Theologo creditum, dicitur pertinere ad Theologiam extrinsicè supernaturalem. Exinde Dionysius lib. de Divin. Nom. cap. 2. ait:

Theologum non esse, qui non est Fidelis. Proinde conclusio Theologica est certa objective; formaliter verò non est intrinsicè, & metaphysicè certa sed ex suppositione quòd sint veræ præmissæ assumptæ, sine quibus poterat esse: adeoque concessis præmissis est certa formaliter adhæsivè. Unde objectum materiale Theologiæ tantum se extendit, quantum objectum materiale Fidei: et objectum formale est valde diversum; Nam Fides respicit auctoritatem divinam revelantem: Theologia verò identitatem extremorum cum medio. Exinde apparet, quis, & qualis sit viri Theologi labor in præsentì: Non enim licet ad inferendas conclusiones pro libito unius cujusque principia præmittere, sed ex regulis Fidei juxta Doctrinam scripturæ, Pontificum, Conciliorum, & Dogmata SS. Patrum, & ex naturalibus rationibus conquirenda sunt. Unde Habitus Theologicus neque est per se infusus, neque supernaturalis, sed naturalis, & acquisitus, juxta doctrinam de ente supernaturali traditam à n. 382. de virtute Pœnitentiæ. Ex quibus omnibus Augustinus tom. 3. lib. 14. de Trin. cap. 1. ita definit Theologiam: *Scientia, quæ Fides saluberrima, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur: statimque subjungit: Quæ scientia non polleat fideles plurimi, quamvis polleant ipsa fide plurimum: aliud est enim scire tantummodo, quid homo credere debeat propter adipiscendam vitam beatam, quæ non nisi eterna est: aliud autem scire, quemadmodum hoc ipsum & piis optuletur, & contra impios defendatur, quam proprio appellare vocabulo scientiam videtur Apostolus.* Sic prælibata manent omnia principia de proemialibus Theologiæ, quæ latius olim tradideram: neque licet in præsentì ulterius immorari.



## DISPUTATIO PRIMA.

## De Existentia DEI.

2. **Q**ualis sit significatio hujus nominis DEUS, traditur accuratè ab Augustino tom. 3. lib. 1. de Doctrina Christiana cap. 6. sonum hujus vocis Deus exponente hoc modo: *Omnes latine lingue socios, cum aures eorum sonus iste tetigerit, monet ad cogitandam excellentissimam quamdam immortalèque naturam.* Hæc divinæ naturæ prædicata alia sunt absoluta, & alia relativa. Absoluta dicuntur illa, quæ sunt toti Trinitati communia, v. g. Omnipotentia, Immensitas, Æternitas, quæ communia sunt tribus divinis Personis. Relativa dicuntur illa, quæ non sunt communia toti Trinitati, ut Paternitas, quæ solum identificatur cum Patre, Filiatio cum Filio, Spiratio passiva cum Spiritu sancto, & Spiratio activa cum Patre & Filio. Inter prædicata absoluta altera sunt necessaria, ut Omnipotentia, Intellectus, Voluntas, Scientia simplicis intelligentiæ: alia contingencia, ut scientia media: altera verò libera (juxta plurimum sententiam) ut volitiones, & decreta, quibus Deus liberè vult, aut non vult, decernit, aut impedit. Rursus omnia prædicata, quæ actu reperiuntur in Deo, sunt realiter identificata, præter ea, in quibus intercedit oppositio relativa; sive producentis, & producti, ut habet omnium Theologorum axioma: In divinis omnia sunt communia, nisi ubi obest oppositio relativa: Hoc enim exigit summa & perfectissima Dei simplicitas. Quomodo hæc dissona non sint naturali rationi? constabit n. sequenti.

## SECTIO I.

## Quanta sit certitudo existentie divinæ.

3. **D**EUS utpote omnino simplex realem quamcumque in se compositionem excludit, ut fides docet, & definiit Lateranense Maximum sub Innoc. III. cap. 2. explicans, quomodo Pater dederit Filio suam substantiam: *Dici non potest, quod partem suo substantie illi dederit, & partem retinuerit ipse sibi: cum substantia Patris indivisibilis sit, utpote simplex omnino.* Quapropter eadem indivisibilis essentia divina identificatur cum tribus personalitatibus realiter distinctis, Paternitatis, Filiationis, & Spirationis passivæ, ut fides docet: 1. Joan. 1. *Tres sunt, qui testimonium dant in celo Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus: & hi tres unum sunt.* Et idem Lateranense maximum cap. 2. Quælibet trium Personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, sive natura divina. Hoc autem & alia arcana divinitatis mystera non pugnare cum ratione naturali, ipsa naturalis ratio demonstrat: Qua o-

lim usus fuit Augustinus ep. 3. ad Volusianum, & lib. 1. de Doctr. Christ. cap. 1. tum etiam ex dicto lib. 1. de Trinit. c. 11. eamque ad hanc brevem formam reduco.

4. Lumine naturæ notum est Deum utpote infinitum esse supra id, quod nos concipere possumus: si enim non esset supra id, quod nos concipere possumus, limitaretur ad imperfectum, & limitatum modum concipiendi; adeoque non esset infinitus, sed finitus, contra id, quod ipsa ratio naturalis demonstrat: Ex eo autem, quod Deus sit supra id, quod nos concipere possumus, manifestè fit ex ipsa ratione naturali deduci, esse in Deo aliqua prædicata, quæ naturalis ratio nequit percipere, nec notitiam habere, nisi à Deo dicantur; ergo, quando Deus dicit aliqua, quæ ratio naturalis percipere nequit, contra naturæ lumen esset ea respicere, solumque potest inferri talia prædicata esse ex genere illorum, quæ captum nostrum exsuperant, & Deo ratione suæ infinitatis conveniunt, ut naturalis ipsa ratio demonstrat, Deusque ipse ad obsequium nostræ fidei, & illuminationem intellectus dignatus est revelare, ut exinde possumus alias in Deo perfectiones inferre, ut decursu hujus Tractatus facile apparebit. his positis.

5. **A**ssero 1. contra Atheos: Existentia Dei est certa de fide. Probatum ex Scripturis, in quibus passim introducit Deus jubens, loquens, & creans: sic Gen. 1. *Creavit Deus calum, & terram.* Exod. 3. *Ego sum qui sum.* Levit. 2. *Ego sum Dominus Deus vester.* Unde hæc veritas non solum implicite, sed fide explicita ab omnibus est credenda juxta illud Pauli ad Hebr. 11. *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se Remunerator sit;* ergo &c. Confirm. ex Innoc. XI. damnante 22. Propositionem, quæ sic habebat: *Non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate mediæ, non autem explicita Remuneratoris.*

6. **A**ssero 2. Fide certum est Deum ex creaturis saltem moraliter demonstrari posse. Ita ferè omnes Theologi, & expressius Vasquez, Franciscus de Lugo, & Quirós distinguentes inter demonstrationem metaphysicam, quæ infallibilem habet connexionem cum objecto, & moralem, quæ licet tantam non habeat connexionem, prohibet tamen quodcumque prudens dubium de opposito. Probatum conclusio apertis scripturæ testimonijs Sap. enim 13. dicitur: *Amagnitudine enim speciei, & creatura cognoscibiliter poterit Creator omnium videri.*

7. **P**ariter ad Rom. 1. *Quod notum est Dei, manifestum est in illis; Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus & Divinitas ita, ut sint inexcus-*

*inexcusabiles. Super quae Hieronymus ait: Tam evidenter intellecta sunt, ut confecta dicantur. Ps. 18. Celi enarrant gloriam Dei. Quod sic interpretatur Chrysostramus: Tacet calum, sed ipsius aspectus vocem tuba clariorem emittit. Modo sic: Quando nullum est inconveniens in oppositum, verba scripturae accipienda sunt, ut sonant in communi hominum loquutione ex Regula Augustini. lib. 3. de Doctr. Christ. c. 10. at qui verba ista, esse notum, manifestum, videri, conspici in sensu proprio usurpata denotant notitiam plusquam probabilem, & saltem moraliter evidentem; ergo &c.*

8. Assero 3. existentia Dei demonstrabilis est metaphysice ratione naturali. Ita contra Petrum ab Aliaco, Bassolem, Majorem, & paucos alios, reliqui omnes Theologi. Omitto demonstrationes pure physicas, quas ex philosophia notas suppono, duasque tantummodo innuam theologicas: alteram quidem ex D. Anselmo, & alteram ex D. Thoma. Prob. 1. ex Anselmo in Profolog. cap. 4. ubi explicans illud Ps. 13. Dixit insipiens in corde suo: non est Deus, ait insipientem illud dixisse, nec cogitasse, nec cogitare potuisse rem ipsam nomine Dei significatam, pro quo asserit demonstrationem, quam ad hanc formam reduco.

9. Nomine Dei, ut Philosophi, Theologi, ac SS. Patres habent cum Augustino cit. n. 2. intelligitur cumulus excellentissimus, sive cumulus omnis boni: adeoque & existentia necessaria, cum haec sit aliquod bonum: atqui evidens est existere ens, quod sit cumulus omnis boni; ergo &c. Prob. min. cumulus omnis boni ex nullo capite potest quoad nos esse chimæra, cum nulla sit assignabilis ratio, cur repugnet: atqui ex eo, quod ex nullo capite possit esse chimæra quoad nos, est quoad nos ens re ipsa possibile, & cum intrinsicè includat existentiam necessariam, est re ipsa existens; ergo &c. Minor, & Conf. tenent. Major prob. Si ex aliquo capite esset chimæra quoad nos, deberet inferri repugnantia vel ab intrinseco ratione sui, vel ab extrinseco ratione creaturarum: sed ex nullo capite apparere potest talis repugnantia, ut patebit discutendo per singula; ergo &c.

10. Confirmatur 1. Evidens est non repugnare ens illud, cujus notitia indita est ab auctore naturæ rationalibus creaturis: Auctor enim naturæ (in quocumque consistat) non quidem ad impossibilia, sed ad possibilia perducit: atqui notitia saltem probabilis, & dubitativa de Deo sive cumulo omnium Perfectionum, indita est ab auctore naturæ rationalibus creaturis ergo &c. Minor melius probatur ab experientia uniuscujusque quam à ratione, vel autoritate: adest nihilominus gravissima Patrum Auctoritas: Augustinus enim tom. 9. Tract. 17. in Joannem illa Christi verba Joann. 17. Pater manifestavi nomen tuum hominibus, sic exponit: Haec est vis veræ divinitatis, ut creatura rationali jam ratione utenti, non omnino ac penitus possit abscondi. exceptis enim paucis, in quibus natura

R. P. Gormaz Theolog. Tom. 1.

nimum depravata est, universum genus humanum Deum mundi hujus faceret auctorem. Vido Anselmum n. 13.

Quibus ex verbis clarè sit notitia de Deo inditam solos perversos homines à se abjicere, ut in volupratum caeno, liberiùs se possint volutare, adeoque plenior de Deo notitia non esse illis invincibilem, sed vincibilem, & culpabilem juxta illud Ps. 13. Dixit insipiens in corde suo: non est Deus. Sic etiam S. Joannes Damascenus. 1. de Fide cap. 1. Nemo est mortalium, cui non hoc à Deo naturaliter insitum sit, ut Deum esse perfectum habeat; quin ipsa res quoque conditæ, earumque conservatio, atque gubernatio divina nature Majestatem predicant. Tum etiam lib. 7. cap. 1. notitia Dei omnibus à natura est insita: neque id aliquis ratione utens ignorare potest. Pariter Chrysostramus hom. 3. in cap. 1. ad Rom. Quid dicent Gentiles Deum ignoravimus, ita ne verò? Non exaudistis celum vocem ab aspectu emittens? Non exaudistis compositam rerum harmoniam tuba illustrius clamantem? omnia ordinem servantia, eademque tum à pulchritudine, tum à magnitudine ipsum opificem veluti praeconio annunciantium? ergo &c.

Confirm. 2. Ostendendo rationem Philosophicam pro his Patrum testimonijs, de notitia Dei indita suis creaturis: Deus etenim cum sit finis, & quasi centrum hominis, recta ordinatio postulat, ut quemadmodum res aliæ naturalem sibi ab Authore naturæ inditam habent inclinationem, & propensionem ad sua centra, ita homo ab eodem inditam sibi etiam propensionem habeat ad centrum suum; ergo licet illæ materiali quadam vi, & imperu ad suos quæque fines feruntur, ita homo rationalis cum sit, rationali hujuscemodi motu, instinctu scilicet ab authore naturæ indito, ad Deum finem suum ferri debet.

Maxima quippe esset deordinatio, si hujusmodi instinctus ad finem suum cognoscendum, & obtinendum homo non reciperet. Quos proinde in pura natura, si in ea crearetur, naturaliter postularer; adeoque & Dei cognitionem, qua insita ad ulteriorem, & ulteriorem conditoris sui notitiam posset pervenire, nisi ex culpa sua impediretur. Ex quibus omnibus hæc Anselmi in suo Profologio demonstratio firmius roboratur in hanc formam. Inclinatione indita naturis non est ad rem chimericam, sed ad possibilem: atqui creaturis rationalibus indita est inclinatio ad Deum, sive ad cumulum omnium perfectionum, ut constat ex dictis, & unusquisque in se expetit: aliter non essent inexcusabiles contra Apostolum citatum n. 7. Quapropter ad hanc rationem recurrens Anselmus lib. contra Insipientem ait: Fide & conscientia tua pro firmissimo utor argumento; ergo Deus, sive cumulus omnium perfectionum non est impossibilis, sed possibilis: adeoque cum ille cumulus possibilis, sive Deus includat existentiam necessariam, erit necessarè existens.

2

Proba-

14. Probatur 2. ex D. Thoma 1. p. q. 2. art. 3. demonstrationem efficiente ex illo principio: omne, quod fit, ab alio fit: quam sic breviter efformo. Evidens est creaturam ex titulo creaturæ esse contingentem, & ab alio productam: idem quippe est esse creaturam, & ab alio fieri, certoque unusquisque agnoscit se non esse à se, adeoque esse contingenter ab alio: ergo in serie causarum necessarium est aliqua, quæ à nullo alio producat, & à qua cæteræ pendeant, quam vocamus Deum. Confirmatur: si in serie causarum nulla esset causa necessaria, vel omnia, quæ existunt, essent contingentia, possibilia transire possent ad impossibilia: sed hoc evidenter repugnat; ergo &c. Probatur maj. Illud est possibile, quod aliquando produci potest, illudque impossibile, quod nullo modo potest produci, atqui illud, quod aliquando nunc produci potest, tunc nullo modo possit produci; ergo &c. probatur min. si cuncta essent contingentia, quin deret aliquod necessarium, cuncta deficere potuerunt, quin aliquod existeret: sed si cuncta deficerent, nihil esset, à quo res ulla possit produci; ergo &c.
15. Resp. 1. in ea hypothese potuisse duas causas contingenter sibi esse quoad primū esse ad invicem causas. Contra tamen 1. causa contingens ad producendum, vel non producendum, solum potest determinari ad producendum à dispositionibus tollentibus indifferentiam, vel approximantibus contingentiam: atqui illæ dispositiones à nulla causa possent poni; ergo &c. Contra 2. quia omnino repugnat duas causas, quoad primum esse sibi esse invicem causas, saltem si non sit aliqua potens eas approximare; licet enim aliqui Philosophi eam mutua causalitatem admittant, id contendunt supposita approximatione simultanei concursus causæ primæ, quæ tunc deficeret; ergo &c. Contra 3. Licet creaturæ contingens sit, quod existat, vel non existat, at contingentia essentialis illi est, & non contingens: atqui contingentia essentialis ad existendum, vel non existendum, nequit à se determinari, ut ex ipsis terminis notum est; ergo &c. Contra 4. contingentia essentialis, ut res existat, nequit esse determinatio, ut se ipsam producat; ergo contingentia essentialis, ut producat alteram, nequit esse determinatio, ut producat illam.
16. Respondebis 2. Singulas creaturas esse contingentes, secus autem earum collectionem, sicuti singulæ sunt finitæ, collectio vero non est finita sed infinita. Contra tamen: licet argumentatio non sit evidens à distributivo ad collectivum, imò sit falsa, quando id, quod prædicatur, non convenit singulis individuis ratione formæ sibi peculiaris, intrinsecæ, aut essentialis: at non est falsa, sed evidens, quando id, quod prædicatur, convenit singulis individuis ratione formæ sibi essentialis: sic in collectione hominum, quia infinitudo non convenit cuicumque homini ratione formæ si-
- bi peculiaris, intrinsecæ, aut essentialis, hæc argumentatio est falsa: Homo distributive sumptus non est infinitus; ergo collectio non est infinita: Tum & ista: Implicat, quod collectio hominum sit infinita, & quod singuli homines non sint infiniti.
17. At verò quia hominem esse rationalem convenit singulis individuis ratione formæ sibi essentialis, hæc argumentatio est evidens: Implicat, quod singula individua speciei humanæ sint rationalia, & quod collectio non sit rationalis. Quod idem propter assignatam rationem valet in istis: Implicat, quod singula sydera luceant, & collectio omnium non luceat, quod singuli ignes calefaciant, & collectio omnium non calefaciat, quod singuli homines moveantur, & collectio omnium non moveatur: atqui creaturam esse contingentem convenit illi ratione formæ sibi essentialis, nimirum ratione creaturæ; ergo evidenter repugnat, quod singulæ creaturæ sint contingentes, & collectio omnium contingens non sit. Videatur Martinon disp. 2. sect. 4. hæc latè prosequens, & Elparza brevius ea perstringens q. 2. ab art. 20.
18. Affero 4. cum D. Thoma 1. p. q. 2. art. 1. Ex Doctore tom. 2. *Metaph. disp. 29. sect. 3.* Vasquez, Valentia, Molina, aliisque citatis à Carleton *disp. 3. sect. 1.* Ista propositio *Deus existit*, est per se nota quoad se: secus autem quoad nos. Probatur 1. Propositio per se nota quo ad nos five ex parte abstractivè cognoscens est illa, quæ ex terminorum declaratione statim nobis innotescit, & absque ullo discursu intellectum rapit ad assensum, quales sunt istæ: Totum est majus sua parte: Quodlibet est vel non est. Propositio verò per se nota quoad se, five ex parte rei noscibilis, est illa, cujus prædicatum includitur in ratione formali subjecti: atqui existentia Dei, esto fit de essentia Dei, ut constabit à n. 90. adeoque & per se nota quoad se, five ex parte rei noscibilis, non ita se habet, ut explicatis terminis statim nobis innotescat, & absque ullo discursu intellectu rapiat ad assensum; ergo &c. Probatur minor. Si explicentur termini, dicaturque nomine Dei, five cumuli omnis perfectionis intelligi substantiam à se, infinitam, æternam, immensam &c. tantum abest his auditis rapi aliquem ad claram, & evidentem hujusmodi substantiæ cognitionem, ut mora potius five judicii suspensio injiciatur: adeoque sit opus discursu ad certò, & infallibiliter assentiendum; ergo &c.
19. Probatur 2. Cognitio de Deo ab ipso nobis indita juxta Augustinum, & alios Sanctos Patres citatos à n. 10. non est satis ad certò, & infallibiliter assentiendum, licet sit satis, ne excusetur ad inquirendam per discursum veritatem: adeoque ut existentia Dei dicatur per se nota quoad nos alienativè, & imperfectè, modo, quo Vasquez *disp. 19. c. 4.* explicat Anselmum lib. pro Insipiente dicente: Nobis

Nobis per se notum esse Deum existere: sed eo quod egeamus discursu ad certò, & infallibiliter assentiendum; propositio ista DEUS existit, non est absolutè per se nota quoad nos; ergo &c. Confirmatur 1. Deum non agnoscimus certò, & infallibiliter in via per species proprias, sed per alienas emendicatas à creaturis ex Apostolo citato n. 7. Sed hoc est DEUM ita cognoscere per discursum, & non ex pura terminorum explicatione; ergo &c. Confirmatur 2. ab experientia, qua videmus vix ullam assignatam esse huc usq; demonstrationem metaphysicà de existentia Dei, quæ pluribus, & magnis Doctoribus non displiceat, adeoque egeat ulterioribus probationibus, ut ab ipsis tamquam demonstratio admittatur: sed hoc ita non esset, si hæc propositio Deus existit, esset per se nota quo ad nos; ergo &c. Confirmo 3. Quia ad cogitandum DEUM, sive ens, quo melius esse non possit, egeamus medio creaturarum, cogitando perfectiorem, & perfectiorem, ut exinde ad DEUM perveniamus, ut ostendit Anselmus lib. contra Insipientem aliquanto post medium; ergo &c.

20. Affero 5. Contra Politheistas. Ratione naturali demonstratur non solum DEUM esse, sed & unicum esse. Probat 1. ex Magno Athanasio in oratione adversus Idola: Si fingantur duo Dij, vel illorum voluntates sunt invicem prorsus independentes, ita ut possit alter velle, nolente altero ipsum objectum: vel sunt ita mutuo connexi, ut quidquid alter velit, alterum pariter velle necesse sit? si primum; ergo posset unus velle creare mundum, nolente altero. Quid tunc? Si ponitur mundus; ergo qui volebat illum producere, non est omnipotens; adeoque neque Deus: si non ponitur; ergo non est omnipotens, adeoque neque Deus ille, qui volebat mundum producere.

21. Si secundum; vel ponitur voluntas unius DEI subordinata voluntati alterius: atque ita subordinatus non erit DEUS: vel supponitur voluntas unius absque ulla alterius ad alterum subordinatione; & tunc poterit unus liberè velle, quod alter non vult: adeoque qui ex duobus minus potens esset, non esset DEUS. Exinde præcaverit Politheistarum refugium in tribus Personis divinis; Nam tres divinæ Personæ non sunt tres, sed unicus DEUS; habentque eandem indivisibilem essentiam divinam, omnipotentiam, voluntatem &c. adeoque nequaquam repugnant cum demonstratione naturali de Unitate Dei, licet earundem præfixum numerum solum possimus ex fide definire, cum mysterium hoc sit supra rationem naturalem, ut constat à n. 3.

22. Probat 2. Quisquis apud se Ideam DEI formare contendit rationis naturalis lumine ductus, rem concipere conatur omnium perfectissimam: sic Augustinus lib. 1. de Doctrina

Christi. c. 7. DEUS est, quo majus, aut melius cogitari nihil potest. Et Ambrosius Lib. 1. de Fide cap. 7. Quidquid religiosus sentire potest, quidquid præstantius ad decorem, quidquid sublimius ad potestatem, hoc DEO intelligas convenire: atqui si darentur duo Dij, nullus haberet summam perfectionem; ergo &c. Probat 3. virtus superflua non est summa perfectio, ut ex ipsis terminis notum est: atqui virtus unius ex illis Dijs esset superflua, cum Omnipotentia, Voluntas, Sapientia, & Providentia unius absque potentia, voluntate, & sapientia alterius, & absque alterius juvamine sufficiens esset ad omnia; ergo &c.

Confirmatur ex Philosophis, qui lumine naturæ ex hac ipsa demonstratione Unitatem Dei intulerunt. Sic Plato in Timæo dixit: Causam omnium, quæ in mundo sunt, ad supremum referendam esse opificem: sic etiam Aristoteles universi administrationem ab uno aliquo summo moderatore procedere debere affirmat. Cujus præclara extat de mundo ad Alex. cap. 6. hæc de re sententia. Quod in navi Gubernator est, in curru auriga, in civitate lex, in exercitu Imperator, hoc in mundo DEUS. Quam reliquorum pene omnium Philosophorum mentem fuisse ex dictis eorum, & ex scriptis est manifestum.

Deinde S. Cyprianus in Tract. de Idolorum vanitate sic præclare ratiocinatur: ad divinum Imperium etiam de terris mutuemur exemplum: Quando unquam regni societas, aut cum fide capit, aut sine cruore desijt? Romanos geminos unum non capit Imperium: quos unum uterè capit hospitium: unus enim Dominus est Deus, neque enim illa sublimitas potest habere consortem, cum solum omnem teneat potestatem. Quapropter sacre scripturæ sic nobis proponunt hanc fidei veritatem. Deut. 5. Audi Israël: Dominus Deus noster, Dominus unus est, Malach. 2. Numquid non Pater unus omnium nostrum? Numquid non Deus unus creavit nos? ad Ephes. 4. Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma, unus DEUS, & Pater omnium, qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis. ergo &c.

Affero 6. Homo rationis compos nequit invincibilem DEI ignorantiam habere. Ita S. Anselmus lib. pro Insipiente S. Thomas 1. 2. q. 89. art. 6. ad 3. docens puerum primo instanti, quo ad usum rationis pervenit, teneri se ad Deum convertere, neque id posse sine crimine omittere. Abulensis, & Nicolaus de Lira in cap. 1. Exodi, Valentia in 1. 2. disp. 6. q. 6. p. 1. Vasquez, Granada, Koninch, Lugo, alique contra Arriaga disp. 2. sect. 3. aliosque Recentiores.

Probat conclusio 1. Cognitio aliqualis de Deo indita est ab ipso Deo omnibus hominibus ratione utentibus, ut constat ex ore Sanctorum Patrum à n. 10. & ex ipsa ratione physica

fica à n. 12. in his enim rebus, in quibus de universo mundo, gentibusque nobis ignotis sermo est, nobis non licet pro cerebro nostro quidquam negare, vel definire: sed ex scripturæ Sanctorumque Patrum doctrina id debemus inferre: Atqui ea notitia de Deo & à Deo indita satis est, ut homo rationis compos non habeat invincibilem Dei ignorantiam; ergo &c. Probatur min. vel homo cum ea notitia facit, quantum est ex se, vel non? Si primum; cum Deus facienti, quod est in se, non denegat gratiam, habebit tempore sufficientem instructionem, vel naturæ lumine à se per demonstrationem acquisitam, vel ab alijs participatam, qua sciat se teneri colere Deum. Si secundum, ergo est illi culpabile, adeoque ignorantia subsequuta non erit ipsi invincibilis.

27. Probatur 2. Omnes homines etiam pagani, & gentiles accipiunt aliquem influxum ex meritibus Christi, ut constat ex Alexandro VIII. damnante hanc propositionem primam. *Pagani Judæi, Heretici, aliique hujus generis, nullum omnino accipiunt à JESU Christo influxum: adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam, & inermem sine omni gratia sufficiente.* Atqui cum invincibili ignorantia veri Dei talis influxus esset nullus, ergo &c. Probatur min. sine notitia veri Dei nullatenus potest creatura Deum obtinere, ut constat ex Paulo ad Hebr. 11. dicente: *sine fide autem impossibile est placere Deo: credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est.* ergo. &c. Confirm. 1. licet de notitijs naturæ inditis, vel ipsi debitis possit ad breve tempus dari aliqua inadvertentia, ut de ista: Bonum est faciendum: malum verò fugiendum: attamen per longum tempus dari non potest, ut ipsa evidens experientia demonstrat; ergo idem dicendum est de cognitione hominis erga Deum. Confirm. 2. ex antiquis Gentilibus id attestantibus. Sic Cicero lib. 1. de Legibus: *nulla gens est neque tam immanueta, neque tam ferrea, quæ licet nesciat, qualem Deum habere deceat, habendum tamen ignoret; ergo &c.* ex dictis

28. Fit. 1. Præsupposita ex fide cognitione certa de Deo, clarè deduci quamque divinam perfectionem in sua linea esse infinitam, nimirum intellectum, voluntatem, potentiam, & sic de alijs. Ratio est, quia supposita cognitione de eo, quod Deus existit, negari nequit dari id, quod venit nomine Dei: sed nomine Dei venit cumulus necessarius, & absolutus omnium perfectionum, qualis non esset si unaqueque illarum perfectio non esset in sua linea infinita: si enim semel supponitur dari Deum, evidens quoque est cumulum omnium perfectionum non esse chimæram, sed existentem, ut constat à n. 8. & habet Augustinus lib. 1. de Doctr. Christ. cap. 7. dicens: *omnes pro excellentia Dei certatim dimicant, nec quisquam inveniri potest, qui hoc Deum credat, quo melius aliquid est.* Itaque hoc omnes Deum consentiunt esse, quod cæteris rebus omnibus anteponunt; ergo &c.

29. Fit 2. Actum divinæ Fidei non excludere

scientiæ aliunde habitæ de eodem objecto fidei. Ratio est, quia, sicut circa idem objectum potest versari intellectus per apprehensionem, judicium, & discursum, ita per actum fidei, & actum scientiæ abstractivæ: sicut enim motivum judicij, & motivum discursus non opponuntur, ita neque opponuntur motivum scientiæ abstractivæ, quod est evidens connexio extremorum cum medio, & motivum fidei, quod est auctoritas divina revelans: potest enim intellectus ex diversis motivis inter se compossibilibus in eodem instanti eos duos actus elicere, ut plures docent in Tract. de fide, vel saltem elicere potest unum actum in uno instanti, & alium in altero, ut alij docent, à quo in præsentī præscindimus, ne in alienam messem falcem mittamus. Dabo nihilominus à n. 39. quæ satis sint ad rem intelligendam: si enim successivè potest intellectus elicere assensum, & dissensum de eadem re, quid impedit, ne possit elicere successivè circa eandem rem & actum scientiæ, & actum fidei? Etenim divina Fides solum excluditur à visione beata, vel intuitione objecti, cujus est supplementum: non autem à scientia naturali, cujus supplementum non est, ut constabit à n. 41.

Fit. 3. existentiam Dei non posse rigorosè à priori demonstrari: bene verò à posteriori. Ratio est, quia demonstratio rigorosa à priori est demonstratio per suam causam: à posteriori verò est demonstratio rei per suum effectum: atqui existentia Dei nequit demonstrari per suam causam, cum nullam habeat: bene verò per suos effectus, ut constat à n. 8. ergo &c. Ubi nota creaturam esse contingentem, prout contingens est, quod à Deo producatur, vel nō producatur: si verò producatur, non est contingens, sed necessarium, ut à Deo dependeat: unde licet de contingentibus secundum puram rationem contingentia non possit dari scientia; de illis verò secundum suppositionem, in qua arguunt necessitatē, potest haberi scientia. Quærent insuper hic alij, an improprie, & logicè, possit à priori, vel quasi à priori negativè, sive à concomitante demonstrari existentia Dei?

Affirmant plures cum Ant. Perez disp. 1. de Deo c. 4. & 5. & Carpesio in opusc. cui titulus est Meditationes, & in principijs Philosophiæ. Ratio eorum est quia ad hujusmodi demonstrationem sufficit, quod definitum demonstratur per definitionem, sicuti in hoc discursu: omnia homo est animal rationale: sed Petrus est homo; ergo Petrus est animal rationale: in hoc enim sensu definitio dicitur causa definiti, & definitum demonstratur quasi à priori per definitionem: non minus quam secunda passio demonstratur per primam vel è contra v. g. Ideo Petrus est risibilis, quia est admirativus: ideo est admirativus, quia est risibilis: sic etiam per primum productivum demonstratur terminus productus, per constitutivum physicum, metaphysicum, vel logicum res constituta: atqui etiam Deus demonstratur per ens à se, per omnipotentiam, vel per cumulum omnium perfectionum, quæ sunt de physico, metaphysico, aut logico Dei constitutivo; ergo &c.

Respon.

32. Respondeo tamen cum communi Philosophorum, & Theologorum negativè: Ratio est, quia tunc valet ista demonstratio à priori, vel quasi à priori, quando ad assentiendum definitioni, vel constitutivo, non opus est, ut ejus existentia probetur à posteriori, praesertim si existentia sit ipsius essentiae constitutiva: atqui ut assentiamur definitioni, aut constitutivo Dei, opus est, ut ejus existentia prius à posteriori probetur, ut constat à n. 8. quin imò & existentia est de constitutivo ipsius essentiae, cum essentia per se sit necessariò existens; ergo &c. Confirmatur. Ut probemus existere cumulum omnium perfectionum, debemus probare perfectiones infinitas esse actu possibiles, & inter se identicè composibiles: non enim est satis, quòd sint perfectiones, ut sint identicè composibiles; rationalis quippe, & irrationalis sunt Perfectiones, nec ideo sunt identicè composibiles. Hoc autè probare non possumus, nisi à posteriori: contrarij enim dicere possent se non agnoscere impossibilitatem, aut repugnantiam, verum neque agnoscere carentiam repugnantiae, quae carentia repugnantiae solum potest probari à posteriori ex creaturis vel ab evidenti uniuscujusque experientia de notitia indita creatoris, ut supra ostendimus n. 8. vide à n. 50. de his uti purè Philosophicis satis est.

33. Fit. 4. Istam propositionem *DEUS existit* non negari per se notam quo ad nos praecise, quia probamus illam per discursum: etenim omnibus notae sunt istae propositiones, totum est majus sua parte, Linea major est puncto, non potest eadem res simul esse, & non esse, quae tamen per alia principia, & rationes demonstrari solent. Dum etiam Angelis plura sunt per se nota, quae ipsi & à priori, & à posteriori possunt nobis demonstrare. Quapropter propositio per se nota quo ad nos non stat in eo, quòd excludat discursum, sed in eo, quòd non indigeat discursu, ut explicatis terminis subitò illi assentiamur, atqui ex n. sup. ista propositio *Deus existit* indiget discursu, ut illi assentiamur; ergo &c.

34. Fit. 5. Unitatem Dei stare in Deitate, sive natura divina, quae unica, indivisibilis, & à se est, unde quicquid cum natura divina identificatur, est ens à se. Ratio est, quia ens à se apud Catholicos significat, quod non est ab alio neutraliter & substantivè sumpto, sive ab alia essentia, ut latè Eximius Doctor lib. 2. de Trinit. toto cap. 2. atqui omne id, quod identificatur cum natura divina, non est ab alio neutraliter, & substantivè sumpto, sive ab alia essentia; ergo est à se. Quapropter in divinis & Filius à Patre genitus, & Spiritus Sanctus à Patre & Filio procedens, cum identificentur cum eadem indivisibili Patris essentia, non sunt ens ab alio, sed à se, hoc est ab eo, qui est ejusdem essentiae cum Genito, & producto. Quapropter in his loquutionibus, quae ad fidem spectant, valde memorem regularum fidei oportet esse virum Theologum.

Ratio est, quia in divinis nomina, pronomina, vel relativa absolute, vel neutraliter sumpta, v. g. *alterum, aliud*, cum per se significant, & substantivè sumantur, significant rei essentiam: Masculinè verò accepta sumuntur adjectivè, supplendo substantivum aliquod, v. g. unus homo. Ideoque non referuntur ad substantiam communem, sed ad differentiam particularem, & individuum. Unde haec propositio est de Fide: Filius est aliud à Patre: & haec est haeretica: Filius est aliud à Patre. Sic Lateran. max. cap. 2. Licet igitur alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus, non tamen aliud: sed id, quod est Pater, est & Filius, & Spiritus Sanctus, id est omnino, ut secundum orthodoxam, & catholicam fidem substantiales esse dicantur. Haec Concilium. excipi solet quid, quando sumitur pro quidditate in divinis, quae est quasi differentia specifica essentiae: si tamen eadem nomina, pronomina, vel relativa, masculina vel neutra, conjungantur cum nomine substantivo, non ab hac regula, sed à nomine, cum quo conjunguntur, sumunt veritatem, vel falsitatem: sic haec propositio est falsa: Filius est alius Deus à Patre: & haec est vera: Filius est aliud suppositum à Patre.

Fit. 6. Cognitionem de Deo universaliter à Deo inditam rationalibus creaturis non esse ita claram, ut statim possit homo firmiter assentiri: adeoque prout ignorantia opponitur firmo rei assensui, ut communiter sumitur, non excludere ignorantiam, licet illam excludat, si ignorantia improprie sumatur pro exclusione cujuscunque cognitionis objecti, quod notare oportet ad excludendam quaestionem purè de voce. Ratio est, quia ea cognitio asseritur à SS. Patribus universaliter indita, quae satis sit, ut homines assequi possint veritatem, si velint, si autem nolint, reddantur inexcusabiles juxta Apostolum citatum n. 7. Atqui ad praestandum hoc munus non est ingerenda ea cognitio clara, aliter, etsi homines nolent, firmiter assentirentur; ergo &c. Exinde constat magnum discrimen inter inclinationem innatam creaturae irrationalis, & elicitam rationalis: Ista enim cum sit libera, & capax acquirendi majorem, & majorem in suum finem inclinationem, non exigit totam eam inclinationem pro primo instanti existentiae usûs rationis; irrationalis verò cum non sit libera, neque capax eam majorem, & majorem inclinationem acquirendi, totam suam inclinationem exigit in primo instanti suae existentiae.

## SECTIO II.

### *Solvuntur Opposita.*

Objicitur 1. contra primam assertionem ex doctrina Thomistarum. Existentia Dei evidenter demonstratur ratione naturali à sapientibus: sed fides, & evidentia naturalis de eodem

- eodem objecto, & in eodem intellectu repugnant; ergo saltem sapientes non possunt habere fidem de existentia Dei; adeoque non erit ipsis certa de fide. Confirm. 1. ex D. Thoma 1. p. q. 2. art. 2. dicente existentiam Dei, & alia hujusmodi non esse articulos fidei, sed præambula ad articulos; ergo &c. Confirm. 2. ex Cajetano. Licet possit dari fides existentiae Dei latè dicta pro actu naturali scientifico existentiae Dei sufficiente ad salutem, nequit dari simul cum illo actu in eodem intellectu obscuritas Fidei; claritas enim scientiae, & Fidei obscuritas inter se opponuntur; ergo &c.
38. Confirm. 3. ex Cano. Licet existentia Dei ut authoris supernaturalis demonstrari non possit naturaliter: at existentia Dei ut authoris naturalis naturaliter demonstratur: ergo licet existentia Dei ut authoris supernaturalis sit certa de Fide, existentia Dei ut authoris naturalis nequit esse certa de fide. Confirm. 4. ex Godoi: Licet Habitus scientiae naturalis formalem claritatem non habeat, at actus scientiae naturalis habet formalem claritatem; ergo licet existentia Dei ut authoris naturalis sit certa de fide, in sensu composito solius habitus scientifici, nequit esse certa de fide in sensu composito ipsius actus scientifici. Hæc omnia argumenta præoccupata jam sunt n. 29. ex quo Respondeo 1. actum fidei, & actum scientiae successive existentes in eodem intellectu non opponi, adeoque saltem successive non repugnare. Quod satis est pro re præsentis ad veritatem nostræ conclusionis.
39. Resp. nihilominus 2. Conc. maj. & Nego min. Quia motivum fidei, & motivum scientiae abstractivæ de Deo sunt inter se compossibilia, ad simul terminandos suos actus, neque alter in consortio alterius est otiosus. Intellectus enim per actum scientiæ abstractivæ non adeo firmiter adhæret objecto, quàm per actum divinæ fidei: nec motiva generantia eam scientiam sunt digna assensu adeo firmissimo, ac adeoque si opus esset unum ex duobus deponere, & quasi contemnere, potius deponeret intellectus assensum demonstrativum principijs naturalibus innixum, quàm assensum fidei innixum divinæ Authoritati. Quo oprime salvatur intellectus captivitas in obsequium fidei cum consortio scientiæ naturalis.
40. Sic in Eucharistia potius deponit intellectus assensum de existentia substantiæ panis, quamvis naturaliter videat accidentia panis, quàm deponat assensum de existentia Christi panisque transsubstantiatione. Qua de causa Augustinus tamquam rem certissimam supponit compositionem scientiæ & Fidei ejusdem objecti in eodem intellectu. lib. 10. Hom. hom. 31. cap. 2. per hæc verba: *Invende facta, & quare Factorem; aspice, qua vides, & crede, qua non vides. Crede in eum, quem non vides propter ista, qua vides. Et ne sermone meo te exhortatum putes, Apostolum audi dicentem: Invisibilia e-*

*nim Dei à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, conspiciuntur.*

Ad primam confirmationem Dist. Antec. Non sunt articulus Fidei, prout præcisè deducuntur ex ratione naturali Conc. prout afficiuntur revelatione divina Nego antec. & Conseq. Ut ad secundam Confirmationem statim constabit. Ad secundam confirmationem Nego Antec. ea enim Cajetani doctrina defendi amplius non potest post damnatam ab Innoc. XI. hanc 23. propositionem: *Fides latè dicta ex testimonio creaturarum similive motivo ad Justificationem sufficit.* Ad tertiam confirmationem Conc. Antec. & Nego Conseq. Quia existentia Dei, quam credere divina fide tenemur, eadem est in ordine ad effectus naturales & supernaturales: non enim sunt in Deo duæ existentiae realiter distinctæ, una quidem quasi authoris naturalis, & altera quasi authoris supernaturalis: adeoque illud ipsum objectum, quod demonstratum est ratione naturali, creditur à nobis divina Fide.

Ad quartam confirmationem Conc. Antec. & Nego Conseq. Quia fides non est supplementum scientiæ naturalis; est quippe multò certior illa, multoque nobilior, ut constat ex n. 39. adeoque adveniente scientia naturali fides non deficit: est autem supplementum intuitivæ visionis: adeoque solum deficit ea adveniente, ut constat ex Apostolo 1. Cor. 13. *Cum autem venerit, quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est, subjungitque: Videmus nunc per speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem, nunc cognosco ex parte: tunc autem cognoscam, ut cognitus sum.* Unde fides non excludit claritatem scientiæ, sed intuitivæ visionis de objecto credito, sive ex natura sua, sive ex lege Dei. Hæc satis sint pro re præsentis. In Tractatu enim de Fide dicemus.

Objic. 2. contra secundam conclusionem ex Petro ab Aliaco, & alijs: solum constat ex fide posse cognosci ratione naturali existentiam Dei modo, quo homines sint inexcusabiles: atqui ut sint inexcusabiles, sufficit, quod ratione naturali fiat probabilior existentia Dei, quàm non existentia: neque requiritur evidentia ulla, aut metaphysica, aut moralis: ergo non constat ex fide posse Deum demonstrari evidentia saltem morali. Respondeo Dist. maj. modo quo sint inexcusabiles ex existentia Dei nota, manifesta, visa, & conspecta. Conc. ex existentia Dei cum aliqua formidine atacta. Nego maj. & Dist. min. Nego Conseq. Ratio est, quia, ut constat ex testimonijs Scripturæ adductis à n. 6. homines inexcusabiles sunt, quia eo modo possunt ratione naturali Dei existentiam agnoscere: habere autem existentiam Dei notam, manifestam, visam, & conspectam significat in vero, & proprio modo loquendi notitiam plusquam probabilem, & saltem moraliter evidentem.

Objic. 3. contra tertiam conclusionem ex Bassole, aliisque. Nequit esse evidenter vera existentia illius entis, cujus impossibilitas non est evi-

est evidenter falsa: atqui Dei impossibilitas non est evidenter falsa; ergo neque illius existentia est evidenter vera. Prob. min. non est evidenter falsa impossibilitas illius entis, cujus contradictio, & prædicatorum oppositio non est evidenter falsa: sed oppositio, quæ apparet inter aliqua prædicata Dei v. g. unitatem ex una parte & infinitam fecunditatem ex altera, immutabilitatem, & libertatem, & id genus alia, adeo non est evidenter falsa, ut difficilimum sit, attenta unice naturali ratione, solutionem aliquam probabilem illi invenire; ergo &c.

45. Respondeo dist. maj. Non est evidens existentia quo ad an sit, cujus impossibilitas non est evidenter falsa in eodem genere Conc. in diverso genere, sive quo ad quomodo sit Nego maj. & dist. min. N. Conf. quia unitas, & fecunditas, sive Personarum Trinitas, & id genus alia non spectant ad genus demonstrationis existentiae Dei quoad an sit, sed existentiae Dei quo ad quomodo sit. Ratio autem naturalis solum demonstrat existentiam Dei quo ad an sit, secus quo ad quomodo sit. Quin imò demonstrat esse in eo genere indemonstrabile naturaliter, ut constat ex n. 3.

46. Explico solutionem detegendo adversariorū grandem æquivocationem. Dupliciter quidem potest ens quodcumque considerari: nimirum an sit, & quomodo sit. Rursus possumus habere evidentiam rei quoad an sit, deductam ex termino nobis evidenter noto, cum eo ente metaphysicè connexo, quomodo existentiam Dei evidenter deducimus ex creaturis, quin habeamus evidentiam de existentia illius entis quoad quomodo sit, eò quòd non habeamus medium evidenter notum quoad nos ad id inferendum: tunc enim nulla est paritas petita à difficultate entis quomodo sit, ad negandum ens quoad an sit: cum possumus habere medium ad inferendum unum, quin habeamus medium ad inferendum alterum, quod evidens nobis est in omnibus ferè rebus demonstrabilibus.

47. Sanè evidens nobis est dari continuum rotæ motum, locum, tempus, & id genus alia, adeoque ista evidenter sunt nobis nota quoad an sit, & tamen quoad quomodo sit, non scimus, sed scimus rerum harum naturam insuperabiles habere difficultates, quibus majora mundi ingenia succubuerunt. Evidens etiam nobis est humana libertas, & tamen in illa explicanda occurrunt intricatissimi nodi. Quid nobis patentius cælis, & syderibus? nihilominus circa illorum naturam, motum, & proprietates magnis hinc inde litibus disputatur. Concedimus ergo existentiam Dei quoad quomodo sit non esse nobis demonstrabilem, bene verò existentiam Dei quoad an sit, de quo hucusque disputavimus.

48. Objic. 4. Contra quartam assertionem ex Aureolo, & alijs. Jobi 36. de Deo dicitur: omnes homines vident eum: unusquisque intuetur procul: atqui videre Deum significat Dei existentiam esse per se notam; ergo &c. Confirm. 1. Omnes homines habent

inditam notitiam de Deo: ita ut concipiendo id, quod venit nomine Dei, non possint existentiam Dei negare, ut ait Anselmus, & reliqui Patres à n. 6. ergo &c. Confirm. 2. Nomine Dei intelligitur cumulus omnis boni: sed per se notum est existentia esse aliquid bonum; ergo per se notum est Deum existere. Confirm. 3. ex alijs recentioribus. Postquã per evidentes demonstrationes aliquis præbuit assensum existentiae Dei, potest excitata specie conclusionis statim assentiri absq; novo discursu; ergo existentia Dei per secundam illam cognitionem erit per se nota.

Resp. C. maj. & dist. mi. videre Deum ex ipsa terminorum propositione C. obscure deducendo existentiam illius ab effectibus, Neg. mi. & Conf. quia ea scripturæ verba hanc obscurem visionem significant: sic in eum locum Gaspar Sanchez: Deum ab hominibus cognitum esse dicit, procul tamen; id est obscure, & tantum ab effectu. Ad primam Confirmationem dist. maj. non possint negare prudenter, & invincibiliter Conc. imprudenter & vincibiliter Nego Antec. & Conf. ut constat ex n. 19.

Ad secundam confirmationem dist. maj. Nomine Dei, sumpto Deo realiter, absolute & exercitè ex ipsa terminorum propositione Nego, sumpto Deo objective solum & signatè C. maj. & dist. mi. existentiam esse aliquid boni, si existentia sumatur realiter, aut exercitè C. si solum objective, aut signatè N. min. & conf. Ratio est, quia possibilitati existentiae Dei, sive cumuli omnis boni non assentimur ex ipsa terminorum propositione, sed per discursum, quo probamus illum conceptum objectivum, sive existentiam signatè sumptam non repugnare: Hoc enim probamus vel privatè afferendo in testimonium uniuscujusque fidè, & conscientiam, ut ait Anselmus n. 13. vel convincendo syllogisticè & universaliter, ut præstitimus à n. 14. aliter eadem libertate arguendi possemus probare Trinitatem, creaturarum omnium perfectissimam, infinitum categorematicum, & id genus alia actu existere, & esse per se nota; cum nomine Trinitatis intelligatur Infinita Perfectio naturæ indivisibilis identificata cum tribus realiter distinctis Personalitatibus. Nomine creaturæ omnium perfectissimæ creatura à Deo producibilis, & ita perfecta, ut superet reliquas omnes posibles creaturas: nomine infiniti categorematici, infinita, & perfecta collectio singulorum finitorum, & perfectorum.

Hæc enim & id genus alia cum in hac hypothese perfectionem signatè includant, contradistinguntur à chimæra; adeoque erunt possibile, juxta formam, qua arguunt adversarij, quæ ratione naturali ipsi ostendi posse negant: Imò & negant possibilitatem infiniti categorematici, & creaturæ omnium perfectissimæ; eò quòd hypothesis objective, & signatè sumpta probanda est non repugnare, quod idem dicimus in nostro casu. Ad tertiam confirmationem omitto ant. & N. conf. quia propositio per se nota vocatur à Philosophis & Theologis in ordi-

- ne ad primam cognitionem, non ad secundam, alioquin omnis veritas per discursum asequibilis eodem jure vocanda esset per se nota, quod longè à vero distat.
52. **Objic. 1.** contra primam assertionem ex Polytheistis. Non repugnat, quòd plures Dij idem semper vellent, & decernerent nulla supposita inter illorum voluntates subordinatione, & dependentia: si enim sunt liberi, possunt se exercere, ut velint; adeoque & possunt semper idem velle; sed in eo casu nulla esset implicancia ex ratione naturali in existentia plurium Deorum; ergo ratione naturali non bene demonstratur unitas Dei. **Resp. dist. maj.** Possent semper idem velle ita, ut possent etiam velle opposita **C.** ita ut non possent **N. maj.** & **dist. min. N. conf.** Ratio est, quia eo ipso quòd supponantur liberi, supponuntur posse pro libito suo convenire, vel non convenire in volendo idem objectum, quod satis est, ut ea objectiva suppositio ratione naturali appareat chimærica, secumque afferat inconvenientia adducta à n. 20.
53. **Objic. 6.** contra sextam assertionem ex Quiros: licet non possit dari per longum tempus in homine sui compote invincibilis ignorantia de Deo, considerata re solùm ab intrinseco, evenire potest ab extrinseco: v. g. si aliquis magister magna exultatione habitus à rustico inter alia doceret non esse Deum; tunc rusticus inculpabiliter crederet non esse Deum; etenim æquè creditu difficile est dari quaternitatem divinarum personarum, ac non dari Deum, & tamen inculpabiliter potest rusticus ex illa extrinseca instructione credere dari quaternitatem divinarum Personarum; ergo &c.
54. **Confirm. 1.** Orteda q. 2. a. 2. aliqua sunt motiva adeò apparenter suadentia non dari Deum, ut hominem etiam fide, & sapientia excellentissimum tentare possint non leviter contra fidem existentie Dei, uti David de se ipso testatur ps. 72. dicens: *mei autem penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei, quia zelavi super iniquos pacem peccatorum videns*: id est, ut exponit Bellarminus; penè vacillavit fides mea, dum aspicerem subinde impios florenti fortuna gaudere, probos adversa premi; ergo multò facilius talia motiva poterunt movere Ethnicum, ut per longum tempus absque culpa existimer primam causam rebus humanis non providere, adeoque non dari Deum.
55. **Confirm. 2.** ab experientia; etenim ut Pagnasiel author non contemnendus, & apud Indos degens, affirmat aliquos inveniri apud illos Barbaros, qui post multos vitæ annos transactos interrogati, numquid unquam cogitaverint de Deo, sincerè respondent, nihil profus. Quinimò apud aliquas nationes per plura sæcula nulla fuit de Deo noticia. De Brasiliis enim testantur nonnulli eos ante adventum Lusitanorum nullum penitus numen cognovisse; ergo &c.
56. **Confirm. 3.** Licet sit contra rationem naturalem plures Deos admittere, Gentiles tamen plures Deos coluerunt, neque credibile est tot homines per tot sæcula Deum culpabiliter ignorasse, quin vel unus ex illis inculpabiliter se gesserit. ergo, licet sit contra rationem naturalem negare Dei existentiam, poterit tamen aliquis per longum tempus, & per totam vitam Deum inculpabiliter ignorare. **Confirm. 4.** attenta sola ratione naturali nationes illæ, quæ verum Deum non agnoverunt, audientes postea Prædicatores annunciantes Deum potius discredere aferendo non esse providentem, adeoque neque Deum illum, qui per tot sæcula absque ipsius noticia tot, & tantas nationes reliquit; ergo possunt plures inculpabiliter per longum tempus, & per totam vitam habere ignorantiam de existentia Dei.
- Resp. Neg.** Antec. quia ex principijs ab intrinseco & cognitione indita ab authore naturæ, satis superque quisque sui compos instructus est, ut non assentiat tali instructioni magistri, saltémque dubitare possit ad veritatem inquirendam, quod si ex se faciat, Deus gratiam non denegabit, & veritatem inveniet. Si autem pro libito omitat, jam ignorantia non erit inculpabilis, sed culpabilis, & vincibilis, ut constat à n. 21. Paritas autem à quaternitate Personarum desumpta omnino est inutilis; quia mysterium illud, quod à Deo proponeretur revelatum, non tenderet quoad an Deus sit, sed quoad quomodo sit, & proponeretur supra rationem naturalem, adeoque posset rusticus invincibiliter præbere assensum ob existimatum Dei testimonium.
- Deus autem, ut habet Apostolus ad Tim. 2. *Omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*: adeoque daret media, ut homo ille tale falsum judicium de Deo deponeret, & cognosceret veritatem necessario credendam ad salutem, si per ipsum hominem non steterit: Deus enim ex parte sua jam illum illuminabit ut de Christo, qui splendor est vitæ æternæ, habet Joan. c. 1. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Sic Apoc. 3. *Sto ad ostium, & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam*: Ita tamen Deus ista vult, ut velit nostram liberam, & justam correspondentiam, ut habet Ambrosius ad suprà citata verba Apostoli dicens: *vult enim Deus omnes homines salvos fieri, sed si accedant ad eum; non enim sic vult, ut nolentes salventur, sed vult illos salvari, si & ipsi velint*.
- Ad primam Confirmationem dist. ant. tentare possint non leviter ita, ut succumbant culpabiliter **Conc.** inculpabiliter **Nego** antec. & conseq. ut constat ex dictis. Ad secundam confirmationem dist. ant. nihil penitus inculpabiliter **Nego**, culpabiliter subdist. per notitiam omnino firmam omitto, saltém dubià **Nego** antec. & conf. Ratio est, quia, ut habet P. Grando 1. parte tract. 1. disp. 1. sect. 3. Brasilienses, & reliqui Gentiles habebant de existentia Dei notitiam saltém dubiam; cæsi non habent omnino firmam. Quod per illa verba nihil

nihil penitus fignificabant. Quapropter non erat una apud omnes idololatria. Illi autem qui plures Deos colebant Jovi paffim primas deferebant, & tamquam Deorum fupremum honore illum, & cultu profequebantur. Imò & Gentiles in pluribus regionibus adeò cælatores veritatis inventi funt, ut non poffet illis fides haberi, ut narrant hiftoriæ, uique qui cum ipsis commemorati funt.

60. Quin imò fcintilla aliqua de veri Dei exiftentia omnibus innotuit: ex ignorantia autem culpabili ut liberius fe vitijs traderent, fequendo voluptates, quæ, ut ipsi ajebant ab hoc, & illo Deo permittebantur, Deos illos colebant: ficque vitijs dediti non curabant, de veritate inquirenda, & infipienter atque vincibiliter fe gerebant. Sic Pharao Exodi 5. *Nefcio Dominum*: id eft, nolo folùmmodo Deum Hebræorum pro vero Deo, & omnium moderatore agnoscere. Ad tertiam confirmationem Nego antec. quia, ut conftat ex n. 23. plures Gentilium unicum folum Deum agnofcebant, etfi exteriùs plures confiterentur. Si enim Salomon, qui & ratione naturali, & fide unicum Deum agnofcebat, ut voluptatibus fuis obtemperaret, colebat Idola, quid mirum, quòd eodem modo Gentiles fe gelferint? Credam nihilominus plures fuiffe inter Ethnicos legem naturalem observantes, quos Deus non deleruit, fed per media fuæ providentiæ ad falutem perduxit.

61. Quot autem, & quanti fuerint, non fcimus, cum fcriptum non fit: fcimus autem fcriptum effe in vita P. Anchieæ, quandoque ipfum inter Gentiles per inacceffibiles montes eluctatum vidiffe jacentem in terra hominem plusquam octogenarium morti proximum, neque inveniffe in illo violatum unquam ullum præceptum contra legem naturæ. Cenfuit venerabilis vir hominem illum effe ex illis, quibus Deus non denegat gratiam, cum fecerint, quantum eft ex fe: Influxit illum myfterijs Fidei, Religionisque Catholicæ, & ftatim post baptifmum expiravit. Exinde agnofcimus, quomodo Deus fe gerat cum illis, qui non voluptatibus, fed naturali rationi conformes vivunt.

62. Ad quartam confirmationem Diff. antec. difcrederent rationabiliter nego. irrationabiliter omitto antec. & nego confeq. Hæc enim argumentum opponebant, S. Franc. Xaverio Bonziji Japonenfes in congressu inito ad difputationem coram Rege, Regniq. Primaribus, quod adeò fallax demonftratum fuit à Xaverio, ut numquam impoferum aufi fuerint iterum Bonziji palam cum ipfo difputare. Ratio eft, quia nullus invenietur, qui hujusmodi querelam habere poffit, fi ex fe femper fecerit, quod ratio naturalis faciendum illi diftabat: Tales enim Deus per media fuæ Providentiæ dirigit in viam falutis æternæ. Illi verò, qui vel uno lethali fe contaminaverunt, digni erant, quos Deus ftatim interimeret, & in infernum detruderet; adeoque quòd non habue-

R. P. Gormaz Theolog. Tom. I.

runt talia media conducentia ad falutem, non quidem Deo, fed ipsis eft impurandum.

Deo autem maximæ agendæ funt gratiæ, 63. quia adeò grande fupplicium plurimis ftatim non intulit, fed alia illis media fubminiftravit, ut poffent; fi vellent, à peccato refurgere, quæ contemnere eft valde irrationale. Cur autem Deus iftis det plura media quàm alijs, cur hos producat inter Catholicos, aliòsque inter ethnicos, irrationabile eft à nobis exigere, cum non fimus Dei confiliarij; Dei enim confilia funt nobis prorfus occulta: fic Auguftinus *hom. 58. in Joannem*: *Oculto judicio, non injufto facit.* & *Tract. 26. in Joannem*: *Quare illum trahat, & illum non trahat, nobi velle judicare, fi non vis errare.* Interim exclamandum nobis cum Apoftolo ad Rom. 11. *O altitudo divitiarum fapientie, & fcientie Dei, quàm incomprehenfibilia funt judicia ejus, & inveftigabiles via ejus. Quis enim cognovit fenfum Domini? &c.*

64. Objic. 7. ex Arriaga inftando fimul folutionem. Licet omnium mentibus inficium fit quoddam de Deo dubium, & ita in nullo fit invincibilis ignorantia Dei, hæc tamen ignorantia quamvis vincibilis non eft culpabilis: ficuti fi cui dubium incidat, quo pacto arbores crefcant, non peccat hac de re ulterius non inquirendo; ergo poteft dari per longum tempus & per totam vitam in aliquo homine inculpabilis ignorantia Dei. Confirm. Non minus vult Deus falutem parvulorum, qui in utero materno moriuntur, vel antequam perveniant ad ufum rationis, quàm adultorum fibi compotum: atqui ignorantia Dei non eft culpabilis in parvulis; ergo & poteft per totam vitam non effe culpabilis in adulto fui compote.

65. Refpondeo Nego antec. Lumen quippe naturæ clarè diftat plus cuique intereffe de veritate Numinis, quod in mentem venit, inquirere, quàm de modo, quo arbores crefcant; cognitio enim de incremento arborum non ducit ad ultimum hominis finem: bene verò cognitio veri Dei, quem quifque colere tenerur. Quapropter ut bene notavit Koninch *diff. 18. de aët. fuper. dub. 2.* Notitia de Deo à Deo indita femper cum facro quodam horrore, ac veneratione immittitur. Unde nullæ fuerunt unquam nationes tam rudes, ac barbaræ, quæ non habuerint aliquod numen, quod colerent, quodque timerent fuis peccatis offendere.

66. Ad confirmationem diff. maj. non minus, & eodem modo Nego. diverfo modo Conc. maj. & concessa min. Nego confeq. Ratio eft, quia adultis confert gratiam fufficientem, qua ipsi pro fua libertate bene, vel malè operentur: parvulis autem, qui non dum propria gaudent libertate, non ita confert; fed parentibus vel ijs, fub quorum cura funt, quamvis ipsi finem divinæ Providentiæ non advertant, adeoque non peccent ea tunc infpiratione non utendo, quæ conduceret ad falutem parvuli, fi ex alia

B 2 capite

capite peccatum non fit ea non uti. Unde licet diverso modo, quàm adulti, verè includuntur parvuli sub illa generali Apostoli: *Deus vult omnes homines salvos fieri*, ut communiter docent Theologi cum Eximio Doctore lib. 4. de *Prædestinatione* c. 4. sic Augustinus *Tom. 7. lib. 4. contra Jul. c. 8. de Parvulis* ait: *Numquid aut homines non sunt, ut non pertineant ad id, quod dictum est: omnes homines.*

67. Pariter S. Prosper Augustini discipulus lib. 2. de *vocatione* cap. 23. *Non irreligiosè arbitror credi, quòd isti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratia partem, qua super universis est impensa nationibus, qua utique si be-*

*ne uterentur eorum parentes, etiam ipsi per eosdem juarentur.* Quibus consonat Tridentinum causam adventus Christi explicans *sess. 6. cap. 2.* per hæc verba, *ut & Judæos, qui sub lege erant, redimeret, & Gentes, quæ non sectabantur Justitiam, Justitiam apprehenderent, atque omnes adoptionem filiorum reciperent.* Quo fieret, ut omnes vel in via, vel in patria ad agnitionem veritatis venirent, id est adulti in via, & parvuli saltem in patria. Ad hoc autem divinæ Providentiæ munus præstandum non tenetur Deus patrare miracula, neque causas secundas impedire, quibus & adultis, & infantibus mors sæpe solet obvenire.

## DISPUTATIO II.

### DE ESSENTIA DIVINA.

48. **N**omine essentiæ metaphysicæ apud Theologos, & Philosophos non intelligitur differentia individualis, sive taleitas rei: sic nomine essentiæ hominis non venit Petreitas, sed animal rationale, sive ea prædicata rei, quæ identificantur cum omni illo, quod est talis res: ita ut nequeat res unquam inveniri, quin rota ejus essentia reperitur. Exinde essentia hominis, nimirum animal rationale, identificatur cum omni illo, quod est homo; nec potest unquam homo inveniri, quin sit animal rationale. Si autem taleitas identificetur cum omni eo, cum quo essentia identificatur, dicitur esse de essentia physica, secus de metaphysica: si verò non ita identificetur, neque erit de essentia physica, neque de metaphysica. Unde essentia Dei stat in illis prædicatis, per quæ Deus constituitur essentialiter, adæquando illum conceptum, quo de Deo quærimus, quid sit.

### SECTIO I.

#### De Prærequisitis ad Controversiam.

69. **S**uppono 1. ad essentiam adæquatam indispensabiliter concurrere tres condiciones, ad quas cæteræ reducuntur. Prima est, ut ea prædicata sint essentialia, quibus præcisè positis (seu re, seu ratione) res ponitur, & quibus præcisè ablatis aufertur. Ratio est, quia prædicata essentialia necessario sufficiunt, ut detur essentia: Implicat autem, quòd res non detur, quando datur id, quod sufficit, ut detur, & implicat, quòd detur; quando deest sufficientia requisita, ut detur. Exinde taleitas contractiva essentiæ non est de constitutivo essentiæ, cum non sit necessaria, ut detur essentia, sed ut detur contractio essentiæ. Sic Petreitas contractiva essentiæ metaphysicæ hominis ad Petrum, non est de essentia metaphysica hominis: neque relationes, aut Personalitates divinæ contrahentes essentiam physicam, & metaphysicam Dei ad Personas,

sunt de essentia physica, aut metaphysica Dei.

Secunda Conditio est, ut prædicata essentialia sint adæquativa vocis, per quam exprimimus definitum. Ratio est, quia, si non adæquarent definitum, ijs prædicatis præcisè sive formaliter positis definitum non poneretur: qua de causa ista definitio animal rationale, etsi sit recta definitio hominis, ut hominis, non est recta definitio hominis, ut objectum est medicinæ: sic enim definiendum foret animal sanabile, ut latè dixi in metaphysica, & constat ex ratione dicta. Tertia est, ut nihil præter essentialia prædicata sit radix perfectionum suppositi. Ratio est, quia perfectiones suppositi si exigentialiter physicè, vel illatione naturaliter fluunt, non aliunde quàm à natura, aut essentia fluunt. Quamobrem essentia definienda est primum, & adæquatum constitutum rei. Unde essentia physica, & metaphysica realiter distingui non possunt. Ratio est, quia essentia physica est verificativa metaphysicæ, quæ sub genere, vel quasi genere, & differentia eam comprehendit. Sic corpus animæ, & unio, quæ est essentia physica hominis, comprehenditur sub hac sua essentia metaphysica animal rationale.

Suppono 2. inter prædicata necessaria absoluta Dei aliqua esse communia creaturis, ut Ens, Substantia, Vivens, Intellectivum: alia specialia, & characteristica Dei, ut Ens à se, Omnipotens, Omniscium, Infinitum. Ex his characteristicis aliqua sunt transcendentia; quæ in quolibet divino prædicato realiter, & formaliter reperiuntur, ut ens à se, infinitum: aliæ sunt intranscendentia formaliter, quæ attributum speciale, sive strictè sumptum constituunt, ut omnipotens, omnicomprehensivum: Rursus ex absolutis aliqua sunt ex genere suo substantialia, quæ ubique tam in creatis quàm in Deo spectant ad essentiam, ut ens, substantia, vivens, spiritus, intellectivum. Alia sunt ex genere suo attributaria, quæ nempe (quidquid

quid de Deo fit) non ubique spectant ad essentiam, ut in creaturis volitivum, Sapiens, Justum, & id genus alia. Unde ista prædicata juxta genericam suam considerationem dicuntur in Deo attributa, licet ut divina, sive specificè sumpta, constituant essentiam. Sic Augustinus lib. 6. de Trin. cap. 4. de Deo ait: *Deo autem hoc est esse, quod est fortem esse, aut justum esse, aut sapientem esse: & siquid de illa simplici multiplicitate, vel multiplici simplicitate dixeris, quo substantia ejus significetur.*

71. Suppono 3. cum Granado *Tract. 2. disp. 4. Card. de Lugo disp. 2. de Incarnatione sect. 5.* Quiros, Ribadineira, & alij singulas divinas perfectiones, quæcumque sint, sive prout virtualiter sive prout formaliter ad invicem distinguuntur, licet secundum considerationem genericam sint inæquales saltem præcisivè, secundum considerationem suam specificam esse æquales in gradu perfectionis, & quamlibet intensivè tam perfectam quam omnes simul sumptas.

72. Ratio est, quia quælibet ex divinis perfectionibus ad suam lineam contracta habet realem identitatem cum natura divina, quæ realis identitas utpote summa in linea perfectionis compensat totum illum excessum genericum, cum ex nullo capite perfectio summa limitationem patiatur, quam pati potest perfectio non summa: Limes enim in perfectione longè exulat à prædicatis, & lineis divinis: Etenim unaque divina linea dicit identitatem realem cum omni perfectione saltem in tertio, estque digna æquali amabilitate, adoratione, & cultu.

74. Quapropter unaquæque Persona divina est tam perfecta ac alia, ut definitur in symbolo Niceno: *Et in hac Trinitate nihil prius, aut posterius, nihil majus, aut minus: sed totæ tres Personæ coæternæ sibi sunt coæquales.* Quinimo cum una perfectio simpliciter infinita tanta sit, quantæ simul omnes perfectiones, una sola Persona divina tam perfecta est quam omnes simul Personæ. Sic Augustinus *serm. 38. de Temp. post medium: Tantius est solus Pater, & solus Spiritus Sanctus, quantus est simul Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus.*

75. Ratio autem Theologica est: Quia licet una Persona divina distinguatur realiter ab alia, habet identitatem realem cum natura, quæ est tertium simpliciter infinitum, identificatum cum omnibus personis: adeoque continet eminentialiter & in tertio simpliciter infinito omnium Personarum perfectionem; sed æquè perfectum est continere Perfectionem eminentialiter in tertio simpliciter infinito, ac continere formaliter: sic solus Deus æquè perfectus est, ac Deus simul, & creatura; quia, licet non contineat formaliter perfectionem creaturæ, continet illam eminentialiter in prædicato simpliciter infinito. Unde inter Perfectiones divinas non datur prioritas primarum Perfectionis, sed solum primatu constitutionis eminentialiter contento in Perfectione.

Suppono 4. Magnum esse diffidium apud Theologos in *Tract. de Trinitate*, quærentes, quid sit in Deo Perfectio simpliciter simplex. Caramuel enim in *Gram. audaci n. 364.* ait esse illam, quæ imperfectionem nullam imbibit. Alij cum Borrul, quæ melior est ipsa, quam non ipsa. Alij consent esse illam, quæ subjecto, seu quasi subjecto melior est ipsa, quam non ipsa, si per impossibile posset illam perfectionem mutare pro alia: sic dicimus: si optio daretur, mallet esse Angelus, quam homo. Malo esse homo, quam arbor. Communis autem sensus Theologorum docet esse illam, quæ melior est quacumque alia perfectione realiter ab ipsa distincta; qui sensus verosimilior est.

Quæstio enim ista, ut ait Arriaga, tota est de voce: sensum autem vocis juxta communem Theologorum accipere debemus. Quin imò, si bene expendatur, diversitas sententiarum eò tendere videtur, ut ad nostram conspirent explicationem; Id enim naturæ lumine concipi videtur, dum concipimus Perfectionem simpliciter simplicem; nimirum quæ perfectior est quacumque alia realiter ab ipsa distincta. Unde cum inter prædicata divina sola prædicata absoluta, & necessaria, utpote identificata cum omnibus prædicatis divinis, quæ & dantur & dari possunt, & distincta realiter à non divinis, sint meliora quocumque alio realiter ab ipsis distincto, ea sola erunt perfectio simpliciter simplex. Relativa verò non ita; nam Paternitas distincta realiter à Filiatione, idemque de alijs relativis, non est melior Filiatione: adeoque relationes divinæ non sunt Perfectio simpliciter simplex. His positis.

Varie sunt circa essentiam metaphysicam Dei Theologorum sententiæ, quæ omnes ad quatuor præcipuas classes reduci possunt. Prima Classis est eorum, qui pro metaphysica Dei essentia assignant unum ex prædicatis transcendentibus: Alij enim *Ens a se* ita Bagues, Alvares, aliique Recentiores cum Legionensi; Alij *Ens infinitum*: ita Argentinas, & Scotus, Alij, quos citat Emelman *Tir. 4. disp. 1. Ens necessarium*. Accedunt huic classi Gilius, Recupirus, Ferrerius, Amicus, Franciscus de Lugo, & alij. Secunda classis est eorum, qui assignant specialem Perfectionem intranscendentem, sive intellectivum radicale per modum actus primi, ut Albertinus, Arrubal, aliique, quos citant & sequuntur Borrul, & Godoi; sive actualissimam intellectiorem, ut Joannes Thomasmus, Fasolus, & alij; sive intellectivum simul & volitivum radicale, ut Aiofius; sive Intellectiorem, simul & volitionem, ut Martinus Perez *disp. 11. de Trinit. sect. 6.*

Tertia classis docet constitutivum metaphysicum Deitatis ex parte rei includere omnes Perfectiones absolutas, necessarias; ita Ribadeneira, & Amicus, qui singulariter addit relativæ Perfectiones: In constitutivum verò ex parte modi, sive nostræ expressionis variant aliqui ex his cum Authoribus primæ, secundæ,

& quartæ classis. Hæc autem quarta Classis docet Deitatem, sive essentiam divinam tam ex parte rei, quam ex parte modi includere omnem Perfectionem simpliciter simplicem, cum hoc discrimine, ut ex parte rei hæc omnes perfectiones constituent, unaquæque sub expresso, & singulari suo conceptu: v.g. Omnipotentia, Immenfitatis &c. ex parte verò modi sub conceptu, qui unice per eas singulariter acceptas potest verificari: nempe *Plenitudo omnis Perfectionis simpliciter simplicis*. Ita Eximius Doctor lib. 1. de essentia Dei cap. 11. & disp. 30. *Metaph. sect. 6. Quiros tom. 1. in 1 part. disp. 17.* plures pro se citans, subscribuntque plurimi Recentiores.

## SECTIO II.

### Resolvitur Controversia.

80. **A**ffero 1. contra Authores primæ Classis: essentia metaphysica Dei non stat adæquate in ente à se, aut quavis alia singulari Perfectione divina ut ab alijs distincta. Prob. 1. Deus ut Deus Theologicè sumptus ex ore SS. Patrum est ens à se absolute significatum, sibi que formaliter in omni linea absoluta sufficiens ad essendum, ut ex Augustino n. 2. 28. & 71. Anselmo, & alijs à n. 87. constat: atqui ens absolute significatum, sibi que formaliter in omni linea absoluta sufficiens ad essendum, non comprehendit formaliter solam perfectionem unius lineæ, ut ex terminis patet: ex defectu enim formali cujuscunque lineæ jam tale ens non maneret sibi formaliter sufficiens ad essendum in omni linea absoluta; ergo &c. Unde Authores hujus classis vel incidunt in quartam intelligendo pro ente à se illimitato, vel necessario cumulum omnis perfectionis absolutæ, sive summum bonum in omni linea absoluta sibi sufficiens ad essendum, quod plures ex ipsis intelligere non ambigo ex n. 122. vel insufficienter explicant essentiam Dei metaphysicam. Confirmatur. sicut homo, ut homo physicè sumptus ex testimonio Philosophorū significat principium sentiendi, & discurrendi: ita Deus ut Deus theologicè acceptus ex testimonio SS. Patrum significat cumulum necessarium, & absolutum omnis perfectionis; ergo sicut homo, ut homo philosophicè sumptus dicit formaliter, & metaphysicè Principium sentiendi, & discurrendi, ita Deus ut Deus theologicè acceptus dicit formaliter, & metaphysicè cumulum necessarium, & absolutum omnis perfectionis.

81. Probatur 2. Essentia metaphysica Dei non dicit constitutive relationes; essentia enim Dei non modo metaphysica, verum etiam physica est indivisibilis, & identificata cum omni eo, quod est realiter Deus: adeoque cum qualibet Personalitate, ut docet Fides, & constat à n. 3. Relationes autem non sunt inter se realiter identificatæ, sed distinctæ: adeoque neque sunt de essentia metaphysica, neque de essentia

physica Dei ex n. 69. & 86. Atqui qualibet relatio divina est ratione sui ens à se, cum ratione sui excludat esse ab alio, habeatque identitatem cum omni perfectione, ut constat ex n. 34. & 73. ergo essentia metaphysica Dei non stat in sola perfectione entis à se. Confirmatur 1. Ens in tota sua latitudine dividitur in ens à se, sive divinum, & in ens ab alio, sive creatum; ergo quidquid identificatur cum Deo, est ratione sui ens à se: atqui essentia metaphysica Dei non stat adæquate in quocunque prædicato identificato cum Deo; aliter staret in una sola relatione; ergo neque in ente à se. Confirm. 2. Essentia metaphysica Dei non minus est in omni linea absoluta simpliciter infinite perfecta, quam sit in omni genere absoluta simpliciter infinite necessaria ex illo Dei ad Moysen *Exod. 3. Ego sum qui sum*. Sed ex eo quod sit ita necessaria, nõ potest constitui ex actibus liberis, aut contingentibus; ergo ex eo quod sit ita perfecta, nequit constitui cum defectu vel unius lineæ absolute necessariae. Roborantur ulterius hæc omnia ex assertionibus subsequentibus.

Affero 2. contra Authores secundæ classis. 82. Existencia metaphysica Dei non stat adæquate in aliqua, vel aliquibus perfectionibus intranscendentibus, ut distinctis ab alijs perfectionibus necessarijs absolutis. Prob. 1. Constitutum metaphysicum Dei non solum stat in distinctivo Dei à rebus creatis, sed ulterius includit distinctivum à prædicatis divinis, quæ de constitutivo Dei metaphysico non sunt: atqui tale distinctivum non stat in una, vel altera perfectione absoluta necessaria, & intranscendenti sed in omni cumulo. Conf. tenet, & major tenet; quia per quameunque relationem divinam distinguitur Deus à rebus creatis, quin relatio sit de essentia metaphysica, cum non distinguatur à se ipsa, adeoque neque à prædicato divino, quod non est de metaphysico Dei constitutivo. Probatur min. nulla est assignabilis ratio, propter quam una perfectio Dei necessaria absoluta præ alijs sit metaphysicum distinctivum Dei ab alijs prædicatis divinis, quæ de metaphysico Dei constitutivo non sunt: nulla quippe singularis perfectio adæquat significatum definiti sub hac voce *Deus*, solumque adæquatur per earum Perfectionum cumulum; ergo.

Probatur 2. Nulla potest assignari Perfectio absoluta, & necessaria in Deo, quæ de Deo non dicatur in quid: eo modo, quo animal, & rationale dicuntur de homine; ergo &c. Probatur antec. Ideo animal, & rationale dicuntur in quid de homine, quia verè comprehenduntur sub formali significato hujus vocis homo, ut homo, prout à Philosophis intelligitur: atqui nulla potest assignari perfectio absoluta, & necessaria Dei, quæ verè non comprehendatur sub formali significato hujus vocis DEUS, ut DEUS, prout à SS. Patribus intelligitur; ergo &c. Confirm. 1. Ideo animal, & rationale compre-

comprehenduntur sub formali significato hujus vocis homo, quia, si alterutrum ex his deficiat, non manet, quod concipimus quoad an sit, & exprimimus per vocem istam homo, bene verò si utrumque deret, etsi per impossibile reliqua deficerent: atqui si deficeret omnipotentia, Immenfitas, & id genus alia; non maneret, quod concipimus quo ad an sit, & exprimimus per vocem istam Deus. Quis enim concipiat manere totum formale significatum hujus vocis Deus, deficiente immenso, æterno, omnipotente, & sic de alijs; ergo &c.

84. Confirm. 2. sicuti in linea hominis nequit assignari prædicatum adæquatum nobiliter, prius, & perfectius nobilitate, prioritate, & perfectione constitutionis, quam complexum ex animali & rationali: ita in linea Dei nequit assignari prædicatum ita prius perfectius, & nobiliter, quam cumulus absolutarum omnium, & necessariorum perfectionum. ergo talis cumulus non minus erit de metaphysico Dei constitutivo, quam complexum ex animali rationali sit de metaphysico constitutivo hominis.

85. Affero 3. contra auctores tertie classis: essentia Dei physica, sive ex parte rei non includit actus liberos, sicuti virtualitates defectibiles identificatae cum Deo; neque relationes: bene verò omnes, & singulas Perfectiones absolutas necessarias. Prima pars, nempe quoad actus liberos est omnium, & probatur facile; Quia essentia Dei est omnino indefectibilis, ut rationis lumine notum est, & constat ex illo Dei ad Moysen Ex. 3. *Ego sum, qui sum.* id est, qui per meam essentiam necessariò existo, sive qui mihi sufficere ad essendum; ergo si actus liberi Dei sint virtualitates contingentes, & defectibiles; non sunt quæ tales de constitutivo physico essentia Dei. Confirm. quia essentia Dei ex n. 45. identificatur cum omni illo, quod sit realiter Deus: sed in ea hypothese volitio efficax nequit identificari cum nolitione, cum una excludat alteram, neque sit cum illa compossibilis, ut latius constabit à n. 170. ergo &c.

86. Secunda pars conclusionis nimirum quoad relationes, est contra Amicum, & probatur facile. Essentia Dei physica est indivisibilis, & communis tribus Personis, ut docet Fides n. 3. atqui nulla relatio est communis tribus personis; ergo essentia physica Dei nequit constitui ex ulla relatione. Confirm. 1. Unaquæque Persona divina est integrè & formaliter Deus; adeoque habet integrè & formaliter adæquatam Deitatem: sed non habet relationem alterius Personæ; ergo relatio non est de constitutivo physico essentia Dei. Confirm. 2. Essentia physica Dei identificabilis est cum omni prædicato identificabili cum Deo ex n. 68. sed nulla relatio identificabilis est cum omni prædicato identificabili cum Deo. ergo &c.

87. Tertia pars assertionis, nimirum essentiam physicam Dei, sive metaphysicam ex parte rei includere omnes, & singulas Perfectiones ab-

solutas necessarias. Probat 1. Authoritate SS. Patrum dicentium omnia prædicata, & absoluta, & necessaria dici de Deo essentialiter, sive in quid. sic Ansel. in *Monologio cap. 15. Si queratur, quid sit ipsa summa natura, de qua agitur, quid verius responderetur, quam iustitia* &c. & recentibus multis attributis in particulari concludit: Quidquid igitur eorum de illa dicatur, non qualis, vel quanta, sed magis quid sit, monstratur. Ubi opportunè observandum est pro his, quæ dicemus n. 109. ex doctrina Anselmi verissimè dici attributum formale in Deo quamlibet essentiam formalem inadæquatam: unde solum negatur formaliter de essentia adæquata, sicut negatur hæc propositio corpus est homo: non autem negatur de omni essentia inadæquata.

Confirm. ex ipso Anselmo *cap. 16. dicente: 88. Cum dicitur Iustitia, vel essentia, unum significat; quod alia, vel alia simul, vel singula. Quemadmodum itaque unum est, quidquid essentialiter de summa substantia dicitur.* Ubi autem probat Iustitiam, & reliqua divina attributa perfectius pertinere ad essentiam Dei, quam corpus, & rationale ad essentiam hominis; ergo &c. Similia habet Bernardus *lib. 1. Consid. cap. 6.* Tum etiam Nazianz. *Orat. 38. de Nativitate Domini* dicens: *Principaliter Deum exprimi per esse, veluti quoddam pelagus substantia infinitum, & interminatum.* Quem sensum juxta Damasceni doctrinam explicat, & approbat S. Thomas *1. p. 9. 13. art. 11.* eodemque modo quamplures alij Patres loquuntur apud Exim. Doctorem *lib. 1. de Deo cap. 11.* Montroia *de Trinit. disp. 8. assert. 5.* & apud Petavium *tom. 1. theologia dogmatica.* Sic etiam Augustinus citatus n. 38. & 71. ergo ex mente SS. Patrum liquida est tertia pars nostræ assertionis.

89. Prob. 2. Ratione. Omnes & singulæ Perfectiones absolutæ & necessariae identificantur realiter cum essentia divina; & cum omni eo, cum quo divina essentia identificatur: sed quod necessariò identificatur cum essentia, & cum omni eo, cum quo essentia identificatur, est de constitutivo physico essentia; ergo &c. Maj. & Consi. tenent: min. patet ab inductione per omnes essentias realiter indivisibiles, quibus nullum aliud physicum constitutum est assignabile; ergo &c. Confirm. 1. Possibilis est essentia constituta ex omni perfectione simpliciter simplici, supposita Dei possibilitate. in ea quippe hypothese nulla est assignabilis repugnancia ratione talis essentia: sed hæc essentia non potest esse alia nisi divina; ergo &c. Confirm. 2. Omnes & singulæ perfectiones simpliciter simplices sunt de principali consideratione entis, in quo sunt; ergo sunt de physico ipsius constitutivo. Confirm. 3. Essentia physica Dei nequit melior excogitari, ut sæpe reperit Anselmus, est enim essentia entis formaliter optimi: sed non esset essentia entis formaliter optimi, si non includeret om-

omnes perfectiones simpliciter simplices; ergo &c.

90. Affero 4. Essentia metaphysica Dei definitivè, seu ex parte modi dicit formales omnes perfectiones necessarias, & absolutas sub hoc conceptu: Plenitudo omnis perfectionis necessariae absolutae. Ubi Plenitudo omnis Perfectionis est genus ad Deum, & creaturam: Reliqua sunt differentia. Si autem nolis rigorosum genus admittere in Deo, sed solum quasi genus, ly Plenitudo omnis Perfectionis necessariae est quasi genus, quod convenit relativis, & absolutis. Cum autem creaturis non conveniat, est proximus praeter omnibus, & ita praescindimus à quaestione purè Philosophicâ, an derur in Deo, nec ne rigorosum genus: Ly necessariae est quasi differentia, per quam perfectio Dei essentialis metaphysicè distinguitur à non essentiali. Exinde conceptus definitivus Dei resolvitur duntaxat potest enumerando, aut exprimendo omnes, & singulas perfectiones Dei necessarias absolutas; sicuti conceptus iste definitivus hominis animal rationale, duntaxat resolvitur potest enumerando, aut exprimendo constitutum animalis, & rationalis, nimirum principium sensationis, & principium discursus: cum enim relationes, & essentia divina, utpote virtualiter distincta, de quo tota disputatione tertia, aequivalent quoad munus affirmandis rebus realiter distinctis: ita etiam aequivalent rebus realiter distinctis quoad praestandum munus generis ratione convenientiae, & munus differentiae ratione disconvenientiae.
91. Prob. jam 1. conclusio sic explicata. Conceptus metaphysicus & definitivus Dei est adaequativus hujus significati Deus ut Deus: sicuti conceptus metaphysicus, & definitivus hominis est adaequativus hujus significati homo ut homo: atqui conceptus adaequativus hujus significati Deus, ut Deus, est plenitudo omnis perfectionis necessariae absolutae; ergo &c. Prob. min. ex SS. Patribus citatis à n. 87. Deus enim ut Deus ex Nazianzeno est veluti quoddam Pelagus substantiae infinitum, & interminatum: ex Anselmo est, quo melius formaliter, sive per cogitationem attingi non potest: ita ut quaecunque absoluta perfectio necessaria non dicatur in Deo in quale, sed in quid, non minus ac rationale de homine.
92. Tum etiam ex Augustino n. 2. 38. & 71. est excellentissima natura, sive quod idem est, ens formaliter optimum, juxta omnes Latinae linguae peritos: atqui ens formaliter optimum, ens, quo melius excogitari non potest, Pelagus earum omnium perfectionum idem formaliter est ac plenitudo omnis perfectionis necessariae absolutae: Quaecumque enim ex illis perfectionibus formaliter deficiente, jam non esset tale, quo formaliter melius excogitari non posset; ergo &c. Confirm. Deus ut Deus theologicè sumptus non minus includit formaliter eam plenitudinem Perfectionum, quam homo, ut homo philosophicè acceptus inclu-

dat formaliter perfectionem animalis & rationalis; sin autem, assignent adversarij vel minimam discriminis umbram, ergo non minus constituitur metaphysicè per eam plenitudinem, quam homo per animal rationale.

93. Prob. 2. Omne id, quod spectat ad principalitatem rei sive ad praecipuam ejus considerationem, est de metaphysica essentia, & constitutivo rei, ut patet ab inductione per omnes essentias; essentia enim est tota formalis rei aestimabilitas, quae abest deficiente aliqua perfectione ad praecipuam ejus considerationem spectante: atqui singulae perfectiones necessariae absoluta spectant ad principalitatem Dei, ejusque praecipuam considerationem; ergo &c. Prob. min. omnis perfectio absoluta necessaria est perfectio simpliciter simplex: adeoque in omni ente melius est esse ipsius, quam non esse: sive quam quod vis aliud realiter ab ipsa distinctum ex num 77. ergo de principali est entis consideratione.

94. Confirm. 1. Perfectio quaevis simpliciter simplex utpote necessario melior quovis alio realiter ab ipsa distincto est quid absolute summum: sed quod est absolute summum, verè pertinet ad praecipuam considerationem ejus entis, in quo est; ergo &c. Confirm. 2. Unaqueque Perfectio simpliciter simplex tam necessario, quam alia concipitur naturè lumine debita Deo concepto quoad an sit: ergo non minus una quam alia est necessaria ad adequandum significatum hujus vocis DEUS ut DEUS: adeoque non minus una, quam alia est de metaphysico Dei constitutivo: etenim, ut rectè agebat Plato: *Nomina sunt quaedam breves definitiones rerum.*

95. Prob. 3. Ratione peculiari Eximij Doctoris ex praedicatis absolutis necessarijs aliqua creaturis etiam communia sunt de metaphysico Dei constitutivo: etenim ens, vivens, substantia, quae ubique substantialia sunt, etiam in Deo debent esse definitivè substantialia: atqui pro metaphysico Dei constitutivo nulla est ratio praefrendi unum praedicatum necessarium absolutum praeter alio, quandoquidem contrapositè ad creaturas omnia ea praedicata de Deo dicuntur in quid ex n. 87. & 118. ergo &c. Confirm. differentia finitatis formalis in esse, sive formalis limitationis essendi, quae ea praedicata communia contrahuntur ad creaturas, est de essentia creaturarum: aliter essentia creaturarum praescinderet ab eo, quod esset, vel non esset creatura sive limitata; ergo differentia formalis infinitatis in esse, sive formalis illimitatio essendi, per quam contrahuntur ad Deum, est de essentia Dei.

96. Modò sic: Formalis infinitudo essendi est formaliter omnis modus essendi per perfectionem simpliciter simplicem: sicuti infinitudo formalis sciendi est omnis sciendi modus per perfectionem simpliciter simplicem sciendi: & formalis infinitudo Potentiae est omnis potentiae modus per perfectionem simpliciter

pliciter simplicem potentiae: ergo differentia essentialis de conceptu definitivo Dei est omnis perfectio, sive plenitudo perfectionis simpliciter simplicis. Utrum hæc plenitudo includat substantiam absolutam, vel id, quod apud theologos venit nomine substantiae absolutae, nimirum ultimum constitutivum formale non solum Deitatis, sed etiam Dei, sicuti animal rationale & ultimum constitutivum non solum humanitatis, sed etiam hominis, dicemus suo loco in Tractatu de Trinitate, ubi quaeritur, an præter tres subsistentias relativae detur in Deo subsistentia absoluta communis tribus Personis.

## SECTIO III.

## Solvuntur Opposita.

97. **O**bjic. 1. contra primam assertionem. Deus Exod. 3. se ipsum ita definiit: *Ego sum, qui sum*: Moïsique declaravit divinam essentialiam ita Pharaoni exponendam: *Qui est, misit me ad vos*. Unde Athan. in Orat. contra Gentes: *Dei ratio ipsum est esse*. & D. Thom. 1. P. q. 13. art. 11. in corp. *Dicendum, quod hoc nomen Qui est, triplici ratione est maxime proprium nomen Dei*. 1. Propter sui significationem; non enim significat formam aliquam, sed ipsum esse. Unde cum esse Dei sit ipsa ejus essentia, & hoc nulli alij conveniat, ut supra ostensum est; manifestum est, quod d'inter alia nomina hoc maxime proprie nominat Deum: Ergo essentia metaphysica Dei stat in ente à se. Resp. Conc. ant. & dist. conf. Si pro ente à se intelligatur aliqua Perfectio necessaria absoluta, prout distincta ab alijs perfectionibus necessarijs absolutis neg. si intelligatur ens in omni linea absoluta sibi sufficiens ad defendendum conc. conseq. Quia in hoc sensu complectitur omnes perfectiones absolutas necessarias: neque aliud intendunt supra adducta testimonia, ut constat ex dictis à n. 80. & constabit à n. 121.

98. **O**bjic. 2. Instando simul solutionem. Essentia metaphysica Dei non stat in perfectione sibi formaliter sufficiente ad essendum in omni linea absoluta; ergo stat in Perfectione entis à se, prout distincta ab alijs perfectionibus necessarijs absolutis. Probatur Ant. Essentia metaphysica Dei non debet adaequare significatum hujus nominis Deus in ordine ad omnia, ad quae Deus se extendit: aliter relationes identificate cum essentia essent de constitutivo essentiae: solumque debet adaequare significatum hujus vocis Deus in ordine ad conceptum primum, qui est quasi radix reliquorum Prædicatorum: atqui talis conceptus primarius est peculiaris perfectio entis à se prout distincta ab alijs necessarijs Perfectionibus; ergo &c.

99. **C**onfirm. 1. Licet aggregatum ex perfectionibus divinis absolutis, & relativis sit extensive perfectius aggregato ex solis absolutis;

R. P. Gormaz Theolog. Tom. I.

C

minat

attamen quia Perfectiones relativae non sunt conceptus primarius, sed secundarius; essentia metaphysica Dei non se extendit ad relativa: Atqui omnipotentia, immensitas, & id genus alia non sunt conceptus primarius, sed secundarius: ergo essentia metaphysica Dei non se extendit ad illa. Confirmatur secundò. Significatum hujus nominis Deus non se extendit ad omnem perfectionem possibilem: aliter Deus diceret constitutive Perfectionem simul divinam, & creatam, quae major est quam sola divina; ergo solum se extendit ad radicem formalem omnis perfectionis: nimirum ad ens à se. Confirmatur tertio. Perfectio divina entis à se prout formaliter distincta ab alijs perfectionibus necessarijs tantae aestimationis est, quanta omnes simul sumptae Perfectiones, ut constat à num. 72. Ergo non minus capax est adimplendi significatum hujus vocis Deus, quam omnes perfectiones simul sumptae.

100. **R**esp. Neg. Ant. ad probationem dist. maj. ad quae Deus se extendit, ut contrahibilis per taleitatem essentiae neg. ut includens ipsam taleitatem conc. maj. & neg. min. cum conf. Quia conceptus primarius Deitatis ut contrahibilis per taleitates relationum non solum includit Perfectionem illam entis à se inadæquatam, sed potius adæquatam, quo comprehenduntur omnes necessariae absolutae perfectiones: Istae quidem omnes contrahuntur, ut essentialia per Relationem Paternitatis ad Patrem, per Relationem Filiationis ad Filium, per Relationem Spirationis activae ad Patrem & Filium, & per Relationem spirationis passivae ad Spiritum Sanctum. Ad primam Confirmationem, omitto maj. & neg. min. quia, ut constat ex dictis, omnia prædicata absoluta necessaria sunt de conceptu primario essentiae Dei, cum requirantur formaliter ad adimplendum hujus vocis Deus significatum theologice sumptum, & contrahibile per suas taleitates. Ad secundam Confirmationem dist. ant. ad omnem perfectionem possibilem, quae necessario contrahibilis sit per divinas taleitates neg. quae nõ ita sit contrahibilis conc. ant. & neg. conseq. ejusque suppositum. Falsò quidem supponitur ens à se esse metaphysicam, & essentialem radicem omnis perfectionis essentialis: Etenim Relatio divina est ens à se, & non est de constitutivo divinae essentiae, ut constat ex n. 81. & 86. Perfectiones autem creatae, cum non identificentur cum Deo, nequeunt per divinas taleitates ad Deum contrahi: adeoque neque divinam essentiam constituere.

101. **Q**uin imò aggregatum ex DEO, & creatura non semper est extensive perfectius solo DEO: Etenim dupliciter potest aliqua forma, vel quasi forma objectum suum denominare ex dictis à num. 39. de virtute Penitentiae: nimirum vel per contrarietatem, sicuti Prohibitio divina bona denomi-

minat malam comestionem carnis die veneris: vel per convenientiam, sicuti Præceptum bonum de diligendo Deum reddit eam dilectionem bonam. Quando ergo in concreto ex Deo, & creatura Deus denominat creaturam malam, concretum illud non est bonum, sed malum: non est perfectum, sed imperfectum: adeoque non addit perfectionem extensivam supra Perfectionem solius Dei. Quando verò denominat per convenientiam sicuti in hoc concreto Christus divinitas denominat humanitatem, perfectioni solius Dei superadditur perfectio creaturæ. Neque concretum illud est defectibile quoad omnem perfectionem, quam continet, nempe divinam: sed solum quoad superadditam, nempe creatam; adeoque erit extensivè, perfectius solo Deo, non verò intensivè ut constat n. 74. Quam sententiam latè docet Ex. Doctor lib. 1. de Deo, cap. 5. C. de Lugo *disp. de Incarnatione*, aliique quamplures.

102. Ratio autem ulterior horum omnium est: Quia limitatio Perfectionis propria creaturæ, non est positiva imperfectio, quam Deus abhorret: Aliter sicut non potest sibi unire, & perficere imperfectiorem moralem, ita neq; potuisset sibi unire, & perficere humanitatem. Sed est perfectio minor, quam alia major. Hanc autem Deus meliorare potest. Unde concretum illud contineret per identitatem totam Dei perfectionem revera indefectibilem, quantumvis decretum deficeret, & insuper limitatam creaturæ perfectionem. Hoc autem additamentum vocatur major perfectio extensiva simul cum altero extremo. Et quamvis hæc limitata perfectio, quasi nihil reputeretur comparative ad Deum, revera est aliquid, & quasi punctum respectivè ad lineam, ut ait D. Thom. in 3. *dist. 6. q. 2. art. 3. ad 2. dicens: Bonum creatum se habet ad increatum sicut punctum ad lineam.*

103. Cum autem nihil aliud Theologi intelligant ratione majoris perfectionis extensivæ, exinde tale concretum dicit majorem perfectionem extensivam quam solus Deus: non autem dicit majorem intensivam; quia Deus per illam additam perfectionem nequaquam melioratur: eamque omnem eminenter continet. Sic August. lib. 6. de Trin. c. 7. *Melior autem sit spiritus alicujus creaturæ, cum adhaeret creatori, quam si non adhaereat: & ideo est major quia melior: sed tamen Dominus non ideo sit major, quamvis fiat ille, qui adhaeret Domino.* Ad tertiam Confirmationem Retor. argumentum: Perfectio omnipotentis tantæ stimulationis est, quantæ Perfectio entis à se; ergo essentia metaphysica Dei stat in sola perfectione Omnipotentis. Resp. Deinde *dist. ant. Tantæ perfectionis est realiter & intensivè conf. formaliter, & extensivè neg. ant. & conf. Quia, ut ex dictis constat, significatum formale hujus vocis Deus theologice sumptum, non*

solum adimpletur per eam Perfectionem intensivam, sed ulterius complectitur omnem formalem perfectionem, necessariam, extensivam per divinam taleitatem contrahibilem.

104. Objic. 3. Conceptus constitutivus, atque essentialiter distinctivus essentiae in statu metaphysico est ille Primus, quo intellecto ut contrahente conceptum logicè superiorem sibi proximum, intelligitur talis essentia ut distincta ab omni non ipsa: Sic vivens sentiens est adæquata essentia metaphysica animalis; quia sentiens contrahit vivens sibi proximum, & logicè superius: sed in essentia divina eodem modo se habet Aseitas contrahens ens logicè superius, & aseitati proximum; ens enim immediatissime dividitur in ens à se, & ab alio: Ergo conceptus iste ens à se est adæquata essentia metaphysica Dei.

105. Resp. *dist. maj.* Ut contrahente conceptu adæquando significatū definiti conf. nō adæquando neg. maj. & *dist. min. neg. conf.* Ratio est quia ens à se sumptū tamquam quædam peculiaris perfectio non adæquat formale, & theologicum significatū hujus vocis Deus, ut constat à n. 80. Quinimō conceptus iste formaliter, & se solo convenit alijs à definito, ut constat à n. 81. Quamobrem non sufficit quodcumque distinctivum ad constitutivum adæquatum, ut constat ex n. 83. Sed requiritur distinctivum perfectum, quod tale non erit, si non adæquet significatum formale definiti. Ratio autem horum omnium est: Quia ista divisio entis in ens à se, & ab alio habet subdivisionem: Nam ens à se subdividitur à pluribus in liberum, & necessarium: Necessarium autem subdividitur ab omnibus in relativum, & absolutum. Relativum comprehendit Relationes divinas: Absolutum, omnia prædicata absoluta. Exinde omnia prædicata absoluta necessaria sunt ens à se; unum quidem unitate vocis, sed non unitate formalis perfectionis: Hæc autem, & non alia est differentia essentialis adæquata Deo, suoque generi immediata. Unde axiomata illud: Constitutivum, & distinctivum sunt idem, exponendum est ita: Constitutivum adæquatum, & perfectum distinctivum sunt idem: secus constitutivum inadæquatū, & imperfectum distinctivum: aliter contra ipsos adversarios ens omnipotens esset adæquata essentia metaphysica Dei.

106. Objic. 4. Ens dividitur per differentias contrarias à se, & ab alio, sed differentia ista ab alio constituit cum ente adæquatam essentiam metaphysicam creaturæ: ergo differentia ista à se constituet cum ente adæquatam essentiam metaphysicam Creatoris, sive DEI. Resp. 1. *dist. maj.* dividitur æqualiter neg. inæqualiter conc. maj. & permittitur neg. conf. Ratio est quia ita dividitur per ens ab alio, ut non possit dari aliud, quod sit ab alio, quin sit de essentia saltem

saltem physica creaturæ ob rationem datam n. 68. At per ens à se ita dividitur, ut possit dari aliquid, quod sit à se, nimirum Paternitas, Filiatio, Spiratio, quin sit de essentia adhuc physica Dei, ut constat ex n. 86. & ex n. sup. Unde licet conceptus ille ens ab alio satis esset ad intelligendam essentiam creaturæ; conceptus iste ens à se non est satis ad intelligendam essentiam Dei.

107. Respondent alij 2. Permissa maj. Neg. min. Etenim essentia hominis, & essentia leonis essentia quidem creatæ sunt, adeoque & sunt ens ab alio, quin conceptus iste ens ab alio satis sit ad constituendam essentiam adæquatam metaphysicam hominis, aut leonis. Aliud enim est, quod iste conceptus non possit contrahi nisi ad creaturas, quod significamus, quando dicimus, creatura est ens ab alio; & aliud est, quod adæquet significatum cujuslibet creaturæ: sic Petreitas solum potest prædicari de Petro: nec ideo adæquat totum significatum hujus nominis Petrus: sic animal risibile solum potest contrahi ad hominem, quin adæquet totum significatum hujus vocis homo, ut homo. Pariter aliud est, quod ens à se solum possit contrahi ad Deum; & aliud est, quod adæquet totum significatum hujus nominis Deus ut Deus: primum quidem est verum: secundum autem est falsum, ut constat ex dictis. Hæc solutio plura continet vera: sed indiget explanatione à nobis data in solutione.

108. Objic. 5. contra secundam assertionem. Si essentia metaphysica Dei non staret in aliqua, vel aliquibus Perfectionibus intranscendentibus, ut distinctis ab alijs necessarijs absolutis, nulla essent attributa in Deo contra sensum omnium Theologorum; ergo &c. Confirm. 1. Volitio divina necessaria non est de constitutivo essentia metaphysicæ Dei; ergo essentia Dei non consistit in omnibus, sed in aliqua, vel in aliquibus perfectionibus divinis intranscendentibus. Prob. antec. ex sexta Synodo generali art. 18. juxta Agathonem definitente dari in Christo duas naturas, duasque proprietates: alteram nimirum naturæ divinæ; & alteram naturæ creatæ, ubi voluntatem naturæ divinæ proprietatem appellat; ergo &c. Confirm. 2. Nulla est essentia, quæ suas non habeat proprietates, tum & prædicata primaria, & secundaria; ergo aliqua sunt prædicata absoluta, quæ sunt secundaria, & alia, quæ sunt proprietates: adeoque essentia Dei non stat in omnibus illis, sed in aliqua vel aliquibus perfectionibus intranscendentibus.

109. Resp. Neg. ant. Ratio est, quia licet Theologi valde discrepent circa significationem hujus vocis Attributum, ut demonstrat Valquez 1. P. disp. 116. c. 1. communior tamen Theologorum sensus docet terminum hunc Attributum loquendo de Deo duplicem habere vulgarem significationem: alteram quidem latam, & alteram strictam: Lata significat quodcumque Dei prædicatum, quatenus, quidquid de ipso

prædicamus, ipsi attribuimus. Quo in sensu loquuntur plures Theologi, & Patres ex Anselmo cit. 87. Stricta significat illa sola prædicata formalia, quæ à creatura solent participari per accidentia physica, proprietates, aut potentiam superadditam ex n. 71. Quapropter cum in creaturis intellectio, volitio, bonitas, justitia, potentia supernaturales, sive habitus per se infusi sint accidentia, exinde divina volitio, intellectio, & id genus alia dicuntur attributa in stricta significatione sumpta. Insuper cum intellectio dicatur proprietas, sive propria solius intellectus, eodemque modo volitio proprietas voluntatis, per hanc similitudinem dicuntur etiam in Deo & attributa, & proprietates. Caterum cum hæc contracta ad Deum non sint accidentia, sed substantia, & essentia, exinde non implicat, quod simul sint, & proprietates, & attributa, & essentia.

Ad 1. Confirm. Neg. ant. ad probationem C. ant. & Neg. conseq. quia, ut ex Patribus Græcis, & Latinis ostendit Bernal. disp. 48. de Incarn. sect. 1. in eo sensu Concilij solum est sermo de volitione Dei libera, non verò de necessaria, quæ non est proprietas, sed essentia. Agit enim ibi concilium contra Monotelitas, qui negabant Christo Domino volitionem humanam propriam voluntatis humanæ, & solum concedebant volitionem divinam propriam voluntatis divinæ, contra quos definit unamquamque naturam suas habere proprietates, sive volitiones sibi proprias. Hæc autem locutio valde aliena est à significatione, quam nomen Proprietas, aut Proprium habet apud Logicos: Solumque significat juxta phrasim theologiam rem non alienam, sed propriam, quantumvis essentialem: Sic Paulus 1. Cor. 15. ait: Deus autem dat illi corpus, sicut vult, & unicuique seminum proprium corpus. Corpus autem nō est proprietas, sed de essentia rei corporeæ, ut per se est evidens. Pariter in nostro casu.

Ad 2. Confirm. Omitto ant. & neg. conseq. Quia Relationes divinæ jam sunt quasi prædicata secundaria, & formales proprietates essentia: non quidem secundaria ordine Perfectionis, sed ordine Constitutionis, ut notavi n. 75. Quin imò ant. absolute est falsum: nam ultima rei creatæ proprietates ultra quam non datur alia, habet suam essentiam, & non habet proprietatem: aliter illa proprietates haberet alteram, & alia alteram, & sic in infinitum: adeoque quæcumque res haberet prædicata infinita. Sin autem, clarius rogo: Aggregato omnium formalitatum quas proprietates assignares? Si ergo aggregato, quod per accidens amplectitur omnes proprietates, non est absurdum nullum assignari posse proprietatem, quid mirum enti, cujus est per se omnis perfectio simpliciter simplex, nullam assignari posse nisi relativas. Si autem dicatur, quod tunc eadem res secundum convenientiam, quæ habet cum alterius prædicatis essentialibus dicitur essentia & secundum convenientiam, quam habet cum alterius

proprietas, dicitur proprietas; jam in hoc sensu clarissime apparent in Deo essentia, & proprietas, prædicata primaria, & secundaria, ut constat ex n. 109.

112. Objic. 6. Contra tertiam assertionem, quando lumine naturæ Deum non quidem chimericum, sed verum, concipimus, non solum intelligimus cumulum omnis necessariæ absolutæ perfectionis, à quo excluduntur relationes, & actus liberi, sed potius concipimus cumulum omnis perfectionis, quæ realiter cum illo cumulo identificatur. atqui relationes, & actus liberi identificantur cum illo cumulo omnis perfectionis, ergo relationes divinæ, & actus liberi sunt de essentia reali, & physica Dei, sumpta saltem essentia pro tota Dei realitate. Resp. dist. maj. Non solum intelligimus explicitè, & quoad quomodo sit conc. implicitè, & quoad an sit neg. maj. & concessa min. neg. conf. Ratio est, quia nomine Dei intelligimus cumulum perfectionis, qui necessario identificetur cū omni eo, quod est Deus: Sicuti nomine essentiæ physici Petri intelligimus cumulum omnium prædicatorum, quæ identificantur physice cum omni eo, quod est Petrus: & nomine essentiæ metaphysicæ hominis cumulum omnium prædicatorum, quæ identificantur metaphysice cum omni eo, quod est homo. An autem dentur Relationes, & actus liberi non habentes talem necessariam identitatem, hoc lumine naturæ non cognoscimus, sed excedit naturalem rationem, ut constat à n. 3.
113. Exinde non possumus explicitè eas relativas, & liberas Perfectiones solo lumine naturæ ab eo cumulo explicitè auferre. Bene verò implicitè: Nam si doceamur ex fide dari tales Relationes, & ex principijs theologicis dari tales virtualitates liberas defectibiles, statim inferimus eas non esse de essentia Dei physica, quam concipiebamus, neq; de constitutivo illius cumuli, ut constat à n. 83. Sic ex eo quòd ista essentia metaphysica hominis animal rationale contrahatur ad omne illud, quod est Homo, nimirum ad Petrum, Paulum, & sic de cæteris, & quòd Petreitas non contrahitur ad omne illud, quod est Homo, nimirum ad Paulum, nec Pauleitas ad Petrum, exinde clarè inferimus Petreitatem non esse de essentia metaphysica Hominis, & sic de cæteris. Quod autem metaphysicè evenit in essentia Hominis, evenit physice in essentia Dei, ut ex fide latè ostendit Augustinus omnino videndus lib. 7. de Trin. à. c. 6. cùm eadem indivisibilis Dei essentia identificetur realiter cum Patre, Filio, & Spiritu S. & Paternitas nõ identificetur realiter cū Filiatione, nec Filiatione cum passiva Spiritatione. Idemq; suo modo de actibus liberis, si sint virtualitates defectibiles.
114. Objic. 7. Omnia prædicata, quæ sunt de essentia physica Dei, sunt communia tribus divinis Personis: atqui non sunt communia tribus divinis Personis omnia prædicata necessaria, absoluta; ergo nõ sunt de essentia Dei physica omnia prædicata necessaria absoluta. Probatur min. Ea, quæ conveniunt Deitati prout virtualiter à Re-

lationibus distinctæ, sunt prædicata absoluta; adeoq; identificari cū tribus realiter inter se distinctis, esse communem tribus, esse trinè personabilem, sive in tribus subsistere sunt prædicata absoluta: atqui non sunt communia tribus Personis, Pater enim (idemque suo modo de Filio, & Spiritu S.) non identificatur cum tribus, non est communis tribus, non est trinè personabilis; ergo &c. Hoc argumentum non est peculiare contra nos, sed contra omnes Theologos, cùm omnes dicant, & dicere teneantur prædicata absoluta esse tribus Personis communia. At fati id non est ad solvendam difficultatem; debemus enim pro alijs, & pro nobis respondere. Vidi enim sæpius non paucos his terminis implicatos. Quapropter

Resp. Dist. maj. Sunt communia vel concretivè, & denominativè, vel solum substantivè, & identicè conc. semper concretivè, & denominativè neg. maj. dist. min. neg. conf. Ad probat. conc. maj. & dist. min. non sunt communia tribus concretivè, & denominativè conc. substantivè, & identicè neg. min. & consequ. Explico distinctionem. Etenim in divinis quando unum prædicatur neutraliter de alio, dicitur prædicari substantivè, & identicè: Sic verè dicitur, Paternitas est id, quod est natura, est id, quod est commune, quod est trinè personabile. Quando verò non solum prædicatur neutraliter, sed etiam in concreto alicujus denominationis, dicitur prædicari concretivè, & denominativè: Sic dicitur Natura est communis, & non solum id, quod est commune: Natura non est producta, licet sit id, quod est productum; Illæ quippe denominationes requirunt aliquid prædicatum identificatum cum natura, & distinctum realiter à Relatione, quæ cum natura identificatur, ut clariùs constabit à n. 157. Sic denominatio Producti requirit distinctionem realem à producente, quam cùm habeat Filius respectu Patris, verè dicitur Filius produciri à Patre. Denominatio autem producentis requirit distinctionem à producto, atq; adeo verè dicitur, Pater producit Filium: Natura verò, cùm neq; distinguatur à producto neq; à producente, exinde nequit dici, natura est producta, aut natura est producens.

Pariter re denominari communè requirit identitatem mutua cū Personalitatibus, quibus est communis. Cùm autem natura identificetur cū Personalitatibus, & una Personalitas non identificetur cum alia, exinde natura denominatur communis, secus autem Personalitas. Identitas enim realis naturæ cū Personalitatibus confurget ex pluribus virtualiter partialibus identitatibus, nimirum ex identitate se tenente ex parte naturæ ad quamlibet relationem, & ex identitate se tenente ex parte cujuslibet Relationis ad naturam: unaquæq; autè Personalitas solum identificatur cū identitate, quàm dicit natura ex parte sui, nõ verò cum identitate, quàm altera Personalitas ex parte sui dicit ad naturam; adeoq; natura solum est communis Personalitatibus substantivè, & identicè: Secus autem concretivè, & denominativè.

minativè. Unde non est verum dicere: unaquæque Personalitas est communis, bene verò unaquæque Personalitas est id, quod est commune: nimirum est illa substantia, essentia, sive natura divina, ut definit Later. citatum n. 3.

117. Quapropter prædicata absoluta solum possunt denominare Personas per denominationem non oppositam denominationi ipsarum peculiarari, sicut in istis: Pater est omnipotens, Pater est æternus, non verò per denominationem oppositam denominationi ipsarum peculiarari, ut exemplis appositis n. 114. Sic naturæ ratione sui convenit, quòd non sit genita neque producta. Hanc autem denominationem dare non potest Filio, aut Spiritui S. propter rationem assignatam. Sic etiam Homo per sua prædicata denominatur similis leoni in ordine ad connotatum, quòd non arguit distinctionem realem ab illo: adeoque verè dicitur: Homo in ordine ad sensationes est similis leoni, secus in ordine ad connotatum, quòd arguit distinctionem realem a leone. Sic falsò dicitur, homo in ordine ad discursus est similis leoni. Interventit autem magnum discrimen inter denominationes creatas, & divinas; nam in creatis quicquid superadditur concreto constitutivè, ut habeat denominationem, dicitur de essentia illius: in divinis verò solum potest dici esse de quidditate, non autem de essentia: Sic Personalitas, quæ cum natura divina constituit Personam, non est de essentia, sed solum de quidditate Personæ. Ratio est, quia ad essentiam requiritur, quòd identificetur cù omnibus, qui sunt ejusdem essentia: secus autè ad quidditatem, quæ est peculiaris illius essentiæ contractio ex dictis à n. 68.

- Objic. 8. contra quartam asserionem, Damascenus 1. de Fide cap. 4. ait Bonum, Justum, Sapiens non esse Dei naturam, sed ea quæ sunt circa naturam: Quod etiam asserunt Augustinus, Cyrillus, & alij Patres, sed ea, quæ non sunt de constitutivo naturæ divinæ, non sunt de constitutivo essentiæ divinæ; ergo &c. Resp. dist. maj. Non esse Dei naturam, si considerentur solum ex genere suo conc. ut perfectiones divinæ absolutæ neg. maj. & dist. min. neg. conf. Ratio est quia SS. PP. solum docent ea prædicata in creaturis non esse essentialia, sed attributaria; adeoque ex genere suo non habere, quòd sint de essentia rei, cujus sunt ex dictis n. 109. Si autem considerentur, ut revera sunt Perfectiones divinæ absolutæ, & necessariae, nunquam dicuntur à SS. PP. extra essentialia, sed essentialia, ut constat à n. 87. Sic etiam expressè Augustinus lib. 7. de Trin. c. 8. Sapientia Pater, sapientia Filius, & sapientia Spiritus S. & quia hoc est ibi esse, quòd sapere, una essentia Pater, & Filius, & Spiritus S. Et lib. 8. prope initium: Nec tamen tres Dei, aut tres Domini. aut tres omnipotentes, sed unus Deus Dominus omnipotens ipsa Trinitas, & quicquid aliud non ad invicem relativè, sed ad se singuli dicuntur. Hoc enim secundum essentiam dicuntur, quia hoc est ibi esse, quòd magnum esse, quòd bonum esse, quòd sapientem esse, &

quicquid aliud ad se unaqueque ibi Persona, vel ipsa Trinitas dicitur. Hæc Augustinus.

- Objic. 9. Licet volitivum, & risivum sit idem realiter cum omni eo, quod est homo, hoc non sufficit, ut sit de essentia metaphysica hominis; sunt enim proprietates metaphysicæ; ergo licet omnia prædicata necessaria absoluta sint idem realiter cum omni eo, quod est Deus, hoc non sufficit, ut sit de essentia metaphysica Dei, sed erunt metaphysicæ proprietates. Probatur consequenter. Ideo essentia hominis est solum animal rationale, quia per hæc prædicata discernitur ab omni non homine: sed etiam Deus independentè à cumulo omnium Perfectionum per aliquod solum divinum prædicatum plene discernitur ab omni non Deo, ergo &c. Resp. Conc. ant. & neg. consequenter, ad probat. dist. maj. Discernitur adimplendo significatum formale hujus vocis homo, conc. non adimplendo neg. maj. & dist. min. neg. consequenter. Ratio est, quia ex veterum Philosophorum placito & institutione, hæc vox homo solum significat formaliter principium sensationis, & discursus: adeoque plene adæquatur per animal rationale. significatum autem formale hujus vocis Deus non adimpletur per unam, aut alteram Perfectionem, sed per cumulum explicatum, ut constat ex ore SS. PP. à n. 91. & 90. adeoque ejus metaphysica essentia solum in eo cumulo potest constare. Ratio etiam Theologica clarissime suffragatur; quia differentia essentialis hominis proximior suo generi immediato animal, est rationale: adeoque animal rationale adimplet totum significatum hominis, ut hominis: Differentia verò essentialis Dei immediata suo generi supremo entis est aseitas non quidem relativa, sed essentialis complectens omnia prædicata necessaria absoluta, ut constat ex n. 105. adeoque sola ista cum suo genere potest adimplere totum significatum Dei, ut Dei. Ratio autem universalis est, quia homo philosophicè consideratus, constans quidem corpore & spiritu definiri debet in ordine ad nobiliora sua connotata, quæ sunt sensatio & discursus, ac proinde ad implendum significatum hominis, ut hominis philosophicè considerati, debent quæri genus & differentia, quæ adimpleant significationem horum duorum conceptuum, videlicet principium sensationis & principium discursus, cumque isti conceptus proximè adimpleantur per animal rationale, exinde ista est perfecta definitio hominis, ut hominis philosophicè considerati. Dico philosophicè considerati, nam si homo non prout à philosophis consideretur, sed prout consideratur à medicis, alia assignanda est definitio illius, ut impleat significatum illius, ut pertinet ad medicinam, ut præmonui n. 70. quare si conceptus primò distinctivus rei ab omni non ipsa non adimpleat significatum rei, prout pertinentis ad facultatem, in qua definitur, non erit bona rei definitio: Sic iste conceptus animal apprehensivum, aut animal judicativum distinguit primò hominè ab omni

non ipso, at quia non adimplet significatum hominis ut hominis philosophice considerati, non definiretur bene homo per illum conceptum. Quod sanè voluerunt explicare philosophi, quando inter regulas bonæ definitionis appoluerunt non solum istas: definitio non debet convenire alijs à definito, definitio debet converti cum definito, ex quibus jam distinguebatur res ab omni non ipsa, sed addiderunt hanc alteram, definitio debet explicare essentiam definiti, quod perinde est ac adæquare definiti significatum: unde Philosophi in arboris compositione dividentes genus supremum in essentielles differentias, non dividunt vivens in *judicativum* & *non judicativum*, sed in *rationale* & *irrationale*, per quas adimpletur rei significatum. Ex quo apparet iterum sensus trium illarum regularum, quas commemoravimus; cum autem DEUS ut DEUS non adæquetur nisi per istum conceptum: Ens sibi sufficiens ad essendum in omni linea; non potest aliter metaphysicè defini nisi per conceptum hæc omnia comprehendentem, qualis est, cumulus perfectionum necessariorum absolutarum.

120. **Objic. 10.** Ideo in Trinitate secunda Persona est Filius præ Tertia; quia secundæ communicatur formaliter, sive ex vi formalis Processionis, natura, sive essentia Divina, non verò tertiæ, cui ex vi formalis Processionis communicatur volitio; ergo volitio, adeoque & alia hujus generis prædicata necessaria absoluta non sunt de constitutivo essentia divina. **Resp. Neg. Antec.** quia, cum secunda & tertia Persona ex vi formalis Processionis sit Deus, habet ex vi formalis Processionis Deitatem, ly ex vi formalis Processionis cadente supra absoluta, adeoque & omnia prædicata necessaria absoluta. Unde non ex hoc, sed ex alio Titulo habet secunda Persona quòd sit Filius præ tertia, ut dicemus in Tract. de Trinitate. Ad Filium enim, ut ibi latè dicemus, non sufficit quòd sit vivens formale sive per actum cum ipso identificatum, sed ex doctrina conciliorum, P. P. Theologorum, & Philosophorum requiritur, quòd sit vivens activum à vivente activo: item quòd vivat per actum vitalem ab ipso productum. Pater autem vivit per Filiationem ab ipso productam, & Filius per spirationem, quam cum Patre producit. At Spiritus Sanctus nullum terminum producit ad intra, adeoque non vivit per ullum actum ab ipso productum, sed solum est vivens formale. Quapropter secunda Persona est vivens

activum à vivente activo in similitudinè naturæ, adeoque & Filius. Tertia verò Persona non est vivens activum à vivente activo, adeoque non est Filius.

**Objic. 11.** Ad essentiam metaphysicam Dei servanda est ex testimonijs P. P. analogia Pelagi, adeoque sicut ad veritatem Pelagi non requiritur plenitudo omnium aquarum, sed sufficit summitas aquæ, à qua cæteræ derivantur; & ad quam omnes aliæ tamquam ad centrum suum reducuntur: ita ad Pelagus omnis perfectionis, sive ad essentiam metaphysicam Dei, sufficit ens à se, quod est summum, à quo cæteræ perfectiones derivantur, & ad quod reducuntur; Ergo &c. **Conf.** eo quòd Deus sit ens à se, continet, & legitime radicat omnes alias perfectiones: etenim, si est ens à se, sibi sufficit ad essendum: adeoque necessariò existit; in necessitatem. Si sibi sufficit, æternus est. Nam quod necessarium est, semper est; in æternitatem. Si sibi sufficit, infinitus est, cum non habeat, unde limitetur; in infinitatem. Si sibi sufficit, immensus est, illimitatum namque contineri loco non potest; in immensitatem. Si sibi sufficit, immutabilis est; nam enti illimitato non potest addi, quod mutet; in immutabilitatem. Quo modo discurrendi facile demonstrantur reliquæ perfectiones. Videatur Maurus tom. 5. quæst. Phil. q. 43. ergo &c.

**Resp. Dist. Ant.** Analogia Pelagi præscindens à limitato, & illimitato neg. non præscindens C. ant. & neg. consequ. Ratio est, quia ens à se in omni linea formali absoluta illimitatum, quo Analogia Pelagi ex testimonijs P. P. ad Deum contrahitur, non infert omnes perfectiones simpliciter simplices ut prædicata derivata, sed tanquam partes, vel quasi partes formales inclusas in toto juxta doctrinam Augusti. cit. n. 118. Sicuti homo infert hæc prædicata animal rationale. Etenim perfecta sufficientia in omni linea formali absoluta, si definitivè resolvatur in sua constitutiva, non minus includet singulas illas perfectiones, quam homo includat animal rationale. Unde ex hoc argumento potius roboratur assertio nostra. Ad Confirmationem dist. eodem modo ant. continet, & radicat eas perfectiones ut prædicata derivata Neg. ut constitutiva C. ant. & neg. conf. Unde ens à se in omni linea formali necessaria, & absoluta illimitatum, est sit singulare singularitate vocis, & nominis, non est singulare singularitate formali perfectionis ex dictis n. 105.

## DISPUTATIO III.

### DE ATTRIBUTIS, EORUMQUE DISTINCTIONE.

123. **A**tributa sive latè, sive strictè sumpta ex n. 109. sunt veræ Perfectiones divinae: adeoque sunt prædicata Dei positiva. Cæterum quia aliqua explicamus positivè, sive per simi-

litudinem, & alia negativè, sive per dissimilitudinem ad perfectiones creatas, ea de causa à Theologis dividuntur attributa in positiva, ut esse bonum, justum, sapientem; & in negativa

gativa, ut esse incorporeum, immutabilem, incomprehensibilem, ineffabilem, & sic de alijs. Rursus alia dicuntur respectiva, quæ exercentur per respectum ad creaturas; Ut Omnipotentia, Providentia, Justitia, Misericordia: alia absoluta, quæ non imbibunt eum respectum, ut esse simplicem, unum, Perfectum; Demum alia dicuntur pertinere ad operationem, ut Omnipotentia, Voluntas, Misericordia; alia ad entitatem, ut simplicitas, Perfectio, Bonitas. Unumquodque autem ex illis esse perfectionem simpliciter simplicem constat à n. 28. & 76. Quærimus modò, quamnam inter se, & cum relationibus distinctionem præferant.

SECTIO I.

Utrum Attributa virtualiter intrinsecè inter se distinguantur.

124. Supp. 1. Inter essentiam divinam, & relationes dari id, quod communiter venit apud Theologos nomine distinctionis virtualis intrinsecæ, quam alij formalem ex natura rei, ut plerique Scristæ: alij Rationis ratiocinatæ, seu rationis cum fundamento in re, ut plerique Thomistæ: alij realem secundum quid, seu realem diminutam: alij eminentialem, alij virtuales intrinsecam appellat. Cæterum quamvis quoad vocem inter Authores istos dissentio sit, quoad rem autem significatam per vocem omnes Catholici in Mysterio Trinitatis conveniunt. Ratio est, quia Distinctio, seu res per eas voces significata nihil aliud indicat, nisi quod essentia, sive natura divina, ita realiter identificatur cum quacumque relatione, ut realiter absolute possit aliquid prædicari de natura, seu essentia divina, quod realiter absolute prædicari nequit de relatione, quæ Prædicationes vocari solent prædicata aliàs contradictoria.

125. Modò sic. Apud omnes Catholicos certum est realiter absolute prædicari aliquid de natura, quod realiter absolute non prædicatur de relatione: Sic hæc propositio realiter absolute est vera: Natura identificatur cum Paternitate, Filiatione, & Spiratione passiva: hæc autem est falsa: Paternitas identificatur cum Filiatione, aut cum Spiratione passiva. Sic etiam ista est vera: Filiatio identificata cum natura producitur: & hæc est falsa: Natura identificata cum Filiatione producitur: hæc est vera: Natura in tribus Personis est una indivisibilis: & hæc est falsa: Personalitas in tribus Personis est una indivisibilis: Hoc autem intelligimus nomine distinctionis virtualis intrinsecæ, sive quocumque alio nomine apellatur. Et hoc venit apud Theologos pro capacitate ad admitenda prædicata aliàs intrinsecè contradictoria inter perfectiones realiter identificatas; ergo &c.

126. Supp. 2. Hujusmodi Prædicationes non esse contradictorias. Ratio est quia prædicationes contradictoriæ non possunt esse simul veræ;

sed si una illarum sit vera, altera debet esse falsa: Illæ autem prædicationes sunt simul veræ, ut constat ex fide, & dicemus in Tract. de Trin. verificantur enim ob infinitam Dei Perfectionem exuperantem captum nostrum & limitationem nostri intellectus ex n. 3. nec verificari possunt nisi in illo infinito pelago Perfectionis; ideoque dicuntur propositiones aliàs contradictoriæ; ea autem prædicata, de quibus verificantur, sunt, & dicuntur realiter eadem virtualiter autem intrinsecè distincta. Quærimus modò, An hujusmodi prædicatorum aliàs contradictorium verificatio reperiri possit inter divina Attributa: nimirum inter intellectum, & voluntatem, omnipotentiam, & immanentiam, & sic de alijs. Punctum enim istud est tanti momenti; ut merito D. Thomas 1. dist. 2. q. 1. art. 3. in corp. dixerit: *ex hoc pendet totus intellectus eorum, quæ in primo libro dicuntur.*

127. Ratio pronunciari Angelici Præceptoris satis clara est; quia si unusquisque vellet pro libito suo inter quæcumque prædicata divina intrinsecam distinctionem virtuales admittere, ad quæcumque absurda exinde deducta responderet utrumque ibi conciliari ratione talis distinctionis, quæ est capacitas ad verificandas simul inter perfectiones realiter identificatas propositiones aliàs contradictorias; ex quo facile aperiretur via ad ingentes errores. Quapropter ne errores ita appareant, & ne frena plus iusto laxentur, atinet ad Theologos quærere, ubi, & quando ea distinctio possit admitti, rationesque adducere, quibus impugnetur, qui contraria sentiat, ne sibi liberum sit, ubicumque voluerit, distinctionem illam admittere: Debemus enim rationes deducere ex eo principio apud omnes Catholicos certo, nimirum omnia prædicata necessaria absoluta esse realiter identificata, ut exigit summa Dei simplicitas, & diximus à n. 3. Etenim, ut docent Theologi cum Anselmo, in divinis omnia sunt communia, ubi non inest oppositio relativa. Exinde

128. Supp. 3. Repugnare inter Attributa divina distinctionem virtuales intrinsecam, si ad istam requiratur distinctio realis in Tertio. Ratio est, quia, ut detur distinctio realis in 3. requiritur quod dentur duo extrema realiter absolute inter se distincta, & identificata realiter absolute cum uno tertio: ad eum modum, quo Paternitas, & Filiatio realiter absolute inter se distinguuntur, & realiter absolute identificantur cum uno tertio. nimirum cum eadem indivisibili natura divina. Qua de causa natura divina identificata realiter cum Paternitate, identificatur etiam cum Filiatione realiter absolute distincta à Paternitate, in quo stat distinctio realis in tertio naturæ à Paternitate: Cum autem non possint dari duo attributa divina, sive duo prædicata necessaria absoluta realiter inter se distincta, exinde repugnat distinctio realis in tertio inter Attributa divina; adeoque & distinctio

distinctio virtualis intrinseca, si hæc nihil aliud sit, quam distinctio realis in tertio. Id autem, quo unum prædicatum est aliud, dicitur Identitas, & id, quo non est aliud, dicitur distinctio: Unde Identitas definitur solet: mutua affirmabilitas vera prædicatorum in recto. Distinctio verò mutua negabilitas vera prædicatorum in recto.

129. Pro decisione igitur hujus & aliarum quamplurimum difficultatum, quæ in Tractatu de Deo, & per totam ferè Theologiam, & Philosophiâ circumferuntur: quærimus, an possit dari distinctio virtualis intrinseca, quæ non sit realis in tertio. Celeberrima est in scholis hæc nostra ætate ista controversia, & quidem utrinque difficillima. Nullus ferè ex antiquis hæc Queros eam in propriis terminis agitavit. Ex Recentioribus autem plures utramque sententiam tum affirmantem, tum negantem probabilem judicant, at indecisam relinquunt: quia, ut ipsi fatentur, in quam partem inclinent, nesciunt. Inter eos verò, qui rem decidunt, duplex est sententia. Prima affirmat posse dari distinctionem virtuales intrinsecam, quæ non sit realis in tertio; ita plures Recentiores cum Herrera Tract. de Trinitate. Secunda negat: ita Antonius Perez, Esparza, Ribadineira & Queros, qui rem latissime illustravit *disp. 15. de essentia, & Attributis per 23. integras sectiones. & disp. 33. de Trinitate per 16. Sectiones.* Tum etiam & plures alij Recentiores cum ipsis.

130. Affero cum secunda sententia. Impossibilis est distinctio virtualis intrinseca, quæ non arguat distinctionem realem in tertio. Probat. 1. Quando duo extrema virtualiter intrinsecè distinguuntur, habent capacitatem ad verificanda prædicata intrinseca aliâ contradictoria: ergo intrinsecè convenit aliquid uni extremo, quod intrinsecè non convenit alteri: In hoc enim stat verificatio intrinseca prædicatorum aliâ contradictoriorum: sed ex hoc inferitur distinctio realis in tertio. Ergo impossibilis est distinctio virtualis intrinseca, quæ non arguat distinctionem realem in tertio. Minor subsumpta, in qua stare potest difficultas, probatur: ex eo, quod conveniat aliquid intrinsecè uni extremo, quod intrinsecè non convenit alteri, identificato cum illo, illud aliquid affirmatur intrinsecè de uno, & negatur intrinsecè de altero: atqui affirmari intrinsecè de uno, & negari intrinsecè de altero, est identificari realiter cum uno, & non identificari realiter cum altero, in quo stat distinctio realis in tertio. Ergo &c.

131. Confirmatur exemplis hæc ratio: ex eo quod Paternitas, & natura distinguantur virtualiter intrinsecè ratione Filiationis, Filiatio affirmatur intrinsecè de natura, & negatur intrinsecè de Paternitate: sed ex eo quod Filiatio affirmatur intrinsecè de natura, & negatur intrinsecè de Paternitate, Filiatio identificatur cum natura, & non identificatur cum Paternitate, in

quo stat distinctio realis in tertio: natura enim licet immediatè identificetur cum Paternitate, distinguitur tamen à Paternitate mediatè sive in tertio; nempe in Filiatione, cum qua identificatur natura, & non Paternitas: ergo idem evenit in qualibet distinctione virtuali intrinseca. Probat. conseq. In qualibet distinctione virtuali intrinseca dantur duo extrema realiter identificata, & aliquid affirmatur realiter de uno, quod affirmari nequit realiter de altero, adeoque identificatur cum uno, & distinguitur realiter ab altero juxta naturam prædicationis, ut clarius constabit, n. 156. sed hæc est distinctio realis in tertio. Ergo &c.

Resp. 1. Ex Herrera, distinctionem virtuales intrinsecam quæ talem non arguere distinctionem realem in tertio. Ratio est, inquit, quia dantur distinctiones virtuales intrinsecæ, in quibus id, quod affirmatur de uno extremo, & negatur de altero, non negatur realiter, sed virtualiter; adeoque tunc illa negatio non arguit distinctionem realem, sed virtuales. Contra 1. Quando extrema realiter identificantur, licet sint virtualiter distincta, negari nequit unum extremum de altero: ea propter ante operationem intellectûs, quia Paternitas, & natura, identificantur realiter, verè dicimus Paternitas est natura; & falsò dicimus Paternitas non est natura: Ergo id, quod verè affirmatur de natura, & affirmari nequit de Paternitate, magis distinguitur à Paternitate, quam distinguatur Paternitas à natura.

Modò sic. Paternitas distinguitur virtualiter intrinsecè à natura; ergo id, quod affirmatur realiter de natura, & negatur realiter de Paternitate, ratione hujus præcisæ negationis distinguatur magis à Paternitate, quam distinguatur Paternitas à natura: atqui Paternitas distinguitur virtualiter intrinsecè à natura; ergo illud aliud distinguitur plusquam virtualiter intrinsecè à Paternitate: atqui distingui plusquam virtualiter intrinsecè à Paternitate est distingui realiter absolute; nulla enim datur distinctio major distinctione virtuali intrinseca, nisi realis absoluta; Ergo &c.

Contra secundò. Si illud, quod affirmatur verè de natura, & negatur de Paternitate, negaretur solùm virtualiter, adeoque & solùm virtualiter intrinsecè distingueretur à Paternitate, quævis distinctio intrinseca virtualis argueret processum in infinitum virtualium distinctionum, ac proinde ludibrio exponeret prædicata, in quibus fundaretur; cum nunquam assignari possent realia, sed solùm virtualia: sed hoc dici non potest; ergo &c. Probat. sequela: Si illud tertium prædicatum, quod negatur de Paternitate, solùm distingueretur virtualiter intrinsecè à Paternitate, conveniret aliquid illi tertio, quod non conveniret Paternitati; hoc enim requiritur ad distinctionem virtuales intrinsecam inter illud tertium, & Paternitatem.

Modò sic: Id, quod conveniret illi tertio, & non conveniret Paternitati, vel negaretur de

Paternitate solum virtualiter, vel negaretur realiter: Si primum; procedit argumentum per processum in infinitum: Si secundum, ergo realiter conveniret illi tertio, quod realiter non conveniret Paternitati: sed hoc est identificari realiter cum illo tertio, & distingui realiter à Paternitate, in quo stat distinctio realis in tertio. Ergo quævis distinctio virtualis intrinsecè argueret processum in infinitum distinctionum, si revera non argueret distinctionem realem in tertio.

136. Contra tertio, omnis distinctio virtualis intrinsecè est æquivalentia ad res realiter distinctas in ordine ad verificanda prædicata aliàs contradictoria: atqui in rebus realiter distinctis quod affirmatur realiter absolute de una, negatur realiter absolute de altera: ergo in rebus virtualiter intrinsecè distinctis, quod realiter absolute affirmatur de una, realiter absolute negatur de altera; aliter non esset æquivalentia ad res realiter distinctas in ordine ad verificanda prædicata aliàs contradictoria.

137. Modò sic: Quod realiter absolute affirmatur de uno, & realiter absolute negatur de altero, realiter absolute identificatur cum uno, & distinguitur ab altero, in quo stat distinctio realis in tertio; etenim quævis res identificatur realiter absolute cum eo, quod realiter absolute est talis res, & distinguitur ab eo, quod realiter absolute non est talis res: Perinde quidem se habet Paternitatem non esse realiter absolute Filiationem, ac distingui realiter à Filiatione; sive naturam esse realiter absolute Filiationem, ac identificari realiter cum Filiatione; ergo &c.

138. Contra quartò, & demus adversarijs intelligentiam, & volitionem divinam distingui virtualiter intrinsecè; quia admittunt has propositiones aliàs contradictorias: Intellectio est principium quo verbi, volitio non est principium quo verbi. Modò sic: vel principium quo verè negatur realiter de volitione, vel non: Si primum; ergo volitio distinguitur realiter à principio quo identificato cum intellectu, adeoque intellectio, volitio, & principium quo ita se habebunt, ut intellectio identificetur realiter cum principio quo, & cum volitione: Principium autem quo, & volitio realiter inter se distinguantur, in quo stat distinctio realis in tertio. Si secundum; ergo quidquid convenit realiter intellectio, convenit quoque realiter volitioni: adeoque intellectio, & volitio nequeunt distingui virtualiter intrinsecè ratione principij quo, contra id, quod ipsi adversarij supponunt.

139. Contra quintò, & explicatur ulterius vis argumenti. In hypothesei confecta ab adversarijs hæc est vera Propositio: Volitio est intellectio: & hæc est falsa: volitio est principium quo verbi: ergo principium quo magis distinguitur à volitione; quam volitio ab intellectu; cum intellectio affirmetur de volitione, de qua non affirmatur principium quo: atqui intellectio ex

R. P. Gormaz Theolog. Tom. 1.

adversarijs distinguitur virtualiter intrinsecè à volitione; ergo principium quo distinguitur à volitione plusquam virtualiter intrinsecè: sed hoc est distingui realiter absolute ex n. 132. ergo &c.

140. Respondebis secundo; Dari duplex genus Prædicationum: nam aliæ sunt, in quibus prædicatum abstractè dicitur de subjecto; & aliæ, in quibus solum concretè dicitur. In Prædicatione autem abstracti de subjecto, si verè negatur prædicatum de subjecto ex conditione verbi est, negatur identitas realis inter utrumque. In prædicatione verò concretè non negatur identitas realis, sed solum prædicatum concretè acceptum: Ut autem concretè accipiatur, ultra realem identitatem prædicati cum subjecto debet dari id, quod requiritur ad denominationem prædicati in concreto: Cum verò inter prædicata divina quandoque ad denominationem requiratur, ultra identitatem realem, etiam identitas virtualis, deficiente identitate virtuali, deficit denominatio: adeoque ut verè negetur denominatio; sive prædicatum concretè sumptum; satis est quod inter prædicatum, & subjectum deficiat identitas virtualis: exinde negatio illa non arguit distinctionem ullam realem inter prædicatum, & subjectum: sed solum virtuale. Quapropter hæc est vera prædicatione in abstracto: natura est productio, est Filiatio, quæ est producta. Voluntas est intellectio. Fac concretum: natura est producta: voluntas est intelligens, falsò dicitis, & verè negas. Quid autem negas? Identitatem realem neutiquam; quia sic falsò negas. Unde solum negatur identitas virtualis propter rationem assignatam; adeoque ex distinctione virtuali nequaquam arguitur realis in tertio. Hæc est tota solutio, in qua invenire non potui, nisi sub involucro vocum petitionem principij. Quapropter

141. Contra primò. Quando prædicatum distinctum virtualiter à subjecto negari nequit simpliciter de subjecto, si sumatur in abstracto, & negatur verè, si sumatur in concreto, subjectum illud non est capax, & expeditum ad denominationem per illam formam in concreto; licet sit capax, & expeditum ad denominationem in abstracto: sed nequit subjectum ita esse incapax ad denominationem in concreto; & capax ad denominationem in abstracto, quin ad eam denominationem significetur aliquid identificatum realiter cum uno extremo, & distinctum realiter ab altero, in quo stat distinctio realis in tertio; ergo &c. Probat, min. quod solum distinguitur virtualiter à subjecto, non reddit subjectum incapax, ne denominetur simpliciter absolute: Sic natura, & Paternitas, quia solum distinguuntur virtualiter, admittunt has denominationes verissimas: natura est Paternitas, Paternitas est natura. Tum etià istæ propositiones: Pater est spiratio activa, Pater est spirator, Filius est spiratio activa, Filius est spirator, tã in abstracto, quam in concreto verissimæ sunt; quia licet prædicatum

D

tam

tam in concreto, quàm in abstracto non habeat identitatem virtuaalem cum subjecto, artamen nihil determinare significat, quod non habeat identitatem realem; ergo &c.

142. Contra secundò. Negare in concreto identitatem virtuaalem, formalissimè est concedere virtuaalem distinctionem: atqui distinctio virtualis dari non potest, quin inter duo prædicata realiter identificata conveniat realiter uni, quod realiter non convenit alteri, ut constat à n. 132. Contra tertio. Expendendo ipsa exempla adversariorum: Ideo natura non est capax hujus denominationis in concreto, *Natura est producta*, neque Filiatio est capax hujus denominationis in concreto, *Filiatio non est producta*; quia in divinis, quod producit, distinguitur à producente, & quod non producit, identificatur cum illo: Cum autem natura non distinguatur à producente, nequit denominari producta: & cum Filiatio non identificetur cum producente, nequit denominari non producta: sed eo ipso prædicatum capax simpliciter absolute unius denominationis, & incapax alterius, arguit prædicatum reale identificatum cum uno extremo, & distinctum realiter ab altero, ut per se patet; ergo &c. Unde supposita veritate harum propositionum in divinis: voluntas est intellectus: Intellectus est intelligens; Hæc etiam debet esse vera simpliciter absolute: Voluntas est intelligens; aliter *ly intelligens* deberet arguere aliquod prædicatum identificatum realiter cum intellectu, & distinctum realiter à voluntate.

143. Contra quartò. Tria requiruntur ad denominationem: subjectum capax, & expeditum, forma denominans, & modus habendi: Posito enim Petro capaci & expedito ad denominationem albi, posita albedine, & modo, seu unione albedinis cum Petro nequit Petrus non denominari albus: si autem non denominatur, necesse est, ut aliquod ex illis tribus abstractis deficiat. Modò sic. Vel in rebus non sunt hæc tria abstracta, vel sunt. Si primum; ergo ideo negas denominationem, quia realiter negare potes aliquod abstractum, sive aliquid in abstracto, ut loquamur cum adversariis. Si secundum; ergo non potes negare verè denominationem; adeòque negari verè non potest aliquid quoad denominationem, quin verè possit aliquid in abstracto negari.

## SECTIO II.

### Ullterior Probatio nostræ Sententiæ.

144. Probatur secundò Conclusio. Omnis contradictio sive affirmatio, & negatio, quæ absque addito limitante talis est, æqualem vim habet ad distinctionem inter extrema virtualiter intrinsecè distincta: atqui aliqua contradictio, sive affirmatio, & negatio, quæ sine addito limitante talis est, arguit distinctionem realem in tertio. Ergo & omnis. Conseq. te-

ner, & min. patet in hac affirmatione, & negatione: Natura identificata cum Paternitate est Filiatio, Paternitas identificata cum natura non est Filiatio. Major verò probatur primò. Quia omnis assensus, & dissensus æqualiter pugnant. Secundò, quia forma absolute, & absque addito limitante verificata, & carentia ejusdem formæ absolute, & absque addito limitante verificata, quæ sunt extrema contradictionis inter perfectiones virtualiter intrinsecè distinctas, æquè se excludunt. Tertio, quia omnis dissimilitudo æqualis arguit æqualem distinctionem realem prædicatorum; ergo potiori jure omnis contradictio, sive vera affirmatio, & negatio absque addito limitante. Videatur Quiros *disp. 33. de Trinitate n. 12.*

Respondent aliqui moderni valde præfidenter, distinctionem realem in tertio non esse valde conformem principiis Fidei, neq; philosophiæ; neque ullo modo inferri ex affirmatione, & negatione propositionum. Ratio eorum est, quia quando datur distinctio virtualis intrinseca inter duas formalitates realiter identificatas, id quod affirmatur de una, non negatur de altera: nam de una affirmatur prædicatum possibile: de altera verò non negatur prædicatum possibile, sed impossibile: Cum autem prædicatum impossibile non sit identificatum cum tertio reali, exinde ratione contradictionis non manent duo extrema realiter distincta identificata cum uno tertio. Exemplum esto in his contradictoriis: Natura divina est Filius, Paternitas non est Filius. Prædicatum namque reale Filiationis affirmatur de natura: at de Paternitate non negatur prædicatum reale Filiationis, sed prædicatum impossibile: negatur enim identitas Filiationis cum Paternitate: Identitas autem Filiationis cum Paternitate non est prædicatum possibile, sed impossibile. Hæc est summa totius doctrinæ. Quomodo autem isti moderni Identitatem concipiant, ego non capio. Imò judico illam eos malè concipere. Quapropter

Contra primò. Hæc Propositio: Paternitas non est Filius, non negat de Paternitate identitatem Filiationis, quæ sit Paternitas: aliter non esset vera, sed falsa: negat autem verè de Paternitate identitatem Filiationis, quæ non est Paternitas: atqui Identitas Filiationis, quæ non est Paternitas, non est impossibilis, sed possibilis, & actualis; ergo &c. Probat. min. Identitas Filiationis, quæ non est Paternitas, est ipsa Filiatio, quæ non est Paternitas: Identitas enim uniuscujusque rei est quidditas ipsius rei, ut notum est non solum Theologis, verum & summulistis: atqui Filiatio, quæ non est Paternitas, non est impossibilis: sed possibilis, & actualis; aliter secunda Trinitatis Persona non esset possibilis, & actualis, sed impossibilis; ergo &c. Contra secundò. Hæc propositio: Paternitas non est Filiatio, non negat de Paternitate identitatem Filiationis, quæ sit Filiatio: aliter non esset vera, sed falsa: negat autem verè de Paternitate identitatem Filiationis, quæ non est Filiatio: atqui Identitas Filiationis, quæ non est Filiatio, non est impossibilis, sed possibilis, & actualis; ergo &c. Probat. min. Identitas Filiationis, quæ non est Filiatio, est ipsa Paternitas, quæ non est Filiatio: Identitas enim uniuscujusque rei est quidditas ipsius rei, ut notum est non solum Theologis, verum & summulistis: atqui Paternitas, quæ non est Filiatio, non est impossibilis: sed possibilis, & actualis; aliter prima Trinitatis Persona non esset possibilis, & actualis, sed impossibilis; ergo &c.

Patet.

Paternitas non est Filius habet idem objectum, ac ista: Paternitas distinguitur à Filiatione: atqui ista non attingit objectum impossibile, sed possibile, & actuale; ergo & illa.

147. Contra tertio. Quando duæ formalitates virtualiter intrinsecè distinguuntur, id, quod realiter absolute verè affirmatur de una, non potest realiter, & absolute verè affirmari de altera: aliter non essent formalitates virtualiter intrinsecè distinctæ; ergo idem prædicatū reale, quod affirmatur de una, est, quod negatur de altera. Contra quarto. Distinctio virtualis intrinseca æquivaler distinctiōni reali in ordine ad affirmandum, & negandum: atqui quando duo realiter distinguuntur, id quod realiter negatur de uno, realiter affirmatur de altero; ergo quando duo virtualiter intrinsecè distinguuntur, id, quod realiter negatur de uno, realiter affirmatur de altero. Contra quinto. Quando Filiatio verè negatur de Paternitate, id negatur de Paternitate, quo Filiatio verè à Paternitate distinguitur: sed id, quo Filiatio verè à Paternitate distinguitur, non est impossibile, sed possibile, & actuale. Aliter contra Fidem Filiatio non esset quid realiter à Paternitate distinctum; ergo &c. Contra sexto. Quia licet permitteremus, quod cum prædicato reali attingeretur etiam aliquid chimericum, id satis erat ad distinctiōnem realem in tertio, ut ex dictis constat, & constabit, n. 190.

148. Probatur tertio Conclusio. Duo extrema, inter quæ datur oppositio Relationum, nequeunt realiter adæquatè identificari. Sic Pater, & Filius non possunt realiter adæquatè identificari; quia datur inter ipsos oppositio Relationum; ergo neque duo extrema, inter quæ datur oppositio propositionū, poterunt realiter adæquatè identificari. Probat. conseq. Ideo non possunt adæquatè identificari duo extrema, inter quæ datur oppositio Relationum, quia oppositio Relationum affert oppositionem propositionum, nimirum esse productum, & non esse productum; ergo &c. Confirm. Non possunt duo prædicata opponi relativè cum Identitate reali adæquata ex sola distinctiōne intrinseca virtuali inter ipsa: atqui oppositio contradictionis in affirmatione, & negatione propositionū non est minor oppositiōne relativa: oppositio enim contradictionis est omnium maxima; ergo &c.

149. Probatur quarto. Aliqua stabilis Regula assignari debet, ex qua inferamus dari distinctiōnem virtuales intrinsecam inter duo extrema realiter absolute identificata: atqui nulla alia assignabilis est, nisi distinctiō realis in tertio, ergo &c. Probat. min. Si assignari posset talis regula absque distinctiōne reali in tertio, hæc propositio Paternitas non est Filiatio, quantumvis, & absque addito limitante prolata posset verificari cum identitate reali adæquata inter Paternitatem, & Filiationem: adeoq; sine temeritatis nota posset tunc aliquis dicere absolute, & absq; addito limitante: Paternitas

R. P. German. Theolog. Tpm. I.

est Filiatio realiter absolute, etsi absque addito limitante Paternitas non sit Filiatio: atqui ea propositio Paternitas est Filiatio, est hæretica; ergo nulla stabilis regula assignari potest, ut detur capacitas ad intrinsecam affirmatiōnem, & negatiōnem, sive ad distinctiōnem virtuales intrinsecam, nisi ubi datur distinctiō realis in tertio.

150. Probat. 5. Distinctio virtualis intrinseca adeo difficilis est, ut solum debeat admitti, ubi Fides, aut ratio naturalis cogit, & modo, quo cogit eam admittere: atqui Fides aut ratio naturalis solum cogit eam admittere inter prædicata distincta realiter in tertio; ut ex argumentorum solutione planè constabit; ergo &c. Confirm. 1. Si pro admittenda distinctiōne virtuali intrinseca posset quisque absque distinctiōne reali in tertio sibi fingere regulam, posset admitti inter omnia prædicata divina, imò & inter omnia prædicata creata, v. g. inter animal, & rationale: sed hoc meritò negatur ab ipsis adversarijs, cum quibus agimus; ergo &c. Confirm. 2. In rebus difficillimis eligenda est sententia, qua facilius possimus explicare mysteria Fidei, atq; principia philosophica, & naturalia tueri: sed facilius explicamus mysteria Fidei, & defendimus principia naturalia, & philosophica, si solum admittamus distinctiōnem virtuales intrinsecam, ubi reperitur distinctiō realis in tertio; ergo &c. Ex dictis.

151. Fit 1. Inter attributa divina, sive inter quæcumque assignentur prædicata Dei necessaria absoluta, nullam admitti posse distinctiōnem virtuales intrinsecam. Ratio est, quia nulla reperiri potest distinctiō realis in tertio inter illa prædicata, ut constat ex n. 128. Quapropter verbū divinum realiter procedens per intellectū, procedit etiam realiter per voluntatē. Hoc enim constat non solum ex fundamentis huc usque præfactis, verum etiam ex scripturā Patribus Concilij, & ratione. En Scripturam Psal. 44. *Eructavit cor meum verbum bonum.* Ecce expressionem voluntatis. En PP. Apud Clementem Alexandrinum, Jacobum Apostolum lib. 8. *Const. c. 12. Genuisti voluntate, virtute, & bunitate, immediate Filium.* Audi Augustinum lib. 15. *de Trin. c. 20. Quidam Filium consilij, vel voluntatis Dei dicerent unigenitum verbum ipsum consilium, seu voluntatem Patris, idem verbum esse dixerunt. Sed melius quantum existimo dicitur Consilium de consilio, & voluntas de voluntate. Sicut substantia de substantia, & sapientia de sapientia.*

152. Audi Concilia. Sirmienſe in Confessione dei can. 23. *Si quis nolente Patre natum Filium dixerit, anathema sit; non enim invitus, & vim passus Pater necessitate naturali quasi nolens genuit Filium, sed illico ut voluit, etiam sine tempore, & sine passione ex semetipſo genuit Deum.* Tum etiam apud Ruiz de voluntate Concilium 15. *Toleranum: Filius est voluntas ex voluntate.* En rationem: Lumine naturæ absurdū est omnem operationem Dei ad extra fieri sapienter,

pienter, & ex vi amoris: Præstantissimas verò operationes ad intra procedere alteram quidem non sapienter, alteram non voluntariè. Unde quando PP. & Concilia dicunt Filium non procedere ex voluntate, loquuntur de voluntate libera, & indifferente contra Eunomium & Arium conatos Filium à Patre gigni voluntate, id est, liberè, atque inde inferentes verbum esse creaturam. Quapropter PP. non negabant Filium procedere ex voluntate, sed supponebant. Quam suppositionem impiè detulerunt Eunomius, & Arius ad contingentiam Processionis.

153. Unum pro omnibus audi Augustin. lib. 15. de Trinitate c. 20. dicentem. *Quocirca ridenda est Dialectica Eunomij, à quo Eunomiani hæretici exorti sunt: qui cum non potuissent intelligere, nec credere voluissent unigenitum Dei verbum, per quod facta sunt omnia, Filium Dei esse naturam, hoc est de substantia Patris genitum, non naturam, vel substantiam suam, sive essentiam dixit esse Filium, sed Filium voluntatis Dei, accidentalem scilicet Deo volens asserere voluntatem, qua gigneret Filium.* Statimque addit Responsum, qua Hæreticorum Sophisma dissolvitur: Sic enim prosequitur Augustinus: *Acute sanè quidam respondit Hæretico versutissime interroganti, utrum Deus Filium volens, an nolens genuerit; ut, si diceret, nolens, absurdissima Dei miseria sequeretur: Si autem volens: continuè, quod intendebat, velut invitacione concluderet, non naturam esse Filium, sed voluntatis. At ille vigilantissime vicissim quaesivit ab eo, utrum Deus Pater volens an nolens sit Deus. Ut si responderet, nolens, sequeretur illa miseria, quam de Deo credere magna insania est: si autem diceret, volens, responderet ei: ergo & ipse Deus est sua voluntate, non natura. Quid ergo restabat, nisi ut obmutesceret, & sua interrogacione obligatum insolubili vinculo se videret?*

154. Quamobrem inter intellectum, & voluntatem nulla datur oppositio, seu realis affirmatio, & negatio quoad Processiones verbi, & Spiritus Sancti. Datur autem ex parte terminorum, qui producuntur, seu processionum passivarum: Nam Filius Spiritusque sanctus realiter inter se distinguuntur: inter terminos autem realiter distinctos verè affirmari potest de uno, quod affirmari nequit de altero. Exinde Filiatio, utpote verbum mentale Patris, & non terminus Spiratus, est de linea intellectiva, & non de volitiva. At Spiratio passiva, utpote affectivum amoris pondus, & non verbum, est de linea volitiva, & non de intellectiva, ut latius dicemus, in Tractatu de Trinitate. Unde verbum exigit realiter per lineam intellectivam omnia prædicata absoluta; & Spiritus Sanctus exigit realiter omnia ea prædicata absoluta per lineam volitivam, quin significetur ulla di-

stinctio intrinseca ex parte absolutorum, licet significetur realiter ex parte terminorum exigentium, & formaliter ex nostro modo concipiendi.

Ratio est, quia, cum Filius sit de linea intellectiva, omnia prædicata absoluta prout in ordine ad Filium, sunt formaliter ex nostro concipiendi modo de linea intellectiva, nempe concepta in ordine ad connotatum lineæ intellectivæ: Eodémque modo in ordine ad Spiritum Sanctum sunt formaliter ex nostro modo concipiendi de linea volitiva: sic totus homo in ordine ad sensationem dicitur animal, & in ordine ad discursum dicitur rationale, quin arguat distinctionem ullam intrinsecam inter animal, & rationale: bene verò formaliter ex modo nostro concipiendi, aut realem ex parte terminorum productorum, quorum unus, nempe sensatio est de linea sensitiva, non autem de discursiva. Alter verò, nempe discursus est de linea discursiva, non verò sensitiva. Quo sensu est vera ista Propositio: Filius ex vi formalis processionis procedit per intellectum, & non per voluntatem: nimirum si ly ex vi formalis processionis significet sensum formalem ex modo nostro concipiendi, aut divinitatem realem ex parte terminorum: seculus autem, si significet convenire realiter intrinsecè aliquid intellectui, quod realiter & intrinsecè non convenit voluntati. Idémque suo modo dicendum est de hac altera propositione: Spiritus Sanctus ex vi formalis processionis procedit per voluntatem, & non per intellectum.

Fit secundo. Inter formalitates virtualiter intrinsecè distinctas posse unam ex illis esse capacem, & expeditam ad unam denominationem realem, quin altera formalitas sit capax, & expedita ad talem denominationem. Qua de causa potest aliquid realiter prædicari de una, quod prædicari nequit de alia: cum autem ad denominationem tria requirantur ex num. 143. nimirum subjectum capax, & expeditum, forma denominans, & modus habendi, quocumque ex his deficiente deficit denominatio. Sic quia ad hominem tria requiruntur, nimirum materia, forma, & unio, quocumque ex his deficiente, deficit homo; adeoque eo ipso; quod subjectum sit incapax denominationis, denominatio deficiet. Hæc autem incapacitas ex duplici titulo potest provenire: Primo per disconvenientiam; quia subjecto deficit aliquod prædicatum, quod habere debebat, ut esset capax: sic albedo quantumvis uniretur angelo, non denominaret illum album, quia angelo deficit corporeitas requisita, ut subjectum sit capax denominationis albi. Secundo, per convenientiam; quia subjecto non deficit aliquod prædicatum, quod deficere ibi debe-

bat, ut esset capax, & expeditum: Sic anima Christi non potest habere denominationem Filii adoptivæ Dei, quia non deficit illi Filiatio propria, seu naturalis, quam habet ex vi unionis hypostaticæ, cujus defectus necessarius est, ut subjectum sit expeditum, & capax denominationis Filij adoptivi.

157. Exinde si Relatio divina est capax alicujus denominationis, cujus non est capax natura, provenire debet, vel per convenientiam; quia habet aliquod prædicatum, quod non habet natura: vel per disconvenientiam, quia illi deficit aliquod prædicatum, quod naturæ non deficit. Quod idem dicendum est de natura respectu Relationis. Exemplum sit: Istæ sunt falsæ prædicationes: natura refert, producit, generatur: & istæ sunt veræ: Filiatio refert, producit, generatur; quia nimirum Filiatio est capax harum denominationum; secus autem natura. Sed quare Filiatio est capax, & natura incapax? quia nimirum id, quod refert, quod producit, quod generatur, debet distinguui à Relato, producente, & generante: Cum autem Filiatio distinguatur à relato producente, & generante, natura autem non distinguatur, exinde Filiatio est capax harum denominationum, natura verò est incapax. Verum ecce distinctionem realem in tertio. Cum natura identificetur cum Filiatione, & generante: Filiatio autem, & generans realiter inter se distinguantur. Quod maxime observandum est pro similibus denominationibus.

158. Fit tertio. Intellectionem DEI necessariam non esse in signo priori ad volitionem necessariam, sed utramque perfectionem esse in eodem signo realiter, & virtualiter indivisibili. Unde sicuti est simul cognitio, & res cognita; volitio, & res amata; ita etiam simul est cognitio, & amor. Cæterum quia in creatis non potest dari amor necessarius, qui productus est, quin præcedat cognitio, à qua dirigatur, exinde habuit ortum illud Philosophorum proloquium: Nihil volitum, quin præcognitum: non autem ex amore divino necessario. Quapropter solum formaliter dici potest cognitio divina præcedere ad amorem, quatenus ex modo nostro concipiendi cum fundamento in re concipitur in ordine ad nostram cognitionem dirigentem ad amorem; non autem quatenus præcedentia cadat supra ipsam divinam cognitionem: Sic in sententia illorum, qui admittunt intentionem identificatam cum electione, dicitur intentio movere ad electionem: sic etiam in syllogismo virtuali, in quo præmissæ, & conclusio realiter identificantur, dicuntur præmissæ movere formali-

ter ex modo nostro concipiendi ad conclusionem.

Fit quarto. Inter divinam essentiam, & Relationes admittendam esse distinctionem realem in tertio. Quamvis ibi repugnaret distinctio objectiva: neque posset unquam objectivè cognosci essentia, quin cognoscerentur Relationes, aut e contra. Ratio est, quia licet deberet semper cognosci essentia, quotiescumque cognoscuntur Relationes, aut e contra; non exinde fieret, ne cognosceretur eadem indivisibilis essentia identificata cum Personalitatibus realiter distinctis: sed, ut constat ex dictis, in hoc stat distinctio realis in tertio; ergo &c. Quinimò quotiescumque agnoscitur distinctio realis in tertio, cognoscuntur objectivè saltem duo extrema virtualiter intrinsecè distincta ab uno medio. Unde non est idem cognosci unum virtualiter intrinsecè distinctum ab alio, ac cognosci per præcisionem objectivam sine alio.

### SECTIO III.

#### *Solvuntur Opposita ex Divinis Attributis.*

Objic. 1. Neque Intellectus, & Voluntas, neque Intellectio, & volitio necessaria possunt distingui in DEO realiter in tertio; atqui distinguuntur virtualiter intrinsecè; ergo distinctio virtualis intrinsecè quæ talis non arguit distinctionem realem in tertio. Probat. min. In DEO verificantur istæ Propositiones: Intellectus, vel Intellectio est principium quo verbi formaliter communicativum, non verò voluntas, nec volitio: Verbum procedit per Intellectionem, non verò per volitionem: Verbo communicatur ex vi formalis processionis Intellectio, non verò volitio. Pater generat Intellectione, seu intelligendo: non verò volitione, nec volendo; ergo &c. Confirmat. Patres & Concilia expressis locis videndis apud Montoiam *disps. 93. & 94. de Trinitate*, passim asserunt, Filium non esse genitum voluntate: atqui est certum esse genitum intellectu; ergo de intellectu, & voluntate verificantur Propositiones alias contradictoriæ: adeoque & distinctio virtualis intrinsecè.

Resp. Conc. maj. & neg. min. ad probationem dist. ant. verificantur in sensu formali ex modo nostro concipiendi conc. in sensu reali subdist. In sensu reali denotante diversitatem in prædicatis absolutis neg. in speciali quidditate Relationis verbi prout contradictoriæ à spiratione passiva, sive passiva

Profectione Spiritus S. conc. ant. & neg. conseq. Ratio est, quia realiter non solum procedit verbum per Intellectum, & Intellectionem necessariam (idem suo modo de alijs Prædicationibus) sed etiam per voluntatem, & volitionem necessariam; solumque est discrimen ex parte terminorum, qui realiter distinguuntur, ut ex Scriptura, Concilijs, Patribus, & ratione constat, à n. 151. Quod nullam probat distinctionem intrinsecam ex parte absolutorum, sed ex parte relativorum, ut constat à n. 154. Ad Confirm. dist. maj. non esse genitum voluntate in sensu formali conc. in sensu reali subdistinguo. Voluntate libera conc. necessaria neg. ant. & conseq. ut constat à n. 152.

162. **Objic. 2.** Instando simul solutionem: Nequit verbum in sensu formali, sive ex vi formalis Profectionis procedere per intellectum, & non ita procedere per voluntatem, quin detur distinctio virtualis intrinseca inter intellectum, & voluntatem: atqui non datur ibi distinctio realis in tertio; ergo &c. Probat. maj. Nequit verbum in sensu formali sive ex vi formalis Profectionis, procedere per intellectum, & non ita per voluntatem, quin in verbo resplendet realiter Pater quæ intellectivus, & non ita resplendet quæ volitivus: sed nequit ita resplendere, quin detur distinctio virtualis intrinseca inter intellectum, & voluntatem; ergo &c. Probat. min. Nequit resplendere realiter in verbo Pater quæ intellectivus, & non quæ volitivus, quin conveniat aliquid realiter intellectui, quod non convenit voluntati: atqui convenire aliquid realiter intellectui, quod non convenit voluntati, est dari distinctionem virtuales intrinsecam inter intellectum, & voluntatem; ergo &c. Confirm. Nequit resplendere realiter in verbo Pater quæ intellectivus, & non quæ volitivus, quin verbum sit aliquo modo realiter magis ab intellectu, quam à voluntate; sed exinde arguitur distinctio virtualis intrinseca inter intellectum, & voluntatem; ergo &c.

163. **Resp. Neg. maj. ad probationem dist. maj.** resplendet realiter, cadente ly realiter supra intellectum, & non supra voluntatem neg. supra terminum ordinis intellectivi, & non supra terminum ordinis volitivi realiter ab illo distinctum conc. maj. & dist. eodem modo min. neg. conseq. Ad probationem dist. eodem modo præmissas, & neg. conseq. Ratio est quia ly realiter nunquam potest affirmari de intellectu, quin affirmetur etiam de voluntate, quod requirebatur, ut daretur distinctio virtualis intrinseca inter intellectum, & voluntatem; sed solum potest affirmari de termino realiter procedente ab intellectu, & voluntate, qui est ordinis intellectivi, & non volitivi. Sic apud Adversarios eadem realiter, & virtualiter indivisibilis omnipotentia est productiva caloris, & lucis, ita ut in calore resplendet tota realiter quæ productiva caloris, secus autem quæ productiva lucis, & è converso in luce, quin exinde argua-

tur distinctio ulla virtualis intrinseca inter virtutem omnipotentiae productivam lucis, & virtutem omnipotentiae productivam caloris; quia ly realiter nunquam cadere potest supra illud primum productivum caloris, quod non sit productivum lucis, sed supra calorem productum, qui non est lux. Quod idem est in sensatione, & discursu respectu animalis rationalis. Pariter ergo in nostro casu; &c.

Ad Confirm. dist. maj. magis ab intellectu quoad expressionem realem in termino conc. quoad concursum realem in principio neg. maj. & dist. min. neg. conseq. ut constat ex dictis. Quapropter non sunt contradictoriae istæ propositiones: Intellectio, quæ intellectio communicatur verbo: Intellectio quæ volitio non communicatur verbo; reddunt enim hunc sensum: Prædicata divina absoluta, quæ omnia communicantur verbo, apparent in verbo per lineam intellectivam: non verò per volitivam; in quo nulla datur contradictio, cum verbum, quod est de linea intellectiva, distinguatur realiter à spiratione passiva, quæ est de linea volitiva. Quod autem verbum identificetur realiter cum volitione, parum refert; cum virtualiter intrinsece ab ea distinguatur; adeoque & possit admittere prædicata alia contradictoria. Sic licet identificetur cum natura, quæ producta non est, dici nequit improductum, eo quod distinguatur realiter à producente: pariter licet identificetur realiter cum volitione, dici nequit de ordine volitivo productum, cum distinguatur realiter à termino producto ordinis volitivi.

**Objic. 3.** Instando iterum solutionem: Non solum formaliter ex nostro modo concipiendi, verum etiam realiter intellectio Dei necessario est prior volitione necessaria; ergo admittunt distinctionem virtuale intrinsecam absque ulla distinctione reali in tertio. Probat. ant. à parte rei & independentem à cognitione nostra Deus se amat, quia se cognoscit; & non e contra: sed hæc veritas stare nequit sine prioritate intellectiois ad amorem; ergo &c. Min. & conf. tenet. Maj. probatur ex Anselmo in *Monolog.* c. 48. dicente: *Palam certe est rationem habenti cum idcirco sui memorem esse, aut se intelligere, quia se amat; sed ideo se amat, quia sui meminit, & se intelligit: nec cum se posse amare, si sui non sit memor, aut se non intelligat; ergo &c.*

**Confirm. 1.** Ex illo Philosophorum prologo: Nil volitum quin præcognitum; ergo &c. **Confirm. 2.** Quia de ratione cognitionis est præire, & dictare movendo voluntatem ad affectum; ergo &c. **Confirm. 3.** Si verè à parte rei non deberet præire cognitio ad amorem, nulla esset ratio cur potius amor ex cognitione, quam cognitio ex imperio amoris procederet: aut cur in creatis cognitio debeat præcedere amorem; aut cur ad voluntarium non sufficiat in creatis, quod cognitio comitetur amorem, quin deberet præcedere; ergo &c.

**Resp. Neg. ant. ad probat. conc. ant. ad pro-**

probat. conc. ant. & neg. conseq. Quia Anselmus non loquitur in sensu reali, sed in sensu formali; quando enim cognitio identificatur cum volitione, ea propositio exinde est vera in sensu formali, quia numquam potest dari volitio, quin detur cognitio: potest tamen dari cognitio, quin detur volitio, ut constat manifesta experientia. Qua de causa in sensu formali dicitur: Ideo datur volitio, quia datur cognitio, & non e contra. Quod autem hæc sit mens Anselmi, constat evidenter ex ipso testimonio, quod integrum debent adducere Adversarij; ita enim profecquitur: *Nulla enim res amatur sine ejus memoria, & intelligentia, & multa tenentur memoria, & intelliguntur, quæ non amantur.* Ad primam Confirmationem dist. ant. quin præcognitum, vel in sensu reali, vel formali conc. semper in sensu reali neg. ant. & conseq. Quin imò illud proloquium solum tendit ad amorem productum, ad quem præire debet cognitio: Voluntas enim spectat ad potentiam rationalem; adeoque ut sit expedita ad producendum amorem distinctum à cognitione, indiget ratione illuminante.

168. Ad secundam Confirmationem dist. eodem modo ant. præire, & dictare vel realiter, vel formaliter conc. semper realiter neg. ant. & conseq. ex numero superiori. Ad tertiam Confirmationem neg. ant. Ratio est, quia ad illa principia stabilienda, quæ ex Philosophia transferunt adversarij modo ad Theologiam, supponunt Philosophi quod nobis notum est ex experientia, nimirum amorem nostrum cæcum esse; scimus enim ab experientia præviæ ad amorem objecti nos cognoscere illius bonitatem, sive honestam, sive utilem, sive delectabilem, quin nos plus cognoscamus, quando amorem elicimus; adeoque actum illum non esse cognitionem, sed cæcum amorem. Supposita autem notitia talis amoris; optime infertur amorem potius esse ex cognitione, quam e contra: eumque in creatis subsequi cognitione, neclufficere ad voluntarium, quod comitetur, eò quod cognitio se habeat ex parte principij illuminando, quod autem se habeat ex parte principij, non comitatur, sed antecedit, aut tempore, aut natura, aut origine, ut notum est apud omnes Philosophos.

169. Utrum autem hæc natura sit unicuique amori creato essentialis, vel non, pender ab altera quaestione, in qua quaeritur, utrum de possibili repugnet creatura rationalis identificata cum sua Intellectione, & Volitione, aut realiter identificata cum intellectione. Eligant modo adversarij partem, quam voluerint. Si repugnat, ex ea ratione repugnantia deberet in creatis intellectio semper præire ad amorem: si non repugnat, debet præire non realiter, sed formaliter. Verum quid inde contra nos? aut contra distinctionem realem intrinsecam, ne arguat distinctionem realem in tertio. Planè si nulla major alia apparet difficultas, potius

exinde roboratur, quam infirmetur nostra sententia.

Objic. 4. Inter voluntatem divinam, & volitionem liberam (idem suo modo de intellectu, & intellectione defectibili) datur distinctio virtualis intrinseca, cum dentur ista contradictoria: Voluntas non est defectibilis, volitio est defectibilis: voluntas est composibilis cum nolitione, volitio non est composibilis cum nolitione: voluntas est inconnexa cum objecto volito, volitio non est inconnexa cum objecto volito, atqui voluntas non distinguitur realiter in tertio à volitione libera, cum nullum sit assignabile prædicatum identificabile cum voluntate, & distinctum realiter à volitione; ergo &c. Confirmat. primò, decreta actualia Dei distinguuntur virtualiter intrinsecè, cum alia sint alijs priora: alia requisita ad actus liberos, & alia non requisita: sed non distinguuntur realiter in tertio; ergo &c. Confirmat. secundo, Decretum divinum purè intentionum efficax productivum angeli, & scientia angeli in decreto distinguuntur virtualiter intrinsecè independentè à tertio; ergo &c. Hoc argumentum nullius est momenti in sententia docente actus liberos Dei non compleri per virtualitates intrinsecas defectibiles identificatas cum Deo, sed per terminos extrinsecos distinctos realiter à Deo; nam ea contradictoria non verificantur ratione volitionis divinæ necessaria: sed ratione terminorum realiter distinctorum, qui cum diversam realiter habeant naturam, possunt admittere prædicationes diversas.

In sententia verò admittente decreta Dei libera completa per virtualitates intrinsecas aliter dicendum est: nam in ea sententia, quam defendunt Ant. Perez, Elparza, alique & quam infra amplectemur, volitio efficax libera hujus mundi est virtualitas identificata cum Deo, quæ potuit non existere: Quo casu extitisset volitio efficax hujus mundi identificata cum Deo: at eò modo se habet, ut in ea sententia volitio non possit coexistere cum nolitione, sed eam necessariò excludat: adeoque inter volitionem, & nolitionem efficaces ejusdem objecti datur oppositio impediens, & impediri, quæ non est minor quam oppositio Producentis, & Producti. Unde sicut oppositio Producentis, & Producti dicit distinctionem realem inter suos terminos, licet uterque realiter identificetur cum eadem essentia divina, sic etiam oppositio impediens, & impediti: Cum hoc autem discrimine, quod oppositio impediens, & impediti non asserit utrumque terminum, qui actu sit, sed unum, qui actu sit, & alterum, qui poterat esse: oppositio verò Producentis, & Producti asserit terminos, qui actu sunt: adeoque omnia, quæ actu sunt in Deo, sunt communia, nisi ubi obest oppositio relativa: nostri autem sunt communia ea, quæ actu sunt,

cum

cum ijs. quæ poterant esse. Supposita ergo pro nunc ista sententia five vera, five falsa, de qua agemus in Tractatu de voluntate, clarè apparet distinctio realis in tertio.

172. Resp. Omitto maj. & neg. min. quia ista Propositio, voluntas non est defectibilis, idemq; suo modo de alijs, idè est vera in ea sententia, quia voluntas non est capax denominationis defectibilitatis, sed indefectibilitatis: ea autem Propositio, volitio est defectibilis, idè est vera, quia volitio libera est capax denominationis defectibilitatis, non autem indefectibilitatis. Ratio autem, propter quâ voluntas est capax denominationis, cujus capax non est volitio libera, est ratio afferens tertium; juxta naturâ oppositionis, adeoque nunquam inveniri potest distinctio virtualis intrinseca, quæ non arguat distinctionem realem in tertio. Voluntas enim ideo est capax denominationis indefectibilitatis, & incapax defectibilitatis; quia, cum sit compositibilis per identitatem tam cum volitione, quam cum nolitione, nullum est possibile prædicatum cum ipsa oppositum; à quo possit excludi ab existentia: Volitio verò ideo est incapax denominationis indefectibilitatis, & capax defectibilitatis; quia, cum possit excludi à nolitione, nolitio est prædicatum cum ipsa oppositum, à quo potest expelli. Ex eo autem quòd volitio, & nolitio non possint identificari inter se, & possint identificari cum voluntate, clarè apparet distinctio realis in tertio.

173. Ad primam Confirmationem, omitto maj. & neg. min. quia unumquodque decretum liberum excludi potest per suum oppositum: adeoque ratione illius oppositionis assert distinctio realem in tertio. Neque possunt intelligi decreta libera pro diversis signis, nisi arguant decreta opposita, à quibus pro diversis signis possint expelli. Ad secundam Confirmationem neg. ant. Quia juxta principia supposita, ut notavit bene Quiros, illud decretum simul est realiter, & virtualiter scientia angeli in decreto, cum verificari non possit aliquid de illo decreto, ut decretum est, quod simul non verificetur de illa scientia, ut decretum est, & e contra. Unde sicut per hanc rationem scientia divina necessaria, & volitio divina necessaria non distinguuntur virtualiter, ita neq; distinguuntur virtualiter illud decretum, & illa scientia angeli in decreto: non enim potest dari aliquid exclusivum illius decreti, quod non sit exclusivum illius scientiæ in decreto: aut e contra. Quia de causa decretum liberum producendi mundum identificatur virtualiter cum gaudio reflexo de illo: neque gaudium requirit objectum præsuppositum, sed præsens, & possessum.

174. Neque est inconveniens, quòd illa scientia visionis sit causa angeli: ea enim, quæ non potest esse causa rerum, est scientia visionis objecti in se ipso: scientia autem visionis objecti in alio priori, bene potest esse causa objecti posterioris. Quapropter scientia visionis angeli in se

ipso distinguitur virtualiter à decreto angeli, quia potest manere, quamvis non maneat illud decretum, uti eveniret casu, quo Deus decerneret angelum à Deo, & alia creatura dependentem. Hæc enim scientia non potest esse causa rerum, quia supponit absolute existentiam rei in se ipsa: adeoque nequit dirigere, ut in se ipsa ejus rei existentia ponatur. Ceterum de his latius, quando agemus de scientia.

Objic. 5. Instando simul solutionem. 175. Propositio impediens, & impediti inter volitionem efficacem liberam, & nolitionem, non arguit distinctionem realem inter ipsa. Ergo volitio libera, & voluntas distinguuntur virtualiter intrinsece absque ulla distinctione reali in tertio. Probat. ant. Existens, & non existens, non distinguuntur realiter in Deo; nolitio enim hujus mundi, quæ modò non existit, potuit existere, & identificari cum voluntate necessario existente: adeoque licet non existat, non distinguitur realiter à voluntate existente. Ergo neque impediens, & impeditum distinguuntur realiter in Deo. Hæc objectio non impugnatur sententiam nostram, sed suppositum, quod cum adversarijs facimus. Nihilominus Resp. neg. maj. ad probat. dist. min. non distinguuntur realiter, si existens ratione sui excludat identitatem cum non existente neg. si non excludat conc. ant. & neg. conseq. Ratio est, quia voluntas divina ratione sui tam capax est, ut identificetur cum volitione, quam cum nolitione: ac proinde ratione sui non excludit nolitionem, sed ratione volitionis, adeoque volitio distinguitur realiter à nolitione, secus autem volitio, aut nolitio à voluntate.

176. Sic in signo Paternitatis intelliguntur natura, & Paternitas pro signo priori ad signum Filiationis; ita ut Paternitas intelligatur realiter distincta à Filiatione, quia ex se excludit identitatem cum Filiatione: natura verò in eo signo priori non intelligitur realiter distincta à Filiatione; quia ex se non excludit identitatem cum Filiatione, sed est capax ad illam; etenim sicut natura in eo signo est capax ad habendum necessarium per identitatem Filiationem, idèq; nõ distinguitur realiter, sed necessario cum ea identificatur: Ita voluntas pro signo priori libertatis est ex se capax ad habendum liberè per identitatem volitionem, aut nolitionem: adeoque non distinguitur realiter, sed liberè identificatur cum volitione, & nolitione. Unde præsuppositis istis principijs de distinctione virtuali voluntatis à volitione, clarè ex illis inferitur distinctio realis in tertio. Quapropter vel negati debet inter volitionem, & voluntatem distinctio virtualis intrinseca, de quo infra, vel negari non potest distinctio realis in tertio.



## SECTIO IV.

## Solvuntur opposita ex divinis Mysterijs.

177. **Objic. 6.** Ex Mysterio Trinitatis. Inter naturam, & Paternitatem dantur independentem à tertio; ista contradictoria: Natura est communis, communicata; & communicabilis; Paternitas non est communis, communicata; & communicabilis: Paternitas generat, natura non generat: Paternitas refert Patrem ad Filium; natura non refert Patrem ad Filium. Ergo distinguitur virtualiter intrinsecè absque ulla distinctione reali in tertio. **Confirmat. 1.** Tertium distinctum supponit inter Prædicata virtualiter intrinsecè distincta capacitatem ad contradictoria; prius enim est illa capacitas; quam hæc actualitas; ergo supponit distinctionem virtualem intrinsecam independentem à tertio. **Confirm. 2.** Contradictio non cadit supra tertium; ergo extrema independentem à tertio habent in se distinctionem intrinsecam purè virtualem.

178. **Resp. Neg. Ant.** Etenim omnes illæ affirmationes, & negationes arguunt distinctionem realem in tertio. Ratio est, quia de Paternitate non quidem substantivè, sed solum in concreto dicitur: non est communis, communicata, & communicabilis. In concreto autem jam assignantur relationes ex n. 115. Illæ verò Propositiones: Paternitas generat; natura non generat: Paternitas refert; natura non refert; ideo sunt veræ, quia Paternitas est capax earum denominationum; secus autem natura ex n. 156. Cum autem Paternitas solum habeat identitatem cum generante; & non cum Genito, exinde denominatur verè generans; & referens. Natura verò cum non solum habeat identitatem cum generante, sed etiam cum Genito; & Relativo; exinde denominari nequit Generans, vel Referens: At cum hoc ipsum præferat distinctionem realem in tertio, nunquam reperiri potest in Trinitate distinctio virtualis intrinseca absque reali in tertio.

179. **Ad primam Confirmationem dist. ant. supponit capacitatem independentem ab ipso tertio, neg. dependentem conc. ant. & neg. consequ.** Quia capacitas ad ea contradictoria est capacitas, ut aliquid conveniat realiter uni extremo, quod non convenit alteri. Hoc autem; ut satis patet ex dictis, verificari non potest absque tertio. **Ad secundam Confirmationem neg. ant.** Quia nequit dari ea contradictio, quin realiter prædicetur aliquid de uno extremo, quod non potest prædicari realiter de altero. Unde contradictorium non minus cadit supra tertium, quam supra alia extrema.

180. **Objic. 7.** Instando simul solutionem. Natura divina in consortio Paternitatis non producit: Paternitas verò in consortio naturæ producit: adeoque imbibit distinctionem virtualem intrinsecam: sed natura prout in consortio Paternitatis non arguit tertium, ergo distinguitur

virtualiter intrinsecè absque distinctione reali in tertio. **Confirm. 1.** Hæc propositio: Natura est Filiatio; non æquivaleret huic, Paternitas est Filiatio; ergo diversitas quoque prædicationem non se teret ex parte Filiationis, quæ in utraq; propositione est prædicatum, adeoque se tenet ex parte naturæ, ac proinde natura & Paternitas, natura & Filiatio distinguuntur virtualiter intrinsecè independentem à tertio. **Confirm. 2.** Paternitas cum natura constituit unitatem, & adveniente Filiatione constituit dualitatem; ergo Filiatio ratione sui aliquid addit supra naturam; adeoque ratione sui, & independentem à tertio distinguitur virtualiter intrinsecè à natura.

**Resp. conc. maj. & dist. min. non arguit tertium identificatum cum Paternitate conc. identificatum cum natura, & distinctum realiter à Paternitate neg. min. & consequ.** Quia Paternitas producens arguit Filium productum identificatum cum natura, & distinctum realiter à Paternitate. **Ad 1. Confirm. conc. ant. & dist. conf.** non se tenet ex parte Filiationis, prout est tertium identificatum cum Paternitate conc. cum natura, cum qua identificatur Paternitas distincta realiter à Filiatione neg. consequ. aliter non esset vera ista propositio: Natura est Filius; & falsa hæc alia; Paternitas est Filius. **Ad secundam Confirmationem dist. ant. constituit dualitatem in natura neg. in Relationibus conc. ant. & dist. consequ. addit aliquid reale, quod non habeat Paternitas neg. relativum subdist. distinctum à natura neg. à Paternitate conc. consequ.** Exinde autem nequaquam inferitur distinctio virtualis absque tertio; cum ipsa dualitas in Relationibus; & unitas in natura secum asferant tertium.

**Objic. 8.** Istæ affirmationes, & negationes: Deus generat; essentia non generat: Natura divina est singularis; Personalitas non est singularis: Essentia est de constitutivo physico Dei; Relatio non est de constitutivo physico Dei; arguunt distinctionem virtualem intrinsecam: sed non arguunt distinctionem realem in tertio; ergo &c. **Confirm.** Hæc est vera Propositio: Deus identificatur cum tota Trinitate; & hæc est falsa; Paternitas identificatur cum tota Trinitate; adeoque arguunt distinctionem virtualem intrinsecam: atqui inter Paternitatem & totam Trinitatem non datur tertium distinctum, cum neque Paternitas; neque Trinitas identificentur cum aliquo extra Trinitatem; ergo datur ibi distinctio virtualis intrinseca absque reali in tertio.

**Resp. Conc. maj. & neg. min.** Quia illæ affirmationes, & negationes arguunt tertium. Etenim Deus generans idem est ac Deus Pater; at Deus Pater capax est denominationis generantis; cujus natura non est capax; quia non distinguitur à Genito, à quo distinguitur Pater. Verum in hoc clarè adest tertium, ut patet n. 178. Pariter natura est singularis, idem est ac una in omnibus Personalitatibus: Personalitas

181a

182a

183a

tas non est singularis, idem est ac una Personalitas est distincta ab alijs. Tum etiam essentia est de constitutivo physico Dei, idem est ac identificari necessario cum quocumque, qui sit Deus. Relatio non est de constitutivo, &c. idem est ac non identificari, &c. ut patet ex n. 86. In quibus omnibus manifeste apparet tertium.

184. Ad Confirmationem conc. maj. & neg. 1. partem min. Ratio est, quia licet inter Paternitatem, & totam Trinitatem non detur aliquid distinctum adæquatè à Trinitate; tamen datur aliquid distinctum à Trinitate inadæquatè: illudque est tertium, ratione cujus verificantur ea contradictoria. Quælibet enim Personalitas non est tota Trinitas, sed inadæquatè distincta à tota Trinitate, & realiter distincta à quolibet alia Personalitate. Unde hæc Propositio, Deus identificatur cum tota Trinitate, habet hunc sensum: Deitas est Pater, & Filius, & Spiritus S. Hæc autem alia: Paternitas non identificatur cum tota Trinitate, habet hunc sensum: Paternitas non est Filius, neque Spiritus S. Cæterum cum Filiatio, & Spiratio passiva, quæ distinguuntur à Paternitate, non minus quam Paternitas identificentur cum natura, ipsa propositionum verificatio manifeste probat distinctionem realem in tertio.

185. Objic. 9. In his prædicationibus, & alijs similibus: Paternitas refert, natura non refert, prædicatur aliquid de Paternitate, quod non prædicatur de natura: atqui non potest dari aliquid identificatum cum Paternitate, & distinctum realiter à natura; ergo datur ibi distinctio virtualis intrinseca absque ulla distinctione reali in tertio. Confirm. Quicquid affirmatur de natura, quæ natura, affirmatur etiam de Paternitate, quæ natura: & e contra. Sic istæ propositiones. Natura communicatur Filio, Paternitas non communicatur Filio, habent hunc sensum: Natura est natura communicata Filio, & non est Paternitas communicata Filio: Paternitas non est Paternitas communicata Filio, sed est natura communicata Filio; ergo ad suam verificationem non indigent distinctione reali in tertio, sive intrinseca virtuali. Resp. dist. maj. Prædicatur de Paternitate tamquæ de subiecto capaci per disconvenientiam conc. per convenientiam neg. maj. & concessa min. neg. conf. Ratio est, quia, quando de duobus extremis identificatis prædicatur aliquid de uno, tamquam de subiecto capaci per disconvenientiam, non requiritur aliquid identificatum cum illo, & non cum altero: sed e contra; cum alterum ratione illius convenientiæ, quam habet cum illo prædicato, sit incapax ad denominationem, adeoque prædicatum conveniens illi, & non alteri identificatur cum illo, & non cum altero, in quo stat distinctio realis in tertio; ut patet ex n. 156.

186. Ad Confirm. dist. ant. cadente ly. quæ natura, & non quæ Paternitas supra effectus distinctos realiter à natura, & Paternitate neg. supra ipsam naturam identificatam realiter cum Pa-

ternitate conc. ant. & neg. conseq. Ratio est, quia si natura, & Paternitas sunt indivisibiliter idem, Paternitas verò, & Terminus communicationis, nempe Filiatio, non sunt indivisibiliter idem, quomodo stare potest, quod prædicatum aliquod afficiat realiter sive per identitatem realem totum illud, quæ natura, & non quæ Paternitas est, quin natura & Paternitas realiter in tertio distinguantur? Illa sane reduplicatio cadens supra naturam quæ naturam, & non quæ Paternitatem quid aliud significat, nisi quod natura indivisibilis identificatur cum Relationibus realiter distinctis? Etenim in divinis idem est communicari ac esse. Unde dicere, natura est communis tribus Personis, idem est ac dicere natura est idem cum tribus Personis. Hoc autem quid aliud est nisi exprimere distinctionem realem in tertio, ut à nobis expositam?

Objic. 10. Instando simul solutionem. Istæ propositiones, natura communicatur Filio: Paternitas non communicatur Filio non arguunt inter sua extrema distinctionem realem in tertio; ergo nullæ sunt affirmationes, & negationes veræ de prædicatis realiter identificatis, quæ arguant distinctionem realem in tertio. Probat ant. affirmationes, & negationes veræ, quæ non habent idem objectum, non arguunt distinctionem realem in tertio: sed illæ propositiones non habent idem objectum; ergo &c. Probat min. In illis propositionibus utpote de prædicato adjectivo, & concreto, subiectum iteratur in prædicato; adeoque affirmatiivæ sensus est: Natura est natura communicata Filio, & sensus negatiivæ est: Paternitas non est Paternitas communicata Filio; atqui ista objecta sunt diversa; natura enim communicata Filio est natura realis, & divina; Paternitas communicata Filio est Paternitas chimerica; ergo &c.

Confirm. 1. Vel in propositione negatiivæ, negatur de Paternitate eadem communicatio, quæ de natura dicitur, vel non. Si 1. ergo negatur de Paternitate id, quod est idem cum ipsa; Paternitas enim re ipsa est natura communicata Filio. Si 2. ergo negatur de Paternitate diversa communicatio; adeoque non habet idem objectum. Confirm. 2. Ista propositio falsa: Paternitas communicatur Filio est de objecto chimerico: sed est propositio immediate contradicens illi negatiivæ, Paternitas non communicatur Filio; ergo sicut illa est de objecto chimerico, sic & ista. Adeoque illæ propositiones: Natura communicatur, Paternitas non communicatur non sunt contradictoriæ, utpote de diversis objectis. Confir. 3. Hæc propositio natura communicatur Filio, affirmat identitatem naturæ cum Filio; ista verò: Paternitas non communicatur Filio, negat identitatem Paternitatis cum Filio: atqui identitas naturæ cum Filio est realis: identitas verò Paternitatis cum Filio non est realis, sed chimerica; ergo non habent idem objectum.

Resp.

189. Resp. Neg. ant. ad probat. conc. maj. & neg. min. Ratio est, quia illa propositio: Paternitas non est Paternitas communicata Filio, non attingit Paternitatem, quæ communicatur Filio, sed quæ non communicatur: alioqui non esset propositio vera, sed falsa. Paternitas verò, quæ non communicatur Filio, non est chimerica, sed realis, & cui realiter communicatur, seu identificatur natura divina, adeoque illa natura, & illa Paternitas sunt objectum realiter idem. Vide à n. 146. Ad primam Confirmationem dico negari de Paternitate communicatione in concreto, quæ in concreto dicitur de natura: hæc autem ultra identitatem virtuales se habentem ex parte nature, dicit etiam identitatem virtuales se habentem ex parte Filiationis, quæ identificatur cum natura, & non cum Paternitate ex n. 115. Unde non negatur de Paternitate, quod est idem cum ipsa; Nam licet Paternitas sit communicatio nature sumpta ea communicatione neutraliter, & identice, non est communicatio nature sumpta ea communicatione concrete, & denominative, ut eo num. 115. explicavimus.

190. Ad secundam Confirmationem, neg. maj. Quia ista propositio: Paternitas communicatur Filio, non est falsa ratione objecti chimerici, sed quia attingit Paternitatem modo ei dissona, & disconveniente; opponitur enim huic propositioni veræ: Paternitas non communicatur Filio, quæ objectum reale attingit, & non chimericum. Ad tertiam Confirmationem dist. secundam probat. maj. Negat identitatem Paternitatis cum Filio, quæ sit Filiatio neg. quæ sit Paternitas conc. maj. & distincta min. neg. conseq. ut patet ex n. 146. Quin imò est illæ propositiones, prout adversarij intendunt, ultra objectum reale, attingerent ex parte objecti aliquid chimericum; adhuc non possent verificari absque distinctione reali in tertio. Ratio est, quia ista propositio: Natura communicatur Filio, ita attingit Filiationem realem, ut eam verè affirmet identificatam cum natura: Ita verò: Paternitas non communicatur Filio, ita attingit Filiationem realem, ut non possit eam verè affirmare de Paternitate; licet natura, & Paternitas verè identificentur, adeoque manifestè præferunt distinctionem realem in tertio; ut dixi n. 147. Quod noto, ne quæstio ista pendere videatur à re purè philosophica, seu ente rationis.

191. Objic. 11. Ex mysterio Incarnationis, Tres Personalitates divinæ possunt uniri immediate eidem humanitati, sive per unam, sive per triplicem unionem, quin uniatu immediate natura: sed ista contradictoria: tres Personalitates uniantur immediate, natura non unitur immediate, non habent tertium realiter distinctum, cum nullum detur, in quo complexum trium Personalitatum distingatur à natura; ergo &c. Confirmatur primò. Si solum daretur in Deo una Personalitas, posset im-

mediate uniri, non unita naturâ: atqui ad illa contradictoria, Personalitas unitur, naturâ non unitur, nullum assignatur tertium; ergo &c.

Confirmatur secundo. Potest cognosci Personalitas, imò & Personalitates, non cognita naturâ: ergo & possunt uniri, non unita naturâ. Confirmatur tertio. Potest uniri natura, non unita ulla Personalitate; ergo admitte prædicata contradictoria respectu Personalitatum absque tertio distincto. Quod idem esset, quando cognosceretur natura nullâ cognita personalitate, aut e contra. Propter hanc difficultatem aliqui Doctores, alias ingeniosissimi, negant totius argumenti, & Confirmationum assumptum, judicantes non posse, aliter assertionem nostram sustineri. At immeritò; Non enim huc transferri debent quæstiones ad alios Theologiæ tractatus pertinentes, sed permitti debent, & exponi in sensu, quem habent, cum assertionem nostram compossibili, ut statim constabit.

Resp. ex dictis n. 184. permitto maj. & neg. min. Ratio est, quia illa contradictoria jam habent tertium, non quidem distinctum à toto complexo adæquate, sed inadæquate, & adæquatam ad verificandam contradictionem. Etenim ideo in ea sententia unitur de facto immediate Personalitas, non unita immediate natura, quia unio terminatur immediate ad relativum, & non ad absolutum, juxta illud Concilij Tolertani sexti. Solus tamen Filius suscipit humanitatem in singularitate Personæ, non in unitate divinæ naturæ, id est in eo, quod est proprium Filij, non quod Commune est Trinitati; quoniam constat naturam Trinitatis esse non tamen Personam. Quare sicuti modò datur tertium, quia uniri immediate Filiationem, & non uniri immediate naturam, idem est, ac uniri id, quod solum est Filiatio; cum autem natura non solum sit Filiatio, sed etiam Paternitas, ea ratio, propter quam admittitur de facto unita immediate Filiatio, & non natura, imbibit manifestè tertium.

Pariter admisso eo casu possibili, quod unirentur immediate tres Personalitates, non unita immediate natura, eodem modo daretur tertium. Quia uniri immediate tres Personalitates, & non uniri immediate naturam, idem esset ac tres Personalitates uniri, prout una non est alia. Cum autem in natura non invenitur non esse unam, & aliam, ex eo natura non uniretur immediate. Cæterum eadem ratione, qua in natura non invenitur non esse unam, & aliam, invenitur jam tertium, etenim unio illa purè terminaretur ad Paternitatem; nec uniret naturam, quia terminaretur ad Paternitatem, prout realiter distinctam ab alijs Personalitatibus; adeoque cum natura, cum non sit realiter distincta, sed identificata cum alijs Personalitatibus, non uniretur immediate: at eo ipso respiceret pro tertio, alias Personalitates.

Explicatur ulterius: unio, quæ uniret triplicem

192.

193.

194.

195.

E 2

plicent

plicem immediatè Personalitatem, & non uniret immediatè naturam, non argueret unam solam contradictionem, sed potius unum aggregatum ex triplici contradictione. Una quidem contradictio esset in eo, quòd uniretur Paternitas, & non uniretur natura identificata cum Paternitate: altera in eo, quòd uniretur Filiatio, & non natura identificata cum Filiatione; altera in eo quòd uniretur spiratio passiva, & non uniretur natura identificata cum spiratione passiva. En modo tertium respectu cujusvis contradictionis: Respectu Paternitatis est Filiatio, & Spiratio passiva, quia Paternitas in eo casu terminaret immediatè unionem secundum quod est Paternitas realiter distincta ab alijs personalitatibus: cum autem natura non sit realiter distincta à Filiatione, & Spiratione passiva, ex eo natura non uniretur, & diceret pro tertio Filiationem, & Spirationem passivam. Eodem profus modo contradictio, quæ se teneret ex parte Filiationis, haberet pro tertio Paternitatem, & Spirationem passivam; & ea, quæ se teneret ex parte Spirationis passivæ, haberet pro tertio Paternitatem, & Filiationem. Unde aggregatum contradictionum includeret aggregata tertia, quorum singula essent assignabilia juxta naturam singularum contradictionum ibi inclusarum.

196. Eodem planè discursu assignaretur facilè tertium, si uniretur natura ratione sui, & non uniretur ratione sui personalitates. Ratio est, quia tunc uniretur natura, prout est terminus absolutus, indivisibiliter potens identificari cum unaquaque Personalitate, & non uniretur Personalitas, quia unaquæque non est potens identificari cum altera. Etenim licet tres Personalitates identificentur cum tribus, hoc tamen non est identificari indivisibile indivisibiliter, sed aggregatum cum aggregato, prout quodvis extremum illius aggregati identificatur cum ipso & non cum alio. Quare in eo casu non solùm daretur una, sed triplex contradictio, juxta dicta numero superiori.

197. Etenim una contradictio daretur in eo, quòd uniretur natura, & non uniretur Paternitas identificata cum natura; altera in eo, quòd non uniretur Filiatio; altera in eo, quòd non uniretur spiratio passiva. Quævis tium; nam uniri naturam, & non uniri Paternitatem ideo esset, quia uniretur natura, ut autem contradictio ex illis argueret suum terminum indivisibiliter potens identificari cum Paternitate, Filiatione, & Spiratione passiva. Paternitas autem non est potens identificari cum Filiatione, & Spiratione passiva; ac proinde uniri naturam, & non uniri Paternitatem jam haberet pro tertio Filiationem, & Spirationem passivam. Quod idem suo modo esset de alijs juxta dicta n. 195. Exinde

198. Ad primam Confirmationem neg. maj. Quia in eo casu nil haberet natura, quod identicè non haberet Personalitas. Adeoque non posset uniri natura, personalitate non

unita, vel contra. Ad secundam Confirmationem permitto totum. Sed quid exinde contra nos? Licet enim possint cognosci, & uniri tres Personalitates, non cognita neque unita natura, aggregatum illarum contradictionum jam includeret aggregata tertia. Singulum quidem pro singula contradictione, ut patet n. 195. Quin imò neque veritas contradictionis cognosci potest, quin cognoscat debere adesse aliquid tertium ex dictis n. 159. Ad tertiam Confirmationem omitto ant. & neg. conseq. Quia in eo casu aggregatum contradictionum includeret etiam aggregata tertia ex dictis n. 196.

Objic. 12. ex utroque Mystero. Distinctio realis in tertio relinquit totam difficultatem, quæ apparet in Mystero Trinitatis, & Incarnationis in sua vi, & efficacia; ergo non est utilior distinctio purè virtuali intrinseca: ac proinde cum ex alia parte tot, & tantas contineat difficultates, ut ex objectionibus patet, magis theologicum est illam rejicere, & ad difficultates componendas recurrere ad distinctionem purè virtuales. En præcipuum contra nos aliquorum modernorum argumentum. Confirmatur ad convincendum Ethnicum mysteria Fidei negantem plus prodest distinctio purè virtualis intrinseca, quam distinctio realis in tertio; ergo &c.

Resp. conc. ant. neg. conf. Nos enim non intendimus per distinctionem realem in tertio tollere mysteria Trinitatis, aut Incarnationis. Etenim si hoc desiderarent adversarij ad nõ respundã, sed admittendam distinctionem realem in tertio, planè esset hæreticum. Quid ergo intendunt per ea verba. *Relinquit totam difficultatem*, quibus distinctè sententiam nostram impugnant? Sanè non capio. Nos autem ex vi hujus distinctionis intendimus & explicare mysteria, quæ sunt certa de Fide, & frenare liberas aliquorum cogitationes ex dictis n. 127. Simulque contendimus argumenta opposita esse facilè solubilia, ut apparet ex dictis. Probationes autem, quibus roboramus nostram assertionem, esse efficaces.

Ad Confirmationem neg. ant. Quia neque distinctio purè virtualis, neque realis in tertio est medium ad convincendum Ethnicum. Quomodo enim convinceretur, ut credat tam difficilia mysteria per medium æquè difficile? Contra Ethnicum enim debemus arguere ex signis credibilitatis probando veritatem nostræ Fidei, & divinam revelationem de istis mysterijs, ut ea credat, quia illa Deus revelavit. Ex ratione autem solùm possumus probare dari in Deo prædicata, quæ captum nostrum excedunt; adeoque non esse contra veritatem mysteriorum, quòd ipse nequeat naturæ lumine superare difficultatem, quam ipsum lumen naturæ ostendit debere esse insuperabilem à nobis ex num. tertio. Quinimò tandem addo utiliore esse ad finem hunc obtinendum distinctionem realem in tertio. Primò, quia

quia ipsissima est mysterij explicatio. Secundo, quia rationi conformior, ut patet ab argumentis à nobis supra efformatis. Tertio, quia ratione illarum affirmationum, & negationum inter virtualitates realiter identificatas apparet in natura sibi relicta inferen-

dam fore distinctionem realem adæquatam: Nos autem inadæquatam, sive realem in tertio concedimus, contrarij verò nullam. Unde minorem, quàm ipsi, invenimus difficultatem, ut credantur Fidei nostræ mysteria.

## DISPUTATIO IV.

DE SCIENTIA DEI, EJUSQUE  
DIVISIONIBUS.

101. CUM Perfectiones, quæ in creaturis reperiuntur, semper secum afferant limitationem Deo repugnantem, exinde implicata valde fit resolutio circa quæstiones in hoc, & reliquis Theologiæ Tractatibus passim obvias: An scilicet Perfectiones, quæ in creaturis reperiuntur, inveniantur etiam in Deo verè, & propriè; an solum metaphoricè sicut dolor, & poenitentia. Qua de causa cum scientia sit in Hominibus, & Angelis Perfectio, quaerendum modò est, an scientia reperiatur in Deo propriè, an solum impropiè, & metaphoricè. Pro resolutione hujus, & similium quamplurimum difficultatum habenda præ oculis est accurata illa, & universalis Augustini regula ad discernendum terminos proprios ab impropijs, atque dignoscendum, quænam ratio per illos terminos significata conveniat DEO propriè: quænam autem impropiè, & metaphoricè.

## SECTIO I.

*Quid requiratur, ut detur in Deo verè  
& propria scientia.*

102. S. Thomas q. 2. de Veritate art. 1. in corp. refert quorundam antiquorum opinionem, quæ docebat dari in Deo scientiam non quidem veram, & propriam, sed metaphoricam: ad eum modum, quo Deo in facris literis tribuitur ira, dolor, & poenitentia; non quidem prout ratio his terminis significata Deo formaliter convenit, sed quia Deus præstat effectus, quos præstant homines affecti rationibus per illos terminos significatis: Etenim si homo iratus punit, punit etiam Deus. Si homo dolore, & poenitentia ductus mutat, aut destruit opus, quod fecerat, etiam Deus opus suum mutat, aut destruit. Si homo sciens, & sapiens operatur artificiosa principijs suis, aut finibus congruentia, & Deus similiter operatur. Unde non à vera scientia, quam Deus habeat, sed ab his effectibus sapientem, & scientem Deum designandum esse antiqui illi dixere.

103. Isti quidem similesque opinandi modi poenitens reselluntur ex ingeniosa illa Augustini re-

gula, quam tom. 8. lib. 2. ad simpl. tota quæstione secunda tradit ad exponendos, & discernendos terminos à terminis, & exinde dignoscendum, quænam ratio per eos terminos significata conveniat Deo verè, & propriè: quænam autem impropiè, & metaphoricè: Summa Augustinæ regula hæc est: Quando præcisione mentali detractis omnibus imperfectionibus, quibus tribuitur creaturis infecta ratio significata per nomen, permanet adhuc ratio illa cum aliqua pura perfectione sibi propria, & sufficiente ad constituendam genericam illam perfectionem, tunc ea perfectio DEO convenit propriè. Adeoque nomen tunc usurpatur in significatione non metaphorica, sed propria. Secus esto, si detractis omnino imperfectionibus, nihil perfectionis sibi propriæ, aut sufficientis ad genus illud constituendum retineat ratio significata.

Si quæramus exinde, an in Deo detur vera virtus misericordiæ? Facile inveniemus dari in DEO non quidem metaphoricè, sed verè, & propriè. Ratio est, quia misericordia in homine duo dicit, rationem genericam solum convenientem misericordiæ nimirum bonitatem subveniendi, & à miseria liberandi, atque compassionis affectum. En peculiarem rationem, qua ad hominem contrahitur: nimirum participationem miseriæ ejus, cujus homo miseretur per compassionem, quam de eo habet. Deus autem eam miseriæ participationem habere non potest, sed perfectam in animo tranquillitatem. Unde si à misericordia hominis mente auferas eam compassionis imperfectionem, manet vera ratio misericordiæ sine imperfectione; cum maneat bonitas subveniendi, & à miseria liberandi, quæ est vera, & propria ratio misericordiæ: adeoque misericordia non quidem metaphoricè, sed verè, & propriè reperitur in Deo, ad quem per tranquillitatem contrahitur. En juxta regulam suam Augustini verba: *Item de misericordia si auferas compassionem, cum ejus quæram miserearis, participatus est miseria, & remaneat tranquilla bonitas subveniendi, & à miseria liberandi, insinuaturs divina misericordia qualiscumque cognitio.*

205. Ex eadem Regula rectè ibi inest Augustin. dari in Deo, non quidem metaphoricè, sed verè, & propriè scientiam. En ejus verba: *Cum enim detraho de humana scientia mutabilitatem, & transitus quosdam à cogitatione in cogitationem, cum recolimus, ut cernamus animo, quod in contuitu ejus paulo antè non erat: atque ita de parte in partem crebris recordationibus transilimus: Unde etiam ex parte, dicit esse Apostolus nostram scientiam. Cum ergo hæc cuncta detraxero, & reliquero solam vivacitatem, certam, atque inconcussam veritatis una atque æterna contemplatione cuncta collustrantis: imò non reliquero; non enim habet hoc humana scientia, sed pro viribus cogitavero, insinuat mihi utcumque scientia Dei: quod tamen nomen ex eo, quod sciendo, aliquid non latet hominem, potuit esse rei utrique commune.*

206. Ex qua ratione Augustini rectè colligitur rationem significatam hoc nomine scientiæ convenire Deo propriè; quia detractis imperfectionibus mutabilitatis, accidentis, & discursus per transitus à cogitatione in cogitationem permaneat in ratione significata *notitia certa & evidens veritatis*. Sub quo conceptu nulla adest imperfectio, sed pura Perfectio, quæ sicut contracta ad prædictas imperfectiones convenit homini; ita ab illis separata, & contracta ad summam perfectionem convenit Deo, qui ratione suæ infinitæ virtutis intellectivæ necessitate ad cognoscendum, quidquid pro suo signo cognoscibile est, attingit objectum juxta omnem, quam præfert, cognoscibilitatem. Unde si pro signo, quo à Deo cognoscitur, est quoad omnes suos respectus verè affirmabile, attingitur à Deo affirmativè, si verò quoad aliquem respectum solum sit apprehensibile, attingitur à Deo apprehensivè. Ut per totum Tractatum latè patebit. Sic in signo prævio ad collationem auxiliij, quando Deus dicit: si confero Petro auxiliium, consentiet. Auxilium quoad realem suam existentiam extra causus ponendum, vel non ponendum, attingitur apprehensivè, non autem judicativè; cum ex vi illius actus, neque affirmetur ponendum à parte rei, neque negetur, sed maneat Deus ad utrumque liber.

207. Quapropter si ea, quæ dicitur Perfectio in hominibus, talis sit, ut detractis illis imperfectionibus, Perfectio non maneat, nequit esse Deo, & creaturis communis: Tunc enim nomen significativum, ut perfectionem exprimat, tendere debet ad eas differentias limitationis. Sic in hominibus imperfectum est non timere Deum, vel non commutari de malo in bonum: adeoque carentia ejus timoris, & immutabilitatis reprehenditur in homine *Psal. 54. Non enim est illis commutatio, & non timuerunt Deum*. In Deo autem impotentia timoris, & incommutabilitas sunt perfectio. Exinde opinio, discursus, & id genus alia non reperiuntur in Deo; cum detractis imperfectionibus, & limitationibus non maneat ratio perfectio-

nis per ea nomina significata; etenim propter hanc rationem plura, quæ in hominibus sunt perfectio, contrahi non possunt ad Deum, aut e contra.

Audi Augustinum ex sua regula ita discurrerentem; *Nam si propterea non est illud de Deo dicendum, quia in homine displicet, non dicamus incommutabilem Deum; quia de hominibus cum reprehensione dictum est: non enim est illis commutatio. Item quædam in homine sunt laudabilia, in Deo autem esse non possunt, sicut pudor: quod & ætatum vividiorum magnum est ornamentum: sicut timor Dei non est tantum in veteribus libris laudatus, sed Apostolus etiam dicit: Perfectiores sanctificationem in timore Dei: Qui utique in Deo nullus est. Sicut ergo quædam laudabilia hominum non rectè dicuntur in Deo; sic quædam culpabilia hominum rectè intelliguntur in Deo, non ita ut in hominibus, sed vocabulis tantummodo communibus longè alia ratione, & modo. Hæc Augustinus: Unde si vocabulum non exprimat rationem Deo, & creaturis communem, sive perfectionem absque imperfectione, perfectio per illud significata non erit Deo, & creaturis communis: bene verò, quando in ratione significata nulla admittitur imperfectio, ut contingit in præsentia: Scientia enim, prout hic sumitur, est *notitia certa, & evidens veritatis*, quæ utpote nullam dicens imperfectionem verè, & propriè ad Deum contrahitur. Videatur Ruiz tom. de Vol. Dei à difficultate 44.*

## SECTIO II.

### Quæ, & qualis sit scientia Dei.

209. A Sero primò. Fide certum est dari scientiam in Deo. Probatum varijs scripturæ testimonijs, quibus Deus scientiam suam revelavit: Etenim Ester 14. dicitur: *Domine, qui habes omnium scientiam. Psal. 146. Scientia ejus non est numerus. Ad Rom. 11. O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei. Ad Coloss. 2. In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei absconditi. Qui plura velit Testimonia, consulat Ruiz de Mon. disp. de scientia Dei, sect. 1. Confirm. ex Dion. cap. 7. de Divinis nominibus dicente: Deum omnia scire, omnia scripta divina tradunt, nihil fugere divinam scientiam, Modò sic. Ex Regula interpretandi scripturas, quam omnes Theologi admittunt cum August. lib. 1. de Doct. Chr. verba scripturæ intelligenda sunt in sensu vero, & proprio, & non in metaphorico, quando neque ex contextu, neque ex ratione adest fundamentum ad oppositum: sed neque ex contextu, neque ex ratione adest fundamentum in oppositum, ne prædicta scripturæ testimonia intelligantur in vero & proprio sensu, ut constat ex sectione præcedente; ergo &c.*

110. A Sero secundò. Intellectus creatus naturæ lumine ductus ostendit dari scientiam in Deo. Probat. 1. Deus quæ Deus est causa prima necessaria, à cujus libito pender omnis crea-

creaturarum contingentia, ut ratione naturali monstravimus à n. 14. atq; adeò prout voluerit est liber ad illas producendas, vel nõ producendas: atqui nequit esse liber, quin sit intellectivus, & cognoscat ea, quæ potest facere, vel omittere; ergo Deus est cognoscitivus. Modò sic: Repugnat Perfectio in Deo, quæ non sit simpliciter infinite perfecta, ut constat à n. 28. Ideòque cognitio divina est notitia certa, & evidens veritatis, qua perfectione dempta non esset in linea cognitionis simpliciter infinite perfecta: sed talis notitia est verè, & propriè scientia, ut ex tota sectione præcedente, & ex ipsa terminorum explicatione constat; ergo &c.

111. Probat 2. In Deo utpote cumulo omnium perfectionum contineri debet non solum eminenter verum etiam formaliter perfectio, quæ reperitur in creatura, si vera perfectio maneat detractis imperfectionibus: atqui perfectio ista notitia certa, & evidens veritatis manet Perfectio detractis imperfectionibus, ut ex ipsa terminorum explicatione constat; ergo &c. Hujus Syllogismi evidentia adeò certa est, ut David stultos apeller illos, qui hunc discursum negant: sic enim habet *Ps. 193. Intellegite Insipientes in populis & Stulti aliquando sapite. Qui plantavit aurem, non audiet: aut qui sinit oculum, non considerat?* Ergo scientia Dei solo naturæ lumine clarè demonstratur. Huc reducenda est Probatio D. Thomæ desumpta ex Immaterialitate. Deus enim utpote perfectissimè immaterialis perfectissimè excludit omnem imperfectionem, quæ ratione materialitatis rebus materialibus convenit: atqui negatio, vel carentia scientiæ convenit rebus materialibus ratione suæ materialitatis; ergo Deus ratione suæ perfectissimæ immaterialitatis excludit carentiam scientiæ, adeòque habet scientiam.

112. Aliter tertio cum D. Thoma, Ex. Doctore aliisque, quos citat, & sequitur Ribad. *disp. 2. de Scientia c. 2.* contra Scotum, Durandum, Aalensem, aliosq; Recentiores. Virtus intellectiva in Deo nequè est potentia realis; neq; habitus, neq; actus primus realis ad intellectiones, si voces strictè sumantur: bene verò actus primus, & potentia ex modo nostro concipiendi Logica, & Metaphysica. Probat 1. pars. Potentia realis ad actum strictè sumpta significat potentialitatem, sive virtutem ad actum realiter incompletam, quæ per prædicata essentialia actui realiter completur: habitus autem significat accidentalem virtutem per modum qualitatis supervenientem potentia, cujus infirmitatem adjuvat: Actus primus realis talis est, quando datur distinctio realis ab actu secundo. Atqui virtus intellectiva in Deo incapax est talis potentialitatis, & infirmitatis, ut ab accidente adjuvetur; neque ab actu secundo intellectionis potest realiter distingui; ergo: si voces strictè sumantur, neque est potentia realis, neque habitus, neque actus primus realis ad intellectionem. Probat 2. pars: Potentia, & actus primus logicè sumptus, ut bene notavit Quirós *disp. 35. sect. 3. Stat in ve-*

ra consequentiâ de actu ad potentiam in ordine ad posse, sive ad capacitatem, ut sit: v. g. Deus est intelligens; ergo potest intelligere. Si verò metaphysicè accipiatur, comprehendit, quidquid ens complectitur: adeòq; non solum se extendit ad veram consequentiam in ordine ad actualiter esse, & operari, sive ad actum realem; qui analogicè ex similitudine cum nostro vocatur operatio: v. g. Deus realiter intelligit; ergo realiter adest illi intellectus, & intellectio; sive id, quod intelligit, & id, quo intelligit.

Modò sic. In Deo valent istæ consequentiæ: 213 Deus intelligit; ergo potest intelligere; & ergo adest illi id, quod intelligit, & id, quo intelligit: sed ista est ex modo nostro concipiendi potentia logica, & metaphysica, atque actus primus logicus, & metaphysicus; ergo &c. Confirm. utraq; pars. Triplex solè est genus potentia: alia enim est potentia realis, alia formalis, & alia virtualis, sive media inter utramq;. Potentia realis est, quæ exercetur per terminum realiter ab ipsa distinctè; sic aqua est potentia realis frigiditatis. Potentia formalis est, quæ exercetur sive in ordine ad esse, sive in ordine ad operari per terminum solum ex nostro modo concipiendi à potentia distinctum. Sic intellectus divinus respectu intellectionis necessariæ. Potentia virtualis est, quæ exercetur per terminum neque realiter, neque ex solo modo nostro concipiendi, sed virtualiter à potentia distinctum: sic Pater & Filius per Spiracionem activam virtualiter ab ipsis distinctam producant Spiritum S. atqui intellectus divinus nõ intelligit per intellectionem realiter, aut virtualiter ab ipso distinctam ex dictis à n. 128. Sed solum distinctam ex modo nostro concipiendi; atq; adeò neq; adjuvatur ab alio ad eam habendam; ergo virtus intellectiva in Deo neq; est habitus, neq; potentia realis, sed solum logica, & metaphysica respectu suæ intellectionis.

Probat 2. Utraque pars Concluf. Detractis 214 omnibus imperfectionibus à perfectionibus intellectus creati nõ manet Potentialitas, neq; infirmitas potentia, quæ adjuvetur, neq; intellectus excludens identitatem cum intellectione: manet autem perfectio in intellectu, ut inferamus consequentiâ de actu ad potentiam, sive ad capacitatem in ordine ad posse, & in ordine ad operari, sive ad operationem ex genere suo: atqui Deo solum concedendæ sunt illæ perfectiones, quæ remanere possunt detractis omnibus imperfectionibus, ut constat ex tota sect. 1. ergo solum concedenda est in ordine ad intellectionem potentia logica, & metaphysica: atq; actus 1. logicus, & metaphysicus; secus autè potentia realis, aut habitus, aut actus 1. realis. Confr. ex D. Thoma in 1. *Sentent. Dist. 7. q. 1. art. 1. ad 1.* dicente: *Ad 1. ergo dicendum quod illud est verum, quando actus differt realiter à potentia, à qua exit; tum enim oportet, quod prius sit in potentia, quam in actu, vel tempore, vel natura: sed in Deo est omnino idem re essentia, potentia, & operatio; sed differunt tantum ratione, & ideo in divinis non valet.* Ergo Potentia, & operatio; adeòq; & id genus alia differunt in Deo tantum ratione: atqui

atque quæ solum est potentia per rationem, solum potest esse, vel logica, vel metaphysica, ut ex dictis constat; ergo &c.

215. Respondebis Potentiam distinctam per rationem à suo actu, vel operatione posse dici potentiam realem per rationem productivam: secus autem productivam realiter: quo in sensu dici potest dari in Deo habitum, & actum primum realem per rationem. Contra tamen primò: potentia realis productiva intellectiōnis divinæ (idem esto suo modo de alijs) ut certum est apud omnes, imperfectionem significat: sed non possumus absque fictione adhuc per rationem admittere imperfectionem in Deo; ergo neque potentiam realem productivam per rationem. Contra secundò. Distinctio per rationem nõ attribuit rei, quod ipsa non habet: sed præcisivè se habet cognoscendo illam in ordine ad unum connotatum, nimirum in ordine ad intellectum nostrum, quin concipiat illam in ordine ad alterum connotatum; nimirum in ordine ad intellectiōnem: quo in sensu neque est chimerica, neque falsa: nam præcipientium non est mendacium, bene verò addentium: atqui concipere intellectum divinum, ut potentiam realem productivam suæ intellectiōnis esset attribuire illi, quod ipse non habet; ergo &c. Contra tertio. Distinctio rationis, cum sit rebus extrinsecæ, supponit ea prædicata, quæ extrinsecè distinguit per præcisionem, at prædicata ea non facit: sic distinguendo extrinsecè in Deo per diversum cognoscendi modum justitiam, & misericordiam, ea prædicata non facit, sed supponit, & distinguendo in nobis extrinsecè animal, & rationale non facit in nobis ea prædicata, sed supponit: atqui cognitio nostra nequit in divino intellectu supponere potentiam realem productivam suæ intellectiōnis; ergo &c.

216. Contra quartò. Potentia, quæ per rationem admitti potest in intellectu divino ad intellectiōnem, ea solum est, quæ venit ex diverso modo intelligendi, & significandi tantum intellectum, & intellectiōnem: atqui ex diverso modo significandi solum potest reperiri in Deo id, quod intelligit, & id, quo intelligit: secus autem Productio intellectiōnis; ergo &c. Maj. & conf. tener. Min. autem constat ex numero superiori. & est expressa D. Thomæ 1. Part. q. 41. art. 4. ad 3. dicentis: *Intelligere & velle non sunt tales actus, qui designent processionem alicujus rei à Deo distincta, vel essentialiter, vel personaliter. Unde respectu horum actuum non potest salvari ratio potentie in Deo, nisi secundum modum intelligendi, & significandi tantum, prout diversimode significatur in Deo intellectus, & intelligere; cum tamen ipsum intelligere Dei t ejus essentia non habens principium.* Ex quibus D. Thomæ verbis apparet, quantum distent doctrina D. Thomæ Recentiores Thomistæ, qui cum Godoi admittunt in intellectu divino potentiam plusquam logicam, aut metaphysicam. Ex dictis.

Fit primò Deum realiter vivere vitam intellectuivam, & volitivam omnino purissimam; adeoque esse purum actum. Ratio est, quia Deus realiter non est in potentia ad intellectiōnem, aut volitionem, sed ita est realiter intellectus: & ita est volitio, ut non possit non esse realiter voluntas: neque possunt existere in Deo sui actus, quin existant per totam æternitatem, per quam existit Deus: atque adeo, licet actus liberi, & contingentes supponerentur esse virtualitates defectibiles, si semel sunt, necessitas est, ut sint æterni, & in æternum: debent enim habere omnem perfectionem sibi possibilem, sive compossibilem cum perfectissima libertate, & contingencia, qualis est perfectio à nobis assignata. Unde adhuc respectu illorum actuum esset Deus realiter actus purissimus, neque posset esse potentia realis, sed solum virtualis juxta dicta n. 213.

Fit secundò per nostrum modum concipiendi, quo Deum concipimus in ordine ad intellectum nostrum, quin concipiamus illum in ordine ad nostram intellectiōnem, nequaquam impediri in Deo rationem actus purissimi. Ratio est, quia, quando concipimus Deum in ordine ad nostrum intellectum, & non in ordine ad nostram intellectiōnem, non negamus identitatem realent divini intellectus cum divina intellectiōne; sic enim non verè, sed falsò Deum conciperemus ex n. 215. Sed solum concipimus Deum in ordine ad nostrum intellectum distinctum realiter à nostra voluntate; etenim sicuti qui nullo modo concipit Deum, non exinde tollit à Deo rationem actus purissimi; ita qui non concipit illum in ordine ad identitatem intellectus cum intellectiōne, non exinde tollit ab ipso intellectu rationem actus purissimi, cum illam non neger, sed ex vi illius actus formaliter præcindat. Quapropter solum potest admitti in Deo intellectivum radicale præcisivè, sive logicè & metaphysicè: secus autem physicè, & realiter. Neque potest absque fictione à nobis in Deo concipi intellectivum radicale reale, & physicum: sic enim conciperetur distinctio realis intellectiōnis ab intellectu, quæ fictitia est.

### SECTIO III.

#### Solvantur Opposita.

Objic. 1. contra primam Conclusionem: Illud credimus Fide divina, cui assentimur propter Testimonium Dei veracis, & scientis: atqui non possumus ita credere existentiam divinæ scientiæ; ergo &c. Probat. min. per talem assensum crederemus existentiam scientiæ Dei; quia Deus scientia instructus revelat se habere scientiam: atqui talis actus est impossibilis: nequit enim scientia Dei se habere ex parte motivi ad credendum scientiam DEI; ergo &c. Confirm. 1. Motivum Fidei debet esse notius, quàm objectum materiale: Fidelis enim

enim medio motivo Fidei suadere potest infidelitatem, ut credat objectum materiale revelatum: at qui scientia Dei non est magis nota quam ipsa scientia; ergo &c. Confirm. 2. Si Deus revelaret duo non esse tria, ridiculum esset; præcisè quia de hoc habemus scientiam: sed etià de scientia Dei habemus scientiam; ergo non potest Deus illam nobis revelare; adeoque non possumus de illa Fidem habere. Confirm. 3. Ridiculum esset apponere medium ad obtinendum finem jam obtentum: sed per demonstrativam cognitionem de objecto intentionaliter obtinet intellectus finem suum; ergo ridiculum esset apponere medium Fidei ad obtinendum intentionaliter objectum.

210. Resp. conc. maj. & neg. min. ad probat. neg. min. quia habita demonstratione naturali de scientia Dei, quæ est præambulum ad Fidem, possumus insuper habere postea cognitionem de ipsa scientia magis infallibilem ex auctoritate Dei per ipsam scientiam constituta; juxta ea, quæ de existentia Dei diximus à n. 39. Etenim si scientia Dei est ratio infallibilizandi testimonium divinum ad credenda reliqua, si revelentur, quomodo non erit ratio infallibilizandi ipsum testimonium, ut credatur scientia, si reveletur? Quis enim ignorat idem objectum posse esse & materiale, & formale sub diversis considerationibus? Sic divina bonitas, quæ est ratio amandi alia objecta propter ipsam, est ratio amandi ipsam propter ipsam. Ad primam Confirmationem neg. maj. nam motivum Fidei sive motivum, ex quo credimus, non debet esse notius; imò revelatio divina semper est obscura; licet sit notius motivum, ex quo volumus credere, Motivum enim ex quo credimus est motivum intellectus, nimirum testimonium divinum infallibile, propter quod credimus: motivum autem, ex quo volumus credere, est motivum voluntatis, ratione cujus moveatur voluntas ad imperandum intellectui, ut assentiatur; quod nimirum fit in tot, & tantis credibilitatis motivis, ex quibus arguimus contra infidelem, ut assentiatur ex testimonio sibi, & nobis obscuro.

211. Ad 2. Confirm. neg. maj. Quia ad plures, & altissimos fines revelare Deus nobis potest ea, de quibus habemus scientiam: nimirum ut per assensum altiore, & supernaturalem mereamur: quod per naturalem assensum nequaquam merebamur; ut eliciamus assensum firmiter ex firmiore motivo; ut subjiciamus illi intellectum nostrum, & credamus potius, quia ipse dicit, quam quia nos videmus. Quæ cum ita sint, mirum est, quod Adversarij tamquam chimericam, & ridiculam concipiant eam revelationem. Ad 3. Confir. dist. maj. Ad obtinendum finem jam obtentum, si nulla adsit nova laudabilitas in eo, quod obtineatur per aliud medium, omitto, si adsit neg. maj. & dist. min. obtinet finem suum cum omni laudabilitate, qua potest illud obtinere neg. cum aliqua solum conc. min. & neg. conseq. Quia credendo ipsum

R. P. German. Theolog. Tom. I.

objectum per actum Fidei nova superadditur laudabilitas, & meritum, ut constat ex dictis. Quin imò argumentum istud adeò inefficax, & caliginosum est, ut & in ipsis naturalibus demonstrationibus cæcutiat. Etenim postquam intellectus obtinuit demonstrationem per unum medium absq; ridiculitate quærit demonstrationem per aliud; eo quod in ea per illud medium invenienda sit nova laudabilitas. Cæterum de his factis; alia quippe, quæ possent objici, proposita & soluta sunt à n. 31.

Objic. 2. Contra 2. Concl. Si posset demonstrari naturaliter Deum esse intelligentem, posset etià naturaliter demonstrari Productio verbi divini: sed hæc est naturaliter indemonstrabilis; ergo &c. Prob. maj. de ratione intelligentis est producere verbum, quando intelligit; ergo si naturaliter demonstratur Deum intelligere, productio quoque verbi divini erit naturaliter demonstrabilis. Resp. neg. maj. ad prob. neg. ant. quod in ipso Trinitatis mysterio manifestè est falsum. Nam Filius, & Spiritus S. sunt intelligentes, & non producunt verbum. Unde de ratione intelligentis nõ est producere verbum mentis: sed solum de ratione intelligentis facundi ad loquendum. Quæ fecunditas stare nõ potest absque termino à loquente productio. In creatis autem cum cognitio sit terminus ab intelligente productus, exinde est verbum mentis. In divinis verò essentialis cognitio, cum non sit terminus ab intellectu productus non est verbum mentis, neque ulla ratione naturali probari potest, quod ultra illam intellectionem debeat dari in divinis verbum, sive terminus intentionalis ex fecunditate ad loquendum productus.

Objic. 3. Contra 3. Concl. ex Aureolo. In Deo non datur propriè virtus intellectiva, sive intellectus, sed solum intellectio; ergo non potest dari potentia, aut logica, aut metaphysica ad intellectionem. Probat. ant. Nulla intellectio creata est magis purè intelligere, quam sit intellectio divina: atqui actualis intellectio creata ita est purè intelligere, ut non possit in illa distingui ratio intellectus, & ratio actualis intellectionis; ergo neque in intellectione divina. Resp. neg. ant. ad probat. dist. maj. sumpto ly purè ampliativè pro omnino perfecto conc. sumpto diminutivè pro sola perfectione actus absque perfectione intelligentis neg. maj. & dist. min. neg. conseq.

Ratio est, quia si ly purè sumatur ampliativè pro omnino perfecto, significat actum intelligendi habentem omnem perfectionem intellectioni possibilem: adeoque & identificatum cum intelligente: Cum autem intellectio creata non habeat secum identificatam perfectionem intelligentis, in hoc sensu non est magis purè, sed minus purè intelligere, quam intellectio divina. Si autè ly purè sumatur restrictivè pro sola perfectione intellectionis, absque perfectione intelligentis, in hoc sensu intellectio creata est magis purè intelligere, quam intellectio divina; cum non habeat secum identificatam perfe-

tionem intelligentis, quam habet divina intellectio. Quinimò non video, quomodo possit sustineri jam sententia Aureoli, postquam Concilium Rhemense, sub Innocentio III. definiit non solum dari in DEO id, quo est sapiens, sed etiam id, quod est insapiens: hæc autem definitio totam continet sententiam nostram.

225. Objic. 4. Contra alteram partem Conclusionis ex recentioribus. Concilia & SS. PP. præfertim Eusebius, Dionysius, Damascenus, Augustinus, & alij passim tribuunt DEO conceptum mentis, & virtutis intellectivæ: Juxta quam Doctrinam sexta Synodus generalis act. 4. hæc habet: *Duas dicimus unum, eundemq; Dominum nostrum Jesum Christum, sicut naturas, ita & naturales in se voluntates, & operationes habere, divinam scilicet & humanam: Divinam quidem voluntatem, & operationem habere ex æterno cum coessentiali Patre commanem.* Ubi volitionem divinam operationem appellat. Modò sic. Divina volitio eo modo, quo est volitio, est operatio: sed est volitio realis; ergo est operatio realis, sed operatio realis provenit à potentia reali; ergo voluntas divina, adeoque & intellectus divinus est potentia realis, & non solum intentionalis, logica, aut metaphysica. Confirmatur primò ex Concilio Rhemeni citato n. superiori, datur in Deo id, quo est sapiens, & id, quod est sapiens: sed id, quo est sapiens, est intellectio, & actus realis; ergo id, quod est sapiens, est intellectus, & potentia realis. Confirmatur secundò, de actu ad potentiam valet consequentia: atqui Deus est realiter intelligens; ergo est realiter potens intelligere: sed realiter potens intelligere est potentia realis; ergo &c.

226. Resp. Concessis Testimoniis SS. PP. & sextæ Synodi dist. maj. eo modo, quo est volitio identificata cum voluntate, est operatio neg. eo modo, quo est volitio distincta extrinsecè ex modo nostro concipiendi à voluntate conc. maj. & dist. min. est volitio realis identificata realiter cum voluntate conc. distincta realiter à voluntate neg. min. & conseq. cum ejus probatione. Ratio est, quia volitio solum est operatio ex mente Concilij eo modo, quo à voluntate distinguitur: cum autem non distinguitur realiter, sed solum formaliter, exinde non est operatio realis, sed solum metaphysica intentionalis. Sic etenim habet sexta Synodus eadem actioni 4. *Sola intelligentia, quæ unita sunt, discernentes propter confusio- nis duntaxat errore.* Quibus in verbis clare docet Synodus ab ea distingui in Deo realiter, quæ realiter sunt distincta; & distingui solum analogicè five ex nostro concipiendi modo, quæ per intellectum præcisivè solum possunt distingui. Quo in sensu ait subsequi volitionem ad voluntatem, five voluntatem ad naturam, id, est analogicè, prout consideratur in ordine ad nostram naturam, & voluntatem, quæ est

prior nostra volitione, in quo stat distinctio extrinsecè ex modo concipiendi, atque potentia, & actus metaphysicus.

Sic enim ait sexta Synodus eadem actione 4. 227. *Igitur sicut in tribus personis Trinitatis tres voluntates Personales asserere absurdum est; quoniam una natura est, quam sequitur voluntas una, ita in una Christi Persona, quæ duas naturas habet, duas voluntates, & duas operationes naturales negare impium est.* Certum namque est voluntatem divinam solum posse sequi naturam, sicut rationale sequitur hominem: idest per veram consequentiam metaphysicam: nimirum est homo; ergo est rationalis: adeoque Concilium ibi non loquitur de potentia reali, sed de potentia metaphysica. Exinde ad primam Confirmationem conc. maj. & dist. min. est actus realis secundus, five distinctus realiter à primo neg. actus secundus solum extrinsecè ex modo nostro concipiendi conc. min. & neg. conseq. ut constat ex dictis. Etenim intellectio non est actus secundus realis, sed realiter est actus purissimus ex n. 117. & 213. actus namque secundus modo, quo est secundus, debet distingui à primo. Ad secundam Confirmationem dist. maj. valet consequentia ad potentiam in linea, in qua est potentia conc. in linea, in qua non est potentia neg. maj. & dist. ut supra min. neg. conseq. cum probatione, quæ nulla est ex dictis. vide D. Thomam cit. num. 214. & 216.

Objic. 5. ex Godoi: Paternitas in divinis est principium physicum generandi Filium, 228. quin physicè influat in generationem activam cum ipso identificatam; ergo etiam intellectus divinus, licet identificetur realiter cum intellectu, poterit esse principium physicum, & potentia realis intellectiois. Confirm. 1. Intellectus divinus est actus secundus vitalis, & realis intelligendi: sed omni actui secundo correspondet suus actus primus; ergo intellectus est actus primus realis intellectiois. Confirm. 2. Plus concipitur operationis in Deo ut intelligente, quam in Deo ut æterno. Sed ita non esset, si intellectio non esset realis operatio; adeoque & intellectus potentia realis; ergo &c. Confirm. 3. Intellectio, quæ intellectio ideo est actus vitalis, quia est operatio realis: five positivè ab intrinsecò realiter profluens ab intellectu: & ideo alia attributa nimirum omnipotentia, æternitas, & id genus alia, non ita sunt actus vitalis; quia ut talia non sunt operatio positivè ab intrinsecò, sed solum negativè, idest non ab alio extrinsecò; ergo &c.

Resp. conc. ant. & neg. cons. Quia Pater non est principium physicum generationis activæ, 229. nimirum Paternitatis cum ipso identificatæ, sed Generationis passivæ nimirum Filiationis distinctæ realiter à Patre: Intellectio verò non distinguitur realiter ab intellectu. Ad primam Confirmationem neg. maj. Quia actus secundus

eo modo, quo est secundus, distinguitur à primo ex n. 227. Cum autem intellectio non distinguitur realiter ab intellectu, non est actus secundus realis; sed realiter est actus purissimus. Sic D. Thomas 1. Part. quest. 14. art. 2. in corp. *Cum igitur Deus nihil Potentialitatis habeat, sed sit actus purissimus, oportet, quod in eo intellectus, & intellectum sint idem.* Ad secundam Confirmationem; Omitto maj. & neg. min. quia intellectio divina; ut intellectio convenit cum nostra; quæ est actus ab intellectu nostro productus: ex quo, concipiatur ut metaphysica operatio; Duratio verò nostra non est actus à nobis productus, sed est actio Dei conservativa; adeoque ex respectu ad illam non concipitur æternitas; ut operatio æterni. Quod idem suo modo alij dicunt de præsentia; licet sit modus distinctus, cum non exigat produci qua talis à corpore præsentem; sed satis illi esset, quod à Deo produceretur; adeoque ex genere suo non est operatio ubi-eari. Si autem tales essent ex genere suo, nõ conciperetur plus operationis in uno, quam in alio; sed operationes diverso modo; nimirum vitales; & non vitales; cum lapis dureret, & sit præsens; quin sit vitalis. Qua de causa dixi omitto maj.

110. Ad tertiam Confirmationem neg. ant. Non enim requiritur, quod intellectio divina sit operatio realis; ut sit vitalis; sed satis est, quod sit intentionalis tendentia in objectu, & quod sit ab intrinseco per positivam immanentiam identitatis, non autem operationis realis. Quamobrem si intellectio contingens, vel scientia libera distingueretur virtualiter intrinsece ab intellectu, solum posset dici operatio virtualis; juxta dicta n. 213. Non autem operatio realis; nam operatio realis cum sit actus secundus modo; quo est secundus, distinguitur à primo, & intellectio virtualiter distincta ab intellectu nequit ab illo realiter distingui: adeoque neque esset actus secundus realis, neque operatio realis.

111. Objic. 6. contra alteram partem Conclusionis ex Henrico & Arriaga. In Deo dantur virtutes intellectuales non minus quam morales: adeoque vis intellectiva in Deo est virtus: sed virtus est habitus; ergo &c. Confirm. 1. Operari promptè, & facile est operari ex habitu: sed Deus promptè, & facillimè intelligit; ergo &c. Confirm. 2. Non possumus concipere intellectum divinum sine ea facilitate; ergo neq; sine habitu. Resp. dist. maj. Dantur virtutes, secundum quod istæ dicunt de pura perfectione conc. de imperfectione; aut limitatione neg. maj. & dist. min. virtus est habitus, secundum quod dicit pro limitatione conc. pro pura perfectione neg. min. & consequ. Ratio est, quia virtus eodem modo est habitus, quo scientia est discursus: sicut enim apud Philosophos, & Theologos discursus significat transitum ex notis ad ignota, ita habitus significat qualitatem advenientem virtuti impotenti, aut capa-

R. P. Gormaz Theolog. Tom. 4.

ci difficultatis. Unde sicuti est implicancia in terminis dicere: In DEO datur transitus de notis ad ignota sine imperfectione: ita est implicancia dicere: In Deo datur habitus sine imperfectione. Neque nobis licet immutare sensum vocis, quem omnes Theologi accipiunt; ut constat ex sexta Synodo n. 237. Vide infra n. 252.

Ad primam Confirmationem dist. maj. 232. Promptè & facile cum capacitate difficultatis conc. absque illa neg. maj. & dist. min. neg. consequ. Ratio est; quia juxta SS. Patres; utpote admittentes cum Augustino virtutes in DEO; satis est ad virtutem, quod natura rationalis ita tendat stabiliter in bonum; ut non possit tendere in malum, quod ad naturam habitus nequaquam sufficit. Ad secundam Confirmationem dist. ant. sine ea facilitate; & cum incapacitate ad difficultatem conc. cum capacitate ad difficultatem neg. ant. & consequ. Quin imò ly sine respectivè ad nostrum concipiendi, & exprimendi modum, dupliciter potest intelligi, nimirum & privativè, & præcisivè, privativè significat rem habere carentiam prædicati, cujus est capax: sic dicimus: Petrus est sine scientia: idest caret scientia, qua poterat denominari sciens. Præcisivè significat concipere rem in ordine ad unum connotatum; non quidem negando cognoscibilitatem in ordine ad alterum, sed duntaxat non cognoscendo eandem rem in ordine ad alterum connotatum ex num. 215. Unde quando res cognoscitur sine altero prædicato, ly sine sumpro privativè est res imperfecta, seu limitata. Si autem ly sine sumatur præcisivè; non exinde est limitata, aut imperfecta; sed imperfectè cognita: si ve cognita per cognitionem imperfectam. Omitto autem in præsentia hæc, & alia similia, quæ omnibus satis nota sunt ex Philosophia: Et hinc

Fit primò. Ea Apostoli verba ad Eph. 1. 233. *Secundum propositum voluntatis sue*, nullam significare potentialitatem voluntatis respectivè ad volitionem, sed distinctionem volitionis liberæ à voluntate, de qua latè infra differemus. Fit secundò Augustinum dicentem Deum esse causam suæ sapientiæ; non intellexisse per causam potentialitatem ullam, sed præcisam rationem formalem, quatenus valet hæc consequentia. Est DEUS; ergo est sapientia: ut ipse Augustinus habet num. 118. Quo in sensu dixit Chrysostomus: *Non à sapientia substantia, sed à substantia sapientia*: Sic enim arguimus desumendo species à creaturis. Sic etiam Justinus: *Quæ differentia est potentia ad actum, ea est voluntatis divine ad ipsum velle*: arguendo nimirum per analogiam per creaturas. Quin imò Bellarminus putat opusculum illud non esse Justinij; Sed hæc non militant contra nos.

## S E C T I O IV.

De Specie, Memoria, Discursu, &  
Scientiæ Divisione.

234. **A** sfero primò cum Augustino D. Thoma, Anselmo, alijsquemultis, quos citat & sequitur Montoia *disp. 4. sect. 1.* Dantur in Deo species intelligibiles, & memoria. Probatur primò. Species intelligibilis, & memoria manere possunt detractis omnibus imperfectionibus; ergo admitti debent in Deo. Consequentia tenet ex tota sectione prima. Probatur aut. si à specie creata intelligibili detrahantur imperfectiones accidentis productivi, aliæque similes, remanet hæc pura perfectio, nimirum applicatio objecti ad intellectum, ut potens intelligi intelligatur à potente intelligere. Tum etiam detractis à memoria creata imperfectionibus renovandi intellectionem interruptam per oblivionem objecti, alijsq; similibus remanet hæc pura perfectio, nimirum virtus necessariò retentiva speciei intelligibilis ad cognoscendum objecta semel intellecta: atqui istæ Perfectiones adimplent significatum suum theologicum requisitum ad constituendam speciem intelligibilem, & memoriam; ergo &c.
235. Probatur min. Istæ voces species intelligibilis, & memoria utpote ad placitum significantes adimplent suum theologicum significatum, dum exprimunt omne id, ad quod significandū instituta sunt à Theologis: sed ista vox species intelligibilis instituta est ad assignandam eam applicationem, sive mixta sit, sive depurata ab imperfectionibus: & ista vox memoria instituta est ad significandam virtutem illam cognoscitivam objecti semel intellecti; ergo &c. Maj. & consequentia tenent. Min. constat ex ipsis Theologiæ principibus Augustino, Anselmo, & Thoma his vocibus utentibus ad eas perfectiones significandas. Sic Augustinus *tom. 1. lib. de Præd. & Grat. c. 5.* de Deo ait: *Deus enim, qui nec loco clauditur, nec tempore prævenitur, omnium rerum tam præteritarum memoria, quam imminentium scientia plenus est. Nec reminiscens volvitur in præteritum, nec sperans tenditur in futurum.* Anselm. *in Monol. c. 46.* *In memoria summi Spiritus intelligitur Pater. & cap. 10. Tantum autem sui memor est, & intelligit se, quanta est ejus essentia.* Pariter D. Thomas *1. P. q. 14. art. 2. in corp.* *Ipsa species intelligibilis est ipse intellectus divinus, & sic seipsum per seipsum intelligit. & art. 4. In Deo intellectus, intelligens, & id, quod intelligitur, & species intelligibilis, & ipsum intelligere sunt omnino unum, & idem; ergo &c.*
236. Probatur secundò, intellectus ex formali suo conceptu solum est potens intelligere, & objectum ex suo formali conceptu solum est potens intelligi: mutua autem applicatio, sive actualis approximatio, ut detur simul intellectio, neque est de conceptu præciso intellectus, neque de conceptu præciso objecti: adeoque assignabile est nomen, quo ea perfectio significetur: sed

tale nomen assignatum est species intelligibilis, ut constat ex num. super. ergo &c. Rursum virtus necessariò retentiva speciei intelligibilis ad cognoscendum objecta semel intellecta, non est de præciso conceptu intellectus, ut evidenter patet in intellectu humano; adeoque assignabile est nomen, quo ea perfectio significetur: sed tale nomen assignatum est memoria, ut ex num. super. constat; ergo &c.

237. Probatur tertio, in rebus adeò gravibus, in quibus adest erroris periculum, non licet nobis instituire nova nomina, neq; applicare Deo ea, quibus in creaturis imperfectionem significamus: atque adeò non possumus tribuere Deo habitum, discursum, & id genus alia; tenemur autem uti verbis assumptis à SS. PP. ut præcipit sexta Synodus generalis act. 12. dicens: *Omnino necesse est non solum secundum sensum sequi SS. PP. dogmata, sed eisdem vocibus uti cum illis, nihilque penitus innovari:* atqui SS. PP. vocant in Deo speciem intelligibilem, & memoriam perfectiones à nobis expositas; ergo &c. Confirm. Licet voluntas divina sit summè volitiva, & amore digna, nihilominus quia ex suo formali conceptu voluntas præcisè est potens amare, & objectum præcisè est potens amari, exinde à SS. Partibus rectè conceditur essentia divinæ formalitas intellectio- nis, quæ sit intentionalis applicatio summi Boni ad summam voluntatem: sed eadem omnino est ratio ad concedendū Deo specie intelligibilem, & memoriam, ut constat ex dictis; ergo &c. Unde quando memoria restrictè sumpta significat potentia revocandi ex oblivione aliquid ad actualem cognitionem, metaphorice solum tribuitur Deo in lacris Literis: licet etiam tribuitur *oblivisci*, loquendo scilicet more humano, ut observat D. Greg. *lib. 22. Mor. c. 6.*

238. Affero secundò, cum D. Thoma, eximio Doctore, & communi Theologorum: vis discursiva simpliciter, & absolute dicta nequam reperitur in intellectu divino. Probat. 1. Vis discursiva simpliciter, & absolute dicta est illa, quæ efformare potest discursum simpliciter, & absolute talem: sed intellectus divinus nequit efformare discursum simpliciter, & absolute talem; ergo &c. Probat. min. discursus simpliciter, & absolute talis includit necessariò cognitionem principij, sive antecæteris objectivi, quæ non sit clarissima, & comprehensiva cognitio conclusionis: etenim si cognitio antecæteris est simul clarissima, & comprehensiva cognitio conclusionis, nequit intellectus ab uno ad alterum discurrere, seu progredi intellectualiter, sed simul unico intuitu est in utroque termino: ad eum modum, quo si eadem actione, vel impulsu collocaretur à Deo in duobus locis quædam entitas, eo ipso, ut ea duo loca occuparet, non discurreret, aut progrediretur localiter ab uno loco ad alterum, sed simul esset unico impulsu in positione utriusq; termini: atqui Deus nequit habere cognitionem principij, seu antecæteris objectivi, quæ non

non sit clarissima, & comprehensiva cognitio conclusionis: etenim per cognitionem, quæ medium cognoscit, simul cognoscit in eo medio omnia, quæ cum ipso identificantur, aut connectuntur; ergo &c.

239. Probatnr secundò; Si Deus unico intuitu nõ cognosceret antecedens objectivum, & simul identitatem, vel connexionem cum objecto exinde illato, maximè quia eo modo cognosceret illativè: atqui hoc non est cognoscere illativè, sed comprehensivè, cum sit cognoscere objectum omni perfectione, quæ cognoscibile est; ergo &c. Confirm. 1. Deum cognoscere objectum limitatum non est cognoscere limitatè, neque intelligere objectum obscurum est intelligere obscurè, neque objectum opinabile est cognoscere opinativè, sed verè comprehensivè, eò quòd ea objecta clarè, & evidentè cognoscat, quàm perfectè cognoscibilia in eo signo sunt: atqui ut Deus cognoscat objectum antecedens, quantum cognoscibile est, debet cognoscere, quidquid per identitatem, vel connexionem ex eo inferitur; ergo cognoscere unico intuitu illam illationem, non est cognoscere illativè, sed comprehensivè.

40. Confirmatur secundò, ex D. Thoma 1. P. q. 14. art. 7. dicente: *Resp. dicendum, quòd in scientia divina nullus est discursus: procedentes enim à principijs ad conclusiones non simul utrumque considerant. Deinde quia discursus talis est procedentis de noto ad ignotum; Unde manifestum est, quòd quando cognoscitur primum, adhuc ignoratur secundum, & sic secundum non cognoscitur in primo, sed ex primo.* Quæ verba, si bene expendantur, & conclusionem, & rationem nostram simul includunt; ergo &c. Exinde præcludimus aditum ad quætionem de voce quoad syllogismum virtuale: nam si pro syllogismo virtuali intelligatur solum cognitio unico intuitu simul comprehendens antecedens, & illatum, verè dabitur in Deo syllogismus virtualis: si autem requiratur, quòd saltem ratione nostra absque fictione concipiatur Deus illativè cognoscens, & discurrens omnino Deo repugnat ex dictis n. 215. Etenim sicuti absque fictione non possumus concipere Deum verè, & propriè, & absque metaphora currentem, ita neque discurrentem.

41. Affero tertio, cum omnibus Theologis scientia Dei in tota sua latitudine sumpta solum id, quòd requirit saltem ad denominationem, non est eadem indivisibilis virtualitas. Probatnr facillè, & explicatur simul Conclusio. Aliqua scientia est Deo quoad denominationem necessaria: v. g. Scientia suorum prædicatorum, & scientia possibilium; Deus etenim necessariò cognoscit seipsum existentem: cognoscit etiam necessariò, quanam sint prædicata possibilium: sive quæ ab ipso possunt produci absque contradictione. Rursus aliqua scientia non est Deo quoad denominationem necessaria: v. g. scientia visionis de hoc mundo, de peccato Petri, de futuris, quæ cognoscit exitura pro sua dif-

ferentia temporis, vel quæ extitissent liberè à creatura, si Deus auxilia, quæ prævidit, eis dedisset, juxta illud Matt. 10. *Va tibi Chorozaim, ve tibi Bethsaida, quia si in Tyro, & Sydone factæ essent virtutes, &c.*

Modò sic: sicut potuit Deus hunc mundum non producere, neq; alia, quæ pro sua differentia temporis produceret, ita potuit cognoscere, quòd hic mundus, & alia futura non existerent: adeòque scientia, quam habet de existentia hujus mundi, & de existentia futurorum pro sua differentia temporis, non est quoad denominationem Deo necessaria. Pariter quæ Petrus poruerit non peccare, Tyriique & Sydonij poruissent prævideri sub illis auxilijs non acturi penitentiam, scientia, qua Deus videt peccatum absolutum Petri, & penitentiam conditionatà Tyriorum, non est quoad denominationem necessaria Deo: atqui scientia quoad denominationem defectibilis, & scientia quoad denominationem indefectibilis non est eadè indivisibilis virtualitas quoad denominationem, ut ex ipsis terminis patet; ergo &c. Quid autem addat ea denominatio, latè infra dicemus. Exinde

242. Dividitur primò scientia Dei in scientiã simplicis intelligentiæ, & scientiam visionis. Scientia simplicis intelligentiæ est illa, qua Deus cognoscit res possibles quæ tales præscindendo ab eo, quòd existant, vel non existant: atque adeò per hanc scientiam cognoscit Deus non solum res possibles, quæ nunquam erunt, sed etiam, quæ aliquando existunt, præcisè ut possibles sunt. Scientia visionis est illa, qua Deus intuetur res existentes in aliqua differentia temporis. Exinde ad scientiã simplicis intelligentiæ spectat cognoscere ea, quæ rebus conveniunt, præscindendo ab actuali earum existentia, qualia sunt quæ ad essentiam, & passiones metaphysicas pertinent; ut homo est animal rationale &c. Ad scientiam verò visionis spectant illæ veritates, quæ rebus ut actu existentibus pro aliquo tempore conveniunt.

243. Dividitur secundò in scientiam naturalem, liberam, & scientiam inter utramque mediam. Scientia naturalis vocatur, quæ necessariò convenit Deo, nec potuit unquam ab eo deficere: qualis est ea, quæ circa objecta necessaria versatur, sive ut possibilium, sive ut existentium. Libera verò appellatur ea, quæ & Deo potuit deficere, & fundatur, aut præsupponit decretum aliquod liberum, & actuale divinæ voluntatis; qualis est scientia cognoscens absolutam rerum contingentium existentiam, quæ nulla potest esse absque actuali decreto divinæ voluntatis eam volente, vel permittente; Etenim, ut ait Augustinus tom. 3. in *Ench. c. 5.* *Non ergo fit aliquid, nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo, ut fiat, vel ipse faciendo; & cap. 100.* *Propterea namque magna opera Domini exquisita in omnes voluntates ejus, ut miro, & ineffabili modo non fiant præter ejus voluntatem, quòd etiam contra ejus sit voluntatem; quia non fieret, si non sineret; neque utique nolens sinit, sed volens.*

245. Scientia media inter naturalem, & liberam est illa, qua Deus cognoscit futura contingentia conditionata sub conditione conducente: v. g. quod Tyrus & Sydonij egissent Pœnitentiam, si Christus illis prædicasset. Hæc enim scientia non est necessaria; cum enim Tyrus prædicante eis Christo potuissent liberè non agere pœnitentiam, sicut non egerunt alij, quibus Christus prædicavit, potuit deficere Deo scientia de eorum pœnitentia sub conditione Prædicationis Christi conducente. Neque ista scientia est libera, quia nullum præsupponit actuale Decretum in Deo, in quo illa sit libera. Cæterum quia participat aliquid de scientia necessaria, nimirum antecedentiam ad actum liberum actualem divinæ voluntatis, simulque participat aliquid de libera, nimirum contingentiam, & defectibilitatem, hac de causa vocatur scientia media, id est, media inter necessariam, & liberam. Unde inferes, quàm infulsè objiciant aliqui nos negare Deo scientiam integram, & concedere mediam. Sic olim in quodam Theatro sedens, cui Propugnator respondit. Tu es homo medius inter duos homines; ergo es medius homo. Verùm de hac scientia media, quam schola Societatis defendit, futurus est longus sermo infra.

246. Quærent hic aliqui, an scientia media debeat etiam dici media inter scientiam simplicis intelligentiæ, & scientiã visionis? Affirmant aliqui, quia judicant idem omnino esse scientiã simplicis intelligentiæ, ac scientiã naturalem: Idemque esse scientiam liberam, ac scientiam visionis. At non bene; quia scientia naturalis intuetur existentiam prædicatorum necessarium Dei, quod non attinet ad scientiam simplicis intelligentiæ. Tum etiam scientia naturalis est scientia visionis eorundem Dei prædicatorum, & non est scientia libera: ergo scientia visionis non est omnino idem cum scientia libera: neque scientia naturalis est omnino idem cum scientia simplicis intelligentiæ. Alii dicunt scientiam mediam reducendam esse ad scientiam simplicis intelligentiæ; quia ad illam reducitur, quidquid cognoscitur, si per eam cognitionem non attingatur ut absolute existens pro aliqua differentia temporis. Ita eximius D. Molina, Vasquez, Lessius &c. alij è converso judicant reducendam ad scientiam visionis; quia ad illam reducitur, quidquid cognoscitur, & non ut pure possibile. Unde, ut apparet, quæstio est pure de voce, in qua rectius est explicare terminos, quibus expositis nulla manet difficultas. Nam si nomine simplicis intelligentiæ veniat, quod assumit Molina; scientia media ad illam reduceretur: si verò veniat, quod assumit altera sententia, reduceretur ad scientiam visionis.

247. Quapropter censéo scientiam mediam juxta varias considerationes posse jam ad scientiam simplicis intelligentiæ, jam ad scientiam visionis reduci. Ratio est, quia scientia media ex n. 245. participat aliquid de scientia necessaria, a-

deoque secundum istam considerationem potest ad eam reduci. Tum etiam ex ibi dictis participat aliquid de scientia libera: adeoque secundum istum conceptum potest ad illam reduci. Hanc doctrinam expressè tradit Arist. lib. 5. Phys. c. 1. tex. 6. docens mediũ quodammodo esse utrumque extremum, adeoque; in quantum est unum extremum, esse contrarium alteri. Sic vox media inter gravem, & acutam, respectu gravis est acuta: respectu acutæ est gravis: Color fuscus respectu nigri habet rationem albi, respectu albi habet rationem nigri. En verba Arist. *Est enim quodammodo medium ipsa extrema; quapropter & hoc ad illa, & illa ad hoc quodammodo dicuntur contraria: ut media gravis ad ultimam, & acuta ad primam, atq; fuscum album ad nigrum, & nigrum ad album.* Quam doctrinam amplectitur D. Thom. loquens de Angelo 1. P. q. 10. art. 1. ad 1. dicens: *Substantie incorporee medium sunt inter Deum, & creaturas corporeas: Medium autem comparatum ad unum extremum videtur alterum extremum, sicut tepidum comparatum calido videtur frigidum.*

Exinde antiqui Theologi cum non haberent institutum nomen ad exprimendam hanc scientiam futurorum conditionatorum, quandoque reducebant illam ad scientiam simplicis intelligentiæ, quandoque ad scientiam visionis, secundum diversas considerationes, sub quibus accipiebant scientiam illam, de qua loquebantur. Sic D. Thom. 1. P. q. 14. art. 9. *Quaedam vero sunt, que sunt in potentia Dei, vel creature, que tamen nec sunt, nec erunt, nec fuerunt. Et respectu horum non dicitur habere scientiam visionis, sed simplicis intelligentiæ. Quod ideo dicitur, quia ea, que videntur apud nos, habent esse distinctum extra videntem.*

Cum ergo objectum scientiæ mediæ maxime reduceat inter ea, quæ nec sunt, nec erunt, nec fuerunt, sed essent, si purificaretur conditio, uti pœnitentia Tyrionum, de qua n. 241. Exinde D. Thomas manifestè in hoc textu reducit scientiam mediam ad scientiam simplicis intelligentiæ. Quod ideo est, quia ibi, ut advertit, nomine scientiæ visionis intelligit eã, quæ intuetur existentiam rei pro sua differentia temporis, & non solum objectivè in cognitione. Rursus 3. P. q. 1. art. 5. ad 2. reducit illam ad scientiam visionis, quatenus consensunt conditionatum creature liberum, vocat visum sive prævisum à Deo, non modo illum, cujus conditio verificabitur, sed etiam illum, cujus conditio non verificabitur, qualis fuit Pœnitentia Tyrionum, de qua ibi loquitur: Sic eterni ait: *His, quos prævidit, si apud eos facta essent (divinarum signa virtutum) suis miraculis credituros, quibus voluit, subvenit, alijs autem non subvenit.* Instituto jam nomine ad eam scientiam exprimendam, rectius vocatur media etiam inter scientias simplicis intelligentiæ; & visionis.

250. Dividitur tertio, in scientiam practicam, & speculativam, quarum explicationem unusquisque deducit ex principijs in Logica traditis circa naturam practici, & speculativi. Dividitur 4. in scientiam approbationis, & simplicis notitiæ, quæ variè ab alijs explicantur. Sed clariùs, ac rectiùs juxta Augustinum in hunc modum. Scientia approbationis est scientia visionis, qua Deus videt objectum jam productum, quando hæc scientia conjungitur cum actu divinæ voluntatis approbante, & complacente in existentia illius objecti. Quando verò non conjungitur cum eo voluntatis actu, est simplex notitia. Quæ de causa circa peccatum nulla datur scientia approbationis in Deo. cum non jungatur cum actu complacente in peccato. Exinde quando dicitur in sacris litteris Deum ignorare peccata, intelligitur non cognoscere peccata per scientiam approbationis.

251. Quapropter Augustinus tom. 8. *super illud Ps. 100. Declinavim à me malignum non cognoscebam*, hæc habet: *Cum declinaret à me malignus, non cognoscebam. Quid est non cognoscebam? non approbavam, non laudavam, non mihi placebat. Cognoscere enim invenimus in Scripturis aliquando dici pro eo quod est placere nobis. Et tom. 4. lib. 2. Quæst. 9. 152. Deus dicitur scire, quæ illi placeant: nescire, quæ displicent. Non quia ignorat ea, sed quia non approbat.* Dividitur 5. in scientiam propter quid, quæ est scientia effectûs per causam immediatam, & in scientiam quia, quæ est scientia de objecto per quodlibet medium connexum cum illo. De quibus omnibus per totum istum Tractatum agemus.

## SECTIO V.

### Solvuntur Opposita.

252. Objic. 1. contra primam assertionem. Licet in intellectu divino detur formalitas promptè, & facillè operandi, at quia non datur formalitas capacitatis ad difficultatem, non datur habitus; ergo licet detur formalitas applicationis objecti ad intellectum, at quia non est objectiva, sed formaliter vitalis, non erit species; & quamvis detur formalitas virtutis retentivæ illius applicationis ad cognoscenda objecta semel intellecta, quia tamen non datur capacitas ad oblivionem, non dabitur memoria. Resp. conc. ant. & neg. conseq. Ratio est, quia hæc vox, habitus, instituta solum est ad significandam utramque simul illam formalitatem, neque apud PP. & Concilia est in usu ea uti ad unam solum ex duabus illis exprimendum.

253. Istæ autem voces species intelligibilis, & memoria assumptæ sunt ex usu PP. ad illas perfectiones sine imperfectione explicandas, ut constat ex n. 235. Adeoque harum significatum

rectè possumus in Deo admittere; secus autem significatum habitus, ob rationem datam n. 237. Quin imò Aristoteles 7. *Ethic. c. 1. negans Deo habitus, negat virtutes; & concedit in Deo quid præstantius virtute, eo quòd ejus tempore virtus non explicabatur nisi per habitum.* Sic enim ait: *Nam sicut Bestia neque virtum est neque virtus; ita neque Dei. Sed hæc præstantius quid virtute: illa diversum quoddam à vitio genus est.* Unde si instituta esset vox ad explicandam sine periculo significandi imperfectionem illius facilitatis formalitatem, libenter vocem amplecteremur: sed cum instituta non sit, nobis non licet in re adeò gravi voces immutare: multòque minùs uti voce imperfectionem apud Philosophos, & Theologos significante.

254. Objic. 2. De constitutivo speciei intelligibilis juxta Aristotelem est, ut simul cum intellectu producat intellectiōnem, quod Deo repugnat: atque de constitutivo memoriæ, quòd sit de re præterita cognoscenda, quod etiam repugnat Deo, cui omnia sunt præsentia, & nihil præteritum: atqui repugnantibus in Deo constitutivis speciei intelligibilis, & memoriæ, repugnant pariter in illo species intelligibilis, & memoria; ergo &c. Resp. dist. maj. de constitutivo speciei, & memoriæ limitatæ conc. illimitatæ neg. maj. & dist. min. neg. conseq. Ratio est, quia illæ perfectiones, quas SS. PP. citati n. 235. vocant speciem intelligibilem, & memoriā, non afferunt ex se ullam limitationem: adeoque excludunt in Deo imperfectionem. Aristoteles autem non negat in Deo has perfectiones sine imperfectione, sed mixtas cum imperfectione. De quibus ipse agebat, ut constat ex n. superiori.

255. Objic. 3. contra secundam assertionem. Deus tanquam in causa immediata cognoscit omnes creaturas possibles in divina omnipotentia essentialiter cum illis connexa, atqui cognoscere effectum per causam immediatam illius est discurrere, formando demonstrationem propter quid; ergo &c. Confirm. 1. in divina cognitione representante omnipotentiam, ut causam creaturæ, & creaturam, ut effectum omnipotentiae distinguuntur in Deo ratione nostra duæ cognitiones: altera quæ, ut exprimit omnipotentiam, est formaliter cognitio causæ, & non effectûs; altera, quæ, ut exprimit creaturas, est formaliter cognitio effectûs, & non cognitio causæ: sed istæ sufficiunt ad formandum discursum; ergo ratione nostra datur in Deo absque fictione formalis discursus. Confirm. 2. ex recentioribus: in Deo dantur istæ cognitiones: si conferam Petro in istis circumstantijs auxilium A, consentiet: modò confero: Petrus consentiet: sed ex his cognitionibus formatur verus discursus ratione subordinationis earum cognitionum quoad denominationem Dei cognoscentis; ergo &c.

Resp.

256. Resp. dist. maj. In divina omnipotentia tamquam in medio objectivo comprehensivè attracto conc. tamquam in medio objectivo imperfectè cognito neg. maj. & dist. min. neg. conf. Ratio est, quia, ut constat a. n. 238. Ut intellectus discurrat, requiritur, quòd præcedat cognitio medijs objectivi imperfectè attracti per illam cognitionem, quod planè Deo répugnat. Ad primam Confirmationem dist. maj. Est formaliter cognitio causæ, & non effectûs, sumpto ly non præcisivè conc. privativè neg. maj. & dist. min. neg. conseq. Ratio est, quia, ut constat ex n. 232. quando ly non effectus, vel, quod idem est, ly sine effectu solùm potest dici præcisivè, si privativè sumatur, fingimus: adeoque adhuc per rationem absque fictione non possumus ex vi illius formalis distinctionis concipere in Deo discursiva. Sicuti non possumus concipere, quòd illa cognitio revera non sit sui objecti comprehensiva. Ad secundam Confirmationem conc. maj. & neg. min. Ratio est, quia illæ cognitiones quantumvis distinctæ sint secundum id, quod ad denominationem requirunt, nulla ex illis præsupponi potest, quæ sui objecti verè comprehensiva non sit: adeoque nulla ex illis potest esse discursiva, neque supponit alteram ut rationem formalem illuminativam, sed purè ut terminum objectivum cum objecto connexioni, in quo cognoscit Deus terminum connexionis.

257. Explico solutionem; Ista cognitio, si conferam Petro in istis circumstantijs auxilium A, consentier, nullam ex intrinsicis suis dicit connexionem cum consensu absolute futuro: cù ex intrinsicis suis nõ exigat, quòd Deus illud auxilium A conferat: neque auxilium A ex intrinsicis suis dicit ullam connexionem cum consensu absolute futuro, cum sit indifferens, & componibile tam cum consensu, quam cum dissensu: adeoque licet Deus cognoscat comprehensivè primũ actum seorsim à secundo, vel secundũ seorsim à primo, non exinde cognosceret consensum esse absolute futurũ: Connexio autem cum consensu absolute futuro stat in complexo ex utroque actu: at statim atq; datur illud complexum, Deus illud comprehensivè cognoscit, quin præcedat ullus actus vel purè apprehensivus illius complexi, vel imperfectè indicativus, qui sit ratio formalis illuminativa intellectûs divini, ut ex ea progrediatur, & efformet discursum: sicuti præcedit in nobis ad discursum efformandum. Unde cum illud complexum respectu nostri ad efformandum discursum præcedat ut cognitum, vel per præviam apprehensionem, vel per cognitionem imperfectam attingentem apprehensivè in præmissis connexionem, & identitatem extremorum inter se, quam identicè attingit per conclusionem, exinde præcedit, ut ratio formalis illuminativa; & cum respectu Dei non præcedat, ut cognitum, sed statim, arque cognoscibile est, comprehensivè illud, & in illo consensum absolute futurum unico intuitu simul cognoscat, non

præcedit respectu Dei illuminativè, sed purè objectivè: adeoque Deus ita cognoscens nequaquam discurret.

Objic. 4. contra tertiam assertionem: si daretur ea divisio scientiæ diviniæ quoad denominationem; daretur in Deo una scientia perfectior alia: sed hoc implicat; ergo &c. Probat. min. scientia, qua Deus cognosceret actum bonum creaturæ, diceret quoad denominationem concretum ex scientia; & actu bono, aut illius modalitate: & scientia, qua cognosceret peccatum, diceret quoad denominationem concretum ex scientia, & peccato, aut illius modalitate: sed unum concretum est perfectius alio; ergo &c. Confirm. Veritas unius scientiæ esset perfectior alia, cum veritas consistat in actu, & objecto; est enim conformitas actûs cum objecto; & applicatio creata ipsius perfectior alia. Resp. neg. maj. ad probat. dist. maj. diceret concretum sumptâ scientia pro actu scientifico identificato cum Deo neg. pro actu scientifico, & applicatione creata ipsius ad objectum, quæ cum Deo non identificatur omitto maj. & dist. min. unum concretum est perfectius alio secundum quod dicit pro actu scientifico identificato cù Deo neg. pro applicatione creata omitto min. & neg. conf. Ratio est, qui a, sicut speculũ non est perfectius, vel imperfectius, licet modò applicetur ad representandum equum, & postea ad representandum hominem: Ita neq; scientia Dei est perfectior, vel imperfectior ex eo, quòd modò applicetur ad representandum actũ bonum, & postea ad representandum actum peccaminosum: Tota enim diversitas se habet ex parte terminorum, qui neque identificantur cum speculo, neque ipsum perficiunt: sic etiam in casu nostro tota diversitas se habet ex parte terminorum, qui neque identificantur cum divina cognitione, neq; illam perficiunt. Quinimò tota ea diversitas materialis se habet per accidens ad intrinsicam scientiæ perfectionem, ut statim constabit.

Ad Confirmationem neg. ant. Duplex enim veritas considerari potest in scientia divina: altera quidem transcendentalis, & altera prædicamentalis. Transcendentalis stat in essentia ipsius diviniæ cognitionis nunquam potentis representare objectum, nisi ut est in se: & hæc utpote identificata cum Deo non consistit in objecto creato representato. Prædicamentalis stat in collectione ex cognitione, & objecto secundum formale utriusq; partis conformitatem, nõ autem secundum materiale utriusque. Formalis enim conformitas stat in eo, quòd scientia representet objectum, ut illud est in se, & quod illud in se sit, ut representatur à scientia: hic autem conceptus æqualiter convenit diviniæ scientiæ, sive representet actum bonum, sive peccaminosum: materiale verò conformitatis scientiæ cum objecto sunt ipsæ entitates representatæ, quarum entitativa inæqualitas per accidens se habet in ordine ad formale conformitatem, seu veritatem. Quemadmodum se habet

ber per accidens, quod unus palmus sit ligneus, & alter argenteus, ne sint omnino æquales in mensura.

260. Objic. 5. Ex Thomistis cum Alvarez *disp. 6. De Scientia Dei*: Scientia Dei adæquatè dividitur in naturalem, sive simplicis intelligentiæ, & liberam, sive visionis; ergo nulla est scientia inter utramque media. Probat. ant. S. Thomas securus antiquiores adæquatè divisit scientiam Dei: atqui solum divisit illam in ea duo membra assignata; ut constat ex 1. P. q. 14. art. 9. & 3. P. q. 1. art. 2. ad 2. & cap. 66. *contra Gentès*; alijsque in locis; ergo &c. Confirm. ex Gonet *disp. 6. de Scientia Dei art. 5. §. 5. n. 92*: Scientia, quam nos vocamus in mediam; fundatur in decreto divino actuali prædeterminante; ergo est scientia visionis. Probat. ant. Scientia, quam vocamus mediam, est libera Deo; ideo enim apud nos vocatur media, quia partim est necessaria; & partim libera, cum de utraq; participet: & ita est inter utramq; media: sed non potest esse libera Deo, nisi fundetur in actuali decreto divino prædeterminante; ergo &c.

261. Resp. dist. ant. adæquatè dividitur, si ex defectu vocis institutiæ medium per terminorum expositionem comprehendatur jam sub uno extremo ut alteri opposito jam sub altero ut opposito isti conc. si non ita comprehendatur neg. ant. & conseq. ad probationem conc. maj. & dist. min. In ea duo extrema comprehendendo medium per terminorum expositionem jam sub uno; jam sub altero extremo conc. non comprehendendo neg. min. & consi. Ratio est, quia cum tempore D. Thomæ non esset instituta vox ad explicandam scientiam mediam inter illa duo extrema, comprehendebatur in illa divisione jam sub uno extremo; jam sub altero; juxta expositionem unius extremi ut oppositi alteri: adeoque divisio illa tunc erat adæquata; ut constat ex ipso D. Thomæ a n. 248. & latius infra constabit, quando agemus ex professo de scientia media. Sic si non esset instituta vox ad explicandum colorem fuscum, quando color divideretur in album, & nigrum, color fuscus per terminorum expositionem poterat comprehendi jam sub albo; jam sub nigro; juxta Aristotelis, & D. Thomæ doctrinam traditam n. 247. Modò autem cum jam ea vox sit instituta, rectius dividitur scientia sigillatim ea tria membra exponendo.

262. Ad Confirm. neg. ant. ad probationem neg. maj. min. & conseq. Major enim est falsa; quia decretum prædeterminans non constituit, sed evertit libertatem; ut infra constabit. Minor etiam est falsa; quia scientia media non est Deo simpliciter necessaria, neque simpliciter libera: sed media inter utramque. Ratio est, quia scientia necessaria habet duo prædicata, nimirum quod non supponit decretum ullum actuale liberum Deo, & quod illius objectum per se non potest aliter esse. Ita se habet scientia Dei, qua se, suasque perfectiones necessarias

R. P. Gormaz Theolog. Tom. I.

comprehendit; nec nõ possibilia ut talia, omniumque prædicatorum essentialium connexionem; aut repugnantiam. Scientia simpliciter libera habet opposita prædicata. 1. Pendere à decreto Dei liberò actualiter existente. 2. Terminari ad objectum, quod per se potest aliter esse. Scientia media neque habet illa duo priora prædicata, neq; hæc alia duo posteriora; atque adeo neq; est simpliciter necessaria; neq; simpliciter libera. Quia tamen convenit cū scientia simpliciter necessaria in suo primo prædicato, & cum scientia simpliciter libera in prædicato ejus secundo, ea de causa est simpliciter media: Sic homo, quia solum convenit cum leone in ratione animalis, & solum convenit cum angelo in ratione rationalis, neq; est simpliciter leo, neque simpliciter angelus; sed simpliciter medius inter utrumque.

263. Objic. 6. Scientia necessaria Dei utpote simpliciter infinita cognoscit, quidquid cognoscibile est, & omni modo, quo est cognoscibile; ergo esset imperfectio intellectus divini admittere alias scientias ultra scientiam necessariam; adeoque divisio assignata scientiæ omnino repugnat Deo. Resp. dist. ant. & omni modo; quo cognoscibile est pro suo signo; sive pro signo necessariõrum conc. pro signo sequenti, sive pro signo contingentium; & liberorum neg. ant. & conseq. Ratio est, quia scientia necessaria, cum sit simpliciter infinita, se extendit ad cognoscendum comprehensive omnia necessaria tam divina actualiter existentiam; quam possibilia extra Deum, quæ non repugnant produci. At cum sit essentialiter vera; solum debet ea cognoscere modo, quo cognoscibilia; & affirmabilia sunt: In signo autem necessariorum nequaquam intelligi possunt contingentia, & libera ut actualiter existentia; sed solum ut potentia existere, vel non existere; sive absolute; sive conditionate: adeoque scientia, quæ verè affirmat creaturam absolute existentiam, vel quæ verè existet sub conditione indifferente ad ejus existentiam, vel non existentiam; non est scientia necessaria Deo, sed contingens; aut libera. Ex dictis

264. Fit primò cum Augustino, Ambrosio, D. Thoma, Chryostomo, Ex. Doctore *lib. 3. de Deo cap. 7. §. 3. Part. quest. 10. dub. 5.* & cum fere omnibus Theologis apud Compton *disp. 27. sect. 5.* & apud Terillum *Tract. de Reg. Mor. Part. 2. quest. 66.* contra Celladei; & perpaucos alios in eodem instanti realiter indivisibili dari plura signa prioritatis, & posterioritatis. Ratio est, quia in eodem instanti datur causa actualiter producens effectum; & effectus actualiter productus à causa; atque adeo datur effectus posterior naturæ suæ causæ; & causa prior naturæ suo effectui: Ordo enim prioritatis, & posterioritatis consistit in respectu causæ ad effectum; sive in respectu ad ea, quæ se habent ex parte causæ, vel per se præcedunt causam, & ad ea; quæ

quæ se habent ex parte effectûs, vel per se subsequuntur effectum: atqui talis respectus eiusque extrema in eodem instanti reali, & indivisibili reperiuntur; ergo & signa priora & posteriora in eodem indivisibili instanti reali reperiuntur.

265. Fit 2. non posse in aliquo instanti reali dari libertate ad operandum, vel non operandum realiter, quin in eodem instanti reali detur signum prius, & posterius. Ratio est, quia in eodem instanti, in quo voluntas liberè operatur, poterat non operari; aliter non esset libera. Etenim si quis dicat voluntatem liberè operantem in instanti B, iam esse determinatam in instanti A, ad operandum in instanti B, quærimus an illa determinatio, quam elicit in instanti A, sit ipsi libera, vel non? Si primum ergo in eodem instanti, in quo voluntas liberè se exercet, datur etiam determinatio, & exercitium liberum voluntatis, quo pro libito suo poterat se non exercere; alioquin non esset exercitium & determinatio libera voluntatis in instanti A. Si secundum, ergo voluntas non se exercet liberè in instanti B, per illam determinationem instantis A: evidens enim est non posse voluntate denominari liberam per determinationem ipsi non liberam, sed necessariam.

266. Quapropter in eodem instanti, in quo voluntas liberè se exercet, poterat se non exercere pro libito suo: atque adeo in eodem instanti, in quo liberè se exercet, datur actus primus, à quo ita descendit actus secundus, ut posset non esse pro libito voluntatis; ergo datur iste respectus actûs primi ad secundum, atqui actus ille primus est, qui à Philosophis & Theologis significatur per signum prius naturæ: & actus secundus per signum posterius; ergo signa priora, & posteriora negari non possunt in eodem instanti reali, & indivisibili, quin libertas voluntatis negetur. Exiinde non bene procedunt, qui in eodem instanti reali indivisibili negant signa, iudicantes prioritatem, & posterioritatem debere cadere supra partem priorem, & posteriorem rei indivisibilis. Non bene quidem; quia res indivisibilis non habet partes, sed capacitatem, ut plures res, quarum una pendeat ab altera, dentur in eodem instanti; atque adeo inter eas datur signum prius, & posterius; Nam res dependens est signum posterius, & ea, à qua in eodem indivisibili instanti pendet, est in eodem indivisibili instanti signum prius. Si enim hæc vocum significata distinguerentur, fortè illatio nostra à nemine negaretur. Quem in sensum S. Maximus in disp. contra Pyrrum apud Joannem Cipariotum Dec. 10. cap. 4. ait: *dicere, & non prius distinguere significata verbi nihil aliud est, quam omnino confundere, & obscura relinquere ea, de quibus questio est: quod quidem alienum est ab homine rationis participo.* Hac Sanctus.

Fit tertio, cum eisdem Auctoribus citatis n. 264. in eadem Dei æternitate admittenda etiam esse signa priora, & posteriora. Ratio ex dictis facilis est; quia Deus in sua æternitate liberè vult, & non vult: & ita ab æterno vult habere mundum, ut potuisset ab æterno liberè nolle existentiam mundi: ergo voluntas, quæ deficere non potuit, est signum prius, & denominatio volendi, quæ pro libito Dei potuit deficere, est signum posterius. Confirm. Omnia ea requisita, quæ se habent ex parte actûs primi, sunt pro signo priori ad actum secundum, atqui ex parte voluntatis divinæ dantur plura requisita, ut in actu primo proximo libera constituatur; ergo &c. Probatum min. Ut Deus constituatur proximè liber in actu primo ad decernendum efficaciter præmium propter merita; vel penam propter peccata, necesse est, ut præcedat ex parte Dei scientia meritum, vel peccatorum, aut absoluta, aut saltem conditionata pendens quoad denominationem à consensu, vel absolute, vel conditionato: etenim juxta firmissima scholæ nostræ principia, ideo Deus cognoscit operationes hominis liberas exituras, quia homo se determinat, & non e contra; & sic de alijs, ut per totum istum tractatum latè constabit. Sic etiam decretum indifferens applicativum omnipotentia ad utrumque libertatis extremum est in signo priori ad decretum prædefinitivum cum uno libertatis extremo connexam, ut suo loco videbimus; ergo &c.

Obijc. ultimo contra illationes nostras, 268. Figmentum ingeniorum est, quod unum indivisibile instans temporis expandatur in decem, aut viginti signa naturæ priora, & posteriora, præterita, & futura; ergo chimerica profus sunt talia signa naturæ. Probatum ant. In puncto realiter indivisibili non est hic, & ibi, supra & infra, non solum realiter, sed neque ordine naturæ; ergo neque instanti reali indivisibili erit ante, & post, nec realiter, nec ordine naturæ. Resp. neg. ant. ad probationem dist. ant. non est hic, & ibi ordine naturæ correspondens diversis partibus ejusdem indivisibilis puncti conc. correspondens diversis entibus, vel realiter, vel objectivè coordinatis, & coëxistentibus eidem indivisibili puncto neg. ant. & consequ.

Ratio est, quia licet non possit dari correspondentia coordinata correspondens partibus ejusdem puncti indivisibilis, cum indivisibile punctum partes non habeat: at potest dari hic, & ibi naturæ correspondens causæ, & effectui existentibus in eodem indivisibili puncto, & in eodem indivisibili instanti; cum in instanti, & puncto indivisibili possit causa liberè producere, & producat suum effectum; ut patet in Angelo, & anima rationali. Quod ipse Adversarius immemor sui in hac ipsa quæstione, §. 2. admitit, docens Christum, & Angelos Beatos, qui perfecta cognitione præditi sunt

in uno eodemque instanti considerare, deliberare, & operari posse: atque adeo admittit diversa signa naturæ in instanti, in quo liberè operantur. Neque in re adeo certa licet longius immorari: tot enim dari possunt signa priora, & posteriora in uno, eodemque instanti reali indivisibili, quot causalitates subordinatæ in illo instanti exercentur. Quin imò &

ipsi adversarij admittunt præfinitionem inimpedibilem præcedentem scientiam mediam, quæ intendat consensum liberum per auxilium eligendum post prælucentiam scientiæ mediæ: atque adeo apud ipsos electio, & volitio determinari auxiliij est in signo posteriori ad præfinitionem inimpedibilem. Sic secum ipsis pugnant cum adeo manifesta inconsequentia.

## DISPUTATIO V.

## DE OBJECTO, ET PERFECTIONIBUS DIVINÆ SCIENTIÆ IN COMMUNI.

270. Duplex est objectum: alterum materiale, & alterum formale. Materiale est illud, circa quod tendit actus, quæ de causa Thomistæ vocant illud objectum primarium. Alij verò pure terminativum. Formale est illud, quod movet ad attingendum materiale: Quæ de causa vocant illud Thomistæ objectum primarium; alij verò specificativum, & motivum. Unde si objectum, circa quod tendit actus, moveat ad sui attingentiam, erit simul materiale, & formale: Sic actus, quo amo divinam Bonitatem propter se, attingit divinam Bonitatem, tantquam objectum materiale, & formale. Si objectum formale physicè moveat producendo actum per se ipsum, vel per speciem ab ipso missam, dicitur objectum formale physicè motivum. Quando nullum physicum præstat influxum, sed est solum objectiva ratio ipsius actus, quam nempe redderet intelligens interrogatus, cur præster assensum, dicitur objectum formale intentionaliter motivum. Sic quia Deus ideo intelligit potius esse quam non esse Deitatem, & Trinitatem suam, quia verè ita est, hanc ipsam rationem reddere postulanti potest; adeoque ea ipsa intrinseca veritas est objectum formale intentionaliter motivum divinæ cognitionis. Quando verò ita est ratio objectiva, ut verum sit per illam tolli indifferentiam, quam intellectus habebat, ut denominaretur ita cognoscens, dicitur objectum formale intentionaliter determinativum. Sic dicimus quasi à priori: Ideo Deus actu cognoscit peccatum, quia est peccatum: non est autem ideo peccatum, quia præcisè cognoscitur à Deo. Si autem non determinet indifferentiam, manet in ratione objecti formalis intentionaliter motivi pure terminativi. Caterum cum cognitio in Deo producta non sit, neque habeat indifferentiam, ut producat, sed solum ut applicetur, vel non applicetur objecto contingenti, ratione suæ contingentia, ut existat, vel non existat, ea de causa objectum, quod contingens non sit, non potest esse determinativum divinæ scientiæ.

## SECTIO I.

## De objecto materiali, &amp; formali divinæ scientiæ.

271. A Sero 1. Deus se ipsum, & omnia, quæ in eo sunt, propriè, & comprehensivè cognoscit. R. P. Gormaz Theolog. Tom. 1.

scit: adeoque omnia prædicata divina sunt objectum materiale divinæ scientiæ. Ita omnes Catholici cum D. Thom. hic art. 3. Probat. 1. ex 1. ad Cor. 2. dicente: *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Ad Hebr. 4. Omnia sunt nuda, & aperta oculis ejus*; ergo &c. Confirm. 1. Quia valde ignorans foret Deus, si objectum omnium pulcherrimum ignoraret, & non cognosceret omnia, quæ in ipso sunt; ergo &c. Confirm. 2. Deus utpote summè felix, fruitur summo bono, cumque ipse sit summum bonum, fruitur se ipso; sed frui nequit summo bono, si illud non cognoscat; ergo &c. Confirm. 3. Si Deus se ipsum plene non cognosceret, nihil perfectè cognosceret; etenim cum omnia cognoscibilia connectantur cum Deo; incognito Deo nequeunt perfectè cognosci: Sed Deus omnia cognoscibilia perfectè cognoscit; ergo &c.

272. Probat. 2. Ostendendo simul eam cognitionem Dei esse sui comprehensivam, neque posse dari cognitionem comprehensivam Dei, quæ divina non sit: Illa enim est cognitio comprehensiva objecti, quæ totam ipsius objecti intrinsecam cognoscibilitatem exæquat: sed talis est cognitio, qua Deus se cognoscit: secus autem ulla cognitio creata; ergo &c. Major patet, quia si cognitio est ita plena, ut totam intrinsecam objecti cognoscibilitatem exæquet, tanta est cognitio in esse cognitionis, quantum est objectum merito perfectionis suæ in esse cognoscibilis, in quo stat ratio cognitionis comprehensivæ: Min. verò probatur. Deus utpote summè cognoscitivus non potest esse magis cognoscibilis, quam est cognoscitivus: cum etiam ut intrinsece summè perfectus, nequeat esse merito sui minus cognoscitivus, quam sit cognoscibilis; ergo cognitio, qua Deus se cognoscit, eaque sola est ita plena, ut totam sui objecti cognoscibilitatem exæquet: atque adeo ita est comprehensiva, ut cognitio non divina non possit esse Dei comprehensiva.

272. Confirmatur & explicatur hæc ratio unumquodque Ens merito sui est cognoscibile secundum eam omnem virtutem, quam in se habet, sive in ordine ad cognoscendum, sive ad producendum, sive ad exigendum: adeoque ens limitatum, quod non solum est potens cognoscere limitatè, sed etiam potens producere, & exigere, v. g. Homo, non potest esse merito sui

ſui minus cognoscibile, quàm sit potens cognoscere, potens producere, aut potens exigere: est autem minus potens cognoscere, quàm sit merito sui potens cognosci, sive quantum est objective cognoscibilis; cum non possit cognoscere, quomodo se habeat in esse continui, in esse liberè agentis, & sic de alijs. Hæc autem in summo cognoscente evenire non possunt; cum ratione summi in cognoscendo, debeat cognoscere summum in esse cognoscibilis; ergo Deus, solusque ipse per cognitionem, qua se summè cognoscit, cognoscit se, quantum merito sui cognoscibilis est: atque adeò cognitio divina, ipsaque sola est Dei comprehensiva.

274. Quapropter Plurimi Theologi cum Herrera in Tractatu de Angelis duplicem rerum naturalium comprehensionem distinguunt. Prima est perfectissima & supernaturalis, per quam res expressè attingitur secundum omnia sua prædicata constitutiva intimè penetrando eorum prædicatorum intrinsecam convenientiam, eorumque respectus, & potentia tam ad naturalia, & creata, quàm ad supernaturalia, & increata. Adeoque ut homo ita comprehendatur, debet intimè cognosci non solum in ordine ad effectus naturales, sed etiam ad supernaturale, nimirum ad visionem beatificam, quam potest per elevationem producere, ad gratiam habituales, per quam potest supernaturaliter perfici, ad ipsum Deum, à quo potest cognosci, & à quo intrinsecè perficeretur, si cum eo esset hypostaticè unitus, & sic de alijs similibus: atque hoc modo nequit Angelus se ipsum, aut hominem comprehendere, sed solus Deus. Secunda comprehensio est naturalis, & minus perfecta consistens in cognitione entium purè naturalium in ordine ad alia entia creata purè naturalia, & ad respectus purè creatos, & naturales: ita ut Angelus ea cognoscat, quantum ipsa merito sui in ordine ad tales respectus sunt cognoscibilia: atque hanc comprehensionem concedunt angelo prædicti auctores, etsi nolint adhuc comprehensionem adeò perfectam angelo tribuere, sed cum majori restrictione. Unde multo minus poterit creatura aliqua comprehendere Deum.

275. Affero 2. Deus omnia cognoscit omni modo, quo verè cognoscibilia sunt; adeoque quæcunque res sive creata, sive increata est objectum materiale divinæ scientiæ. Probatum primò, ex Scriptura: etenim *Esther 14.* dicit: *Domine qui habes omnium scientiam.* Ad *Hebr. 4.* *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus; omnia autem nuda, & aperta sunt oculis ejus.* *Eccl. 23.* *Domino enim Deo, antequam crearentur, omnia sunt agnita: sic & post perfectum respicit omnia; ergo &c.* Confirm. Si Deus objectum aliquod non cognosceret, vel

esset ex defectu cognoscibilitatis in objecto, vel ex debilitate potentiae, vel quia argueret imperfectionem cognoscere objectum: sed ex nullo ex his capitibus deficere potest Deo aliquis objecti cognitio; ergo &c. Minor probat. Objectum quò objectum est cognoscibile: Intellectus divinus utpote perfectissimus, & nulla debilitate laborans debet cognoscere, quidquid verè est cognoscibile; fallum quidem ut fallum, & verum ut verum; ergo &c.

Probat. 2. Intellectus divinus debet esse summè cognoscitivus, sive summè perfectus in vi cognoscendi: aliter deficeret illi aliqua perfectio in esse cognoscitivi, adeoque non esset summè perfectus: sed intellectus sic summè perfectus se debet extendere ad cognoscendum omne cognoscibile, & omni modo, quo est verè cognoscibile; ergo &c. Probat. min. Intellectus summè cognoscitivus, & perfectus in vi cognoscendi debet esse ex se determinatus ad cognoscendum omne cognoscibile: aliter si ex se non esset determinatus, ex se esset capax ignorantiae, quæ cum sit imperfectio in linea cognoscitivi, repugnat ex terminis perfectissimo cognoscitivo: atqui ex eo, quòd ex se sit determinatus ad cognoscendum omne cognoscibile, actu cognoscit omne cognoscibile omni modo, quo est verè cognoscibile; ergo &c. Confirm. Intellectui divino utpote summè perfectissimo in vi cognoscendi, nulla deficit vis cognoscendi, sed si non cognosceret omne cognoscibile, & omni modo, quo est verè cognoscibile, deficeret ei aliqua vis cognoscendi; ergo &c.

Respondebis ex Aureolo apud Capreolum *in 1. dist. 35. q. 2.* Deum non ita cognoscere creaturas, ut istæ formaliter terminent divinam cognitionem, sed solum denominativè, prout cognoscit essentiam divinam, quæ eminenter eas continet. Quod contra omnes Theologos hic auctor declarat exemplo se videns in speculo: Hic enim, ait illè, non videt duo, scilicet imaginem, quæ est in speculo, & se ipsum, sed solum videt formaliter imaginem, quæ terminat visionem, & ratione imaginis formaliter visæ videt denominativè se ipsum; quia denominatur visus, licet formaliter revera non sit visus, sed sola imago. Contra tamen 1. Quia hæc responsio pugnat contra scripturam, & rationes adductas; etenim si creaturæ non solum sunt verè cognoscibiles in alio, sed etiam in se ipsis, si ita non cognoscerentur, non essent omnia nuda, & aperta oculis Dei contra argumentum citatum n. 275. neque esset in divino intellectu vis summè, & perfectè cognoscitiva, quòd dici non potest; ergo &c.

Contra 2. Nam exemplum adductum ab adversario potius confirmat nostram sententiam. Ideo enim videns imaginem sui in speculo

tulo non videt se formaliter, quia visio non attingit comprehensivè ordinem, & respectum unius ad aliud: sed intellectus divinus comprehensivè cognoscit omnipotentiam à n. 272. quarens est virtus omnium productiva: ergo licet visio oculi limitata, formaliter sistat in imagine, cognitio Dei illimitata non sistit in omnipotentia, sed attingit creaturas potentes produci ab omnipotentia. Contra 3. Nequit comprehendere perfectè virtus in ordine ad aliquem terminum, quin formaliter concipiatur ipse terminus; ergo non potest Deus perfectè comprehendere omnipotentiam, ut virtutem productivam creaturarum, quin concipiat formaliter creaturas.

279. Affero 3. Nullum est objectum formale physicè motivum divinæ scientiæ: bene verè intentionaliter motivum. Objectum formale physicè motivum est illud, quod vel immediatè per se, vel mediatè per speciem sui producit cognitionem ipsius repræsentativam, ut constat ex num. 270. Atqui divina cognitio improducibilis est; ergo &c. Rursus objectum formale intentionaliter motivum ex eodem num. 270. est objectiva ratio assecurativa assensûs, qui præstatur, quam nempe daret intelligens si de ratione assensûs rogaretur: sed hæc objectiva ratio necessaria est divinæ scientiæ, utpote prudentissimæ; DEUS enim si interrogaretur, cur asseret prædicata Petri non repugnare, optimè responderet; quia ipsa in se ipsius inspecta nullam involvit contradictionem; ergo &c. Unde objectum formale intentionaliter motivum non debet movere, ut intelligens habeat formam cognitionis, quam antea non habebat, uti ex sinistra huius vocis intelligentia censebat Aureolus iudicans objectum intentionaliter motivum requirere respectum ad mobile physicum: solum enim requiritur, quod sit ratio assecurativa veritatis assensûs, si intelligens de eo rogetur.

280. Affero 4. Scientia divina necessaria solum habet objectum formale intentionaliter motivum purè terminativè, secus autem determinativè. Probat. Objectum formale intentionaliter motivum purè terminativè est illud, quod ita est ratio objectivæ & assecurativæ assensûs præstiti, ut simul in intelligente inveniat summam determinationem ad objectum illud cognoscendum: atque adeo indifferentiam non inveniat in intellectu eius, ne actu denominetur intelligens tale objectum. Objectum verò formale intentionaliter motivum determinativè est illud, quod non solum est objectiva ratio assecurativa assensûs præstiti, sed etiam determinat indifferentiam, quam re ipsa intellectus habebat, ut denominaretur intelligens: atqui intellectus divinus non habet indifferentiam, ne denominetur intelligens per scientiam necessariam: sed potius habet

summam determinationem: aliter scientia illa necessaria non esset; ergo &c.

Quapropter omnes veritates necessariae ex parte DEI, sive absolutæ sint, sive relativæ; sive creatæ, sive increatæ sunt objectum formale motivum purè terminativum divinæ scientiæ. Ratio est, quia eo ipso, quod unaquæque sit veritas objectiva necessaria, ratione sui plenè sufficit ad assecurandum assensum sui. Quod autem creata veritas exigua sit, parum refert; nam quod major est perspicacia mentis, eò magis sufficit ad assensum quælibet veritas, etsi minima, si tamen talis est, in se: atqui perspicacia divinæ mentis est summa, & qua major excogitari verè non potest; ergo creata veritas, etsi minima absque ulla imperfectione sufficere potest pro motivo formali divinæ intellectio- nis. Rursus si ea omnia, vel per necessariam identitatem, vel per necessariam connexionem, quam DEUS habeat cum illis, necessaria sunt ex parte Dei, intellectus ex se non est indifferens, sed summè determinatus ad ea cognoscenda, atque adeo illæ objectivæ veritates non tollunt indifferentiam, quam intellectus habeat, ne denominetur cognoscens ea objecta; ergo non sunt objectum formale motivum intentionaliter determinativum, sed purè motivum divinæ scientiæ. Unde cum ex parte sui necessariò identificetur DEUS cum omnibus absolutis, & relativis, & necessariò connectatur cum omnibus creaturis possibilibus, exinde hæc omnia sunt objectum formale motivum intentionaliter, & purè terminativum.

Affero 5. Actus nostri liberi sunt objectum formale intentionaliter motivum non quidem purè terminativum, sed etiam determinativum divinæ scientiæ. Probat. Probatur facillè ex dictis. Sicut intellectus divinus, & ipse DEUS entitativè sumptus non est connexus cum existentia actuum nostrorum liberorum, sed indifferens, ut existant, vel non existant: ita etiam intellectus divinus est ex se indifferens ad cognoscendum eos existere, vel non existere: præterea nihil per se antecedit actum nostrum liberum, quod possit determinare Deum ad cognoscendum eum existere, cum omnia per se præsupposita indifferentia sint, ut voluntas nostra pro libito suo possit actum elicere, vel omittere: aliter non esset voluntas indifferens, & libera ad utrumque, ut infra constabit, ubi dicemus, quando prædefinitio, & prædestinatio connexæ cum actu sint per se ipso actu libero posteriora: atqui eo ipso, quod actus nostri liberi existant, iam non manet intellectus divinus indifferens, sed omnino necessitatus ad cognoscendum eos potius existere, quam non existere; ergo actus nostri liberi sunt objectum formale intentionaliter motivum, & determinativum. Ex dictis

283,

Fit 1. Scientiam Dei esse verissimam, certissimam, & evidentissimam. Ratio est, quia scientia Dei habet omnem perfectionem suae lineae sine imperfectione; ergo nequit disformari cum objecto ut est; adeoque est verissima; ergo nequit relinquere divinum intellectum haerentem circa veritatem assertam; adeoque est certissima: ergo nequit admittere obscuritatem: adeoque est evidentissima. Pater consequentia; Quia disformitas cum objecto, haeritatio, & obscuritas sunt imperfectiones in linea cognoscendi; ergo ex eo, quod scientia Dei habeat omnem perfectionem suae lineae, excludit has imperfectiones per oppositas perfectiones. Confirmatur scientia Dei, quam nihil scibile latet, est omniscia ex illo *ad Hebr.* 4. *Omnia nuda, & aperta sunt oculis eius.* Est infinita ex illo *Psal.* 146. *Sapientia eius non est numerus.* Est evidentissima ex illo *Ecl.* 23. *Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem.* Et *1. Joann.* 1. *Deus lux est, & tenebrae in eo non sunt ulla.* Est certissima, & verissima ex illo *Proverb.* 2.4. *Qui inspector est cordis, ipse intelligit, & servator est animae nihil fallit.* Videatur August. *lib. 1. de Doctr. Christ.* c. 8. & *lib. 11. de Trin.* c. 14. Unde, licet respectu objecti contingentis, quod a scientia divina denominatur cognitum, non sit sola scientia tota veritas conformitatis ex actu, & objecto, est tamen tota veritas infallibilitatis, cum ratione sui nunquam possit affirmare objectum aliter, ac est.

284,

Fit 2. Deum cognoscere infinita; quia cognoscit omnes creaturas posibles, quae in multitudine infinitae sunt. Pro cuius intelligentia habenda praeculis sunt principia, quae unusquisque habet in Philosophia. Mentem meam breviter inuam. Censeo igitur distinguenda duo genera collectionum; Alia enim est collectio pure objectiva; & alia collectio physice terminativa. Collectio pure objectiva nullam in se requirit determinationem compossibilitatis in existendo inter sua extrema: adeoque bene potest attingi ab actione se extendente ad tales indeterminaciones, quae revera indeterminatae sunt: secus autem ab actione, quae ad tales indeterminaciones extendi non potest. Collectio vero physice terminativa cum terminum, seu finem habeat sibi praefixum, & compossibilem extra causas, non solum potest attingi ab actione se extendente ad indeterminaciones, sed etiam ab actione se solum extendente ad rem determinatam. Exinde actio physice productiva rerum contingentium, utpote dans esse rebus compossibile cum alijs, & determinatum, quod habet, cum expressiva non sit, solum potest se extendere ad collectionem physice terminativam, & finitam. Actio vero intentionalis cognoscitiva cum non solum se extendat, ad dandum rebus esse illud determinatum, quod habet, sed etiam ad exprimendam indeterminacionem, & in compossibilitate, ut existant simul cum alijs, cum quibus coexistere

non possunt: ea de causa non solum potest cognitio cognoscere collectionem finitam, sed etiam collectionem infinitam.

Haec est ratio a priori, quare, licet intellectus creatus possit absque fictione cognoscere hanc universalem collectionem objectivam animal sub conceptu praescindente a rationali, & irrationali; non tamen potest Deus illam producere absque identitate cum rationali, & irrationali; quia nimirum ea ratio objectiva est indeterminata: & potentia productiva non tendit ad rem contingentem indeterminatam, sed ad determinatam. Haec etiam ratio ex Augustino, Thoma, & Ex. Doctore, propter quam licet Deus cognoscat collectionem categorematicam infinitam possibilem, quae indeterminata, infinita, & sine fine est, non tamen potest illam producere. Audi Augustin. *tom. 1. lib. 12. de Civ. cap. 18.* ita discurrentem: *Ita vero suis quisque numerus proprietatibus terminatur, ut nullus eorum par esse cuiquam alteri possit. Ergo & disperses inter se atque diversi sunt, & singuli quique finiti sunt, & omnes infiniti sunt. Absit itaque, ut dubitemus, quod ei notus non sit omnis numerus, cuius intelligentia, sicut in psalmo canitur, non est numerus. Infinitas itaque numeri; quamvis infinitorum numerorum nullus sit numerus, non est tamen incomprehensibilis ei, cuius intelligentia non est numerus.* Haec August.

Exinde D. Thomas *q. 2. de Veritate artic. 9. in corp.* [concedo simpliciter, quod Deus cognoscit alia infinita absolute.] Quod etiam habet Ex. Doctor *diff. 29. metaph.* Ubi inter possibile, & actualia rationem disparitatis a nobis datam assignat. Quando enim infinita Dei cognitio actu cognoscit infinita possibile, non datur infinitum actu infinitate possibile, quae actu nihil determinate sunt a parte rei; sed infinitate divinae cognitionis, quae actu existit determinate infinita. Unde possibile licet excludant compossibilitatem mutua in ordine ad productionem, non illam excludunt in ordine ad cognitionem. Sic homo non excludit similitudinem cum leone in ordine ad sensationem, bene vero in ordine ad discursum. Sic assensus, & dissensus essentialiter impossibiles quoad actualem utriusque simultaneam existentiam, sunt compossibiles quod actualis utriusque; simultaneam cognitionem, atque a Deo, ut homine simul in eodem instanti cognoscuntur; licet, quia in se non habent determinationem ad simul coexistendum, non possint in eodem instanti simul produci. Caeterum quia ea indeterminatio inter solum assensum, & dissensum est finita, singula illius indeterminacionis extrema designari successively possunt, quod non potest ita fieri de infinita collectione objectiva, cuius extrema successively numerari nequeunt. neque per successionem cognosci aut determinari. Quod plane fieri necessarium erat, ut constaret ex dictis, ut ea collectio actu produceretur. Quamobrem implicanciae, quae adesset in infinito categorematico actu producto, nullae sunt in  
infi

infinite categorematico actu cognito: Sicuti implicantiæ, quæ sunt in eo, quod assensus, & dissensus essentialiter impossibiles simul producerentur, nullæ sunt in eo, quod actu cognoscantur.

287. Fit 3: nullum objectum cognosci à creaturâ efformante ens rationis universale, aut attingente carentias; quod à Deo non cognoscatur perfectiori modo, quàm à creatura. Ratio est, quia cognitio, quæ vocatur entis rationis efformativa, in eo distinguitur à cognitione universalis effectiva; quod cognitio effectiva universalis, v. g. animal; attingit particularia in ordinè ad connotatum commune, in quo conveniunt, quin de ullo particulari neget posse concipi in ordine ad aliud sui proprium connotatum; in quo disconveniunt, sed ab eo præscindit; adeoque habet objectum sui verificativum ex dictis à n. 215. Cognitiono verò entis rationis efformativa attingit extrema realia; & cognoscibilia non solum in ordine ad prædicatum commune, in quo conveniunt, sed asserendo etiam nullam in illis extremis dari rationem disconvenientiæ identicæ: atque adeo & unum esse aliud. Unde non habet objectum sui verificativum, sed sui essentialiter falsificativum ex dictis à n. 146. Quapropter sicut virtuale non datur à parte rei, quia hoc significaret dari objectum à parte rei cognitionis præscindentis; cum ea sola convenientia; sub qua à cognitione præscidente attingitur, ita ens rationis non datur à parte rei, quia hoc significaret dari objectum cognitionis fingentis à parte rei, cum ea sola convenientia; & absque distinctione, quam habet ab objecto, de quo affirmatur.

288. Exinde sicut verum est dicere: omnis homo est animal; etsi omne animal non sit homo: ita est verum dicere; omnis cognitio efformativa entis rationis est falsa; etsi omnis cognitio falsa non sit efformativa entis rationis. Ratio est, quia ea sola cognitio efformat ens rationis, quæ attingit objectum essentialiter falsificativum similis affirmationis, vel negationis; non verò quæ attingit objectum accidentaliter falsificativum: Unde ista cognitio Petrus currit, licet sit falsa, non efformat ens rationis. Ita verò Petrus, prout currit, non currit, non solum esset falsa, sed efformaret etiam ens rationis. Quare illa Dei locutio *Deuter. 22. Videte, quid ego sim solus; & non sit alius Deus præter me*; non efformat ens rationis, quia habet objectum sui verificativum perinde ac si diceret: Quidquid extra me est, distinguitur realiter à natura divina, & Deitate. Apprehensiones autem cum sint indifferentes, ut intellectus verè, vel falso annunciet, sunt etiam indifferentes, ut in his prævijs efformetur, vel non efformetur ens rationis. Ut latè docet Aristoteles lib. 1. *Peribernet. cap. 1.* Sic prævia ista apprehensione secundus DEUS, potest intellectus dicere, secundus Deus repugnat, & tunc non efformabit ens rationis: est enim

idem ac dicere, alia essentia, quæ cum Deo identificetur, repugnat: vel potest dicere: Alia essentia, quæ cum Deo identificetur, non repugnat. Et tunc efformaret ens rationis. Cæterum cum ea essentia, de qua affirmaret, in se esset cognoscibilis, esset in se realis, etenim quod ens reale non est, cognoscibile non est; ut sectione sequenti constabit in argumentorum solutione.

Quapropter quando affirmamus ens intrinsecè impossibile cognosci non posse, non exinde illud cognoscimus; sed cognoscimus naturam entis realis, cui soli convenit posse cognosci; falsum enim, ut falsum, nequit esse objectum intellectus, cum intellectus assentiari nequeat falso ut falso. Sic omnes dicunt, & vere; ens adæquatè distinctum ab omni possibili, & impossibili, nequit cognosci: ens omnino incognoscibile est impossibile; & nequit cognosci: Objectum nullo modo intelligibile est impossibile; & cognosci non potest, quin exinde inferatur, quod cognoscamus ens adæquatè distinctum ab omni possibili, & impossibili, vel quod cognoscamus ens omnino incognoscibile, aut omnino intelligibile: sed solum inferitur habere nos principia ad inferendum non esse incognoscibilia, quæ attingibilia sunt ab intellectu. Sic etiam dicimus, habere nos principia ad inferendum esse verè possibilis sub aliqua ratione, cum sint vera ea; quæ attingi possunt ab intellectu: atque adeo possunt esse reale verificativum alicujus propositionis. Sic objectum hujus propositionis, Petrus est lapis, est in se reale, cum realiter possit verificare hanc propositionem contradictoriam, Petrus non est lapis; propositiones enim contradictoriæ attingunt idem objectum: sic objectum hujus propositionis: Hircocervus existit, verificat realiter istam: non existit hircocervus realiter identificatus cum cervo. Et sic de alijs.

289. Quando igitur intellectus efformat ens rationis, affirmat per identitatem unum prædicatum de alio: ac identitas unius prædicati excludit realiter identitatem alterius, quod fieri non potest nisi per cognitionem falsam, & obsecuram. Deus autem cognoscit ea duo extrema, & cognitionem confusam, non quidem confusè, sed per cognitionem claram, sicut cognoscit actum opinativum, non quidem opinativè, sed clarè comprehendendo naturam actus; & objecti attracti ab ipso: Unde nullum est objectum DEO incognitum, neque quod possit cognosci à creatura, & non possit cognosci à DEO. Sive ex illis, quæ attingit creaturâ, quando efficit universale, vel quando efformat ens rationis. Eadem doctrina applicanda est carentiis; nam si in rigore metaphysico loquamur, carentiæ non sunt formaliter aliquid, sed præcisè, rem non dari. Unde dicere: datur carentia Petri, perinde est ac dicere: non datur Petrus: cum enim pro-

propositiones contradictoriae idem habeant obiectum, istae propositiones Petrus existit, Petrus non existit, sunt ejusdem obiecti, solumque distinguuntur ex diverso modo tendendi actus in idem obiectum: atque adeo verificativum hujus actus Petrus non existit, non est carentia aliqua, quae existat, sed est Petrus, qui non existit.

291. Sic etiam ista propositio: Ante Deum nihil fuit, non verificatur per carentiam aliquam, quae fuerit ante Deum, sed per praedicata realia, quae ante Deum non potuerunt esse: Ut enim concipiamus rem formaliter deficere, non debemus concipere ullam entitatum, quae sit formalis defectus rei; sed sat est concipere entitatem rei, quae non est, licet, ut effectivè sit, indigeat causa, à qua sit. Etenim si intellectus concipiat nullum omnino ens, sive positivum, sive negativum dari in rerum natura, eo ipso concipit carentiam Petri. Unde carentia formalis Petri non stat in aliquo; quod sit non esse Petri, sed praecise in eo, quod Petrus non sit, licet carentia arguitiva stet in voluntate Dei non producendi, vel destruendi, vel in divina scientia cognoscente Petrum non existere, aut in quovis alio impossibili cum existentia Petri. Cum autem Deus omnia cognoscat, sive existentia, sive non existentia, cognoscit res earumque carentias. Quod perinde ac cognoscere illas, quando existunt; vel non existunt.

## SECTIO II.

### *Solvuntur Opposita contra obiectum materiale.*

292. Objic. 1. contra 1. assertionem: Scientia ut talis imbibit relationem, & respectum ad suum obiectum: sed scientia Dei non dicit relationem ad ipsum Deum: Relatio enim ad obiectum dicit distinctionem realem ab obiecto; ergo Deus nequit esse obiectum suae scientiae. Propter hoc argumentum P. Erize alias doctus *disp. 4. cap. 2. num. 6.* Negavit essentiam divinam esse obiectum scientiae Dei. Resp. tamen dist. maj. Relationem, vel physicam, vel pure intentionalem conc. semper physicam neg. maj. & dist. min. neg. conseq. Ratio est, quia Relatio intentionalis stat praecise in representatione vitali, quae cum esse possit non solum aliorum, sed sui, non requirit aliam distinctionem ab obiecto, quam rationis, sive ex modo concipiendi, ut patet in ista cognitione; qua cognosco in ratione communi ens creatum, quae attingit se ipsam, in ea, quae cognoscit cognitionem in communi, quae se ipsam sub ea ratione communi representat. In hac definitione definitionis Oratio explicans essentiam rei, quae definit se ipsam, & sic de millenis alijs. Eodem sensu cognitio dicitur imago formalis, & intentionalis obiecti, quae nullam requirit distinctionem realem ab obiecto. Quam-

obrem axioma illud Augustini ex obiecto & potentia paritur notitia, solum intelligitur de obiecto realiter distincto à cognitione creatas, non autem de cognitione divina, quae cum sit incausata; nullius obiecti potest esse partus. Sic D. Thomas in *Quaest. disp. P. 2. q. 2.* quae est de Scientia Dei *art. 2.* haec habet: *ad terminum dicendum, quod similitudo, quae est relatio realis, distinctionem rerum requirit, sed ei, quae est rationis relatio tantum, sufficit in similibus distinctione rationis.*

Objic. 2. Cognitio, quae nihil cognoscat distinctum ab ipsa, videtur inutilis, & factiva: atqui cognitio, qua D E U S se cognosceret; nihil cognosceret distinctum ab ipsa: ea enim identificatur cum omnibus divinis praedicatis, sive absolutis, sive relativis; ergo &c. Confirm. ex Aristotele *lib. 2. Meteor. c. 18. text. 5.* dicente: *Nam si quidquam aliud inspicit, id erit melius. Hoc ver. absurdum est; ut se quidquam melius habeat Deus: ipse igitur sese inspicit. At hoc delirium. Nam homini, qui sese suspiciat, ut pote a tonitruo inelamamus; ergo &c.* Confirm. 2. ex D. Thoma *q. 1. in 1. 2. art. 1. ad 2.* dicente: *Obiectum voluntatis est finis, sicut obiectum visus est color, unde sicut impossibile est, quod primum visibile sit ipsum videre, quia omne videre est alicujus obiecti visibile, ita impossibile est, quod ipsum appetibile, quod est finis, sit ipsum velle: sed eadem est ratio de cognitione; & ejus obiecto; ergo &c.*

Resp. dist. maj. Quae nihil cognoscat distinctum ab ipsa neq; ex actualibus; neq; ex possibilibus transeat, solum ex actualibus neg. maj. & dist. min. neg. conseq. Quia cognitio divina necessaria non solum cognoscit praedicata divina existentia ab aeterno; sed etiam creaturas possibiles potentes existere in tempore; ut constat à n. 257. adeoque jam habet obiectum realiter ab ipsa distinctum. Dixi transeat major; quia omnino falsa est: quando enim cognitio non solum est explicabilis per istum conceptum expressio sui, sed per alios valde diversos, nimirum per esse ens à se illimitatum, aeternum, infinitum &c. nequaquam est inutilis, quamvis sit sui ipsius cognitio. Ad primam Confirmationem neg. conseq. Quia Aristoteles destitutus lumine fidei; non bene poterat circa divina praedicata discutere; atque adeo in his, quae eo loco cit. dixit, neque affirmat, neque negat; sed dubitat; ita enim prosequitur: *Quid igitur Deus inspicit, omitteremus; neque de eo, quod sibi Deus satis sit, consideremus, sed de homine.* Eam autem Philosophi dubitationem vanam prorsus fuisse constat; quia Deus, quae Deus non potest non frui summo bono; quo nequaquam frueretur; si seipsum non cognosceret: Haec autem ratio nequaquam militat in homine, ut per se est evidens. Ad secundam Confirmationem dist. min. Eadem est ratio de cognitione finita, omitto; de infinita; quae se ipsa est summum bonum neg. min. & con-

& conseq. Quia D. Thomas in eo loco, ut sæpe reperit, non agit de cognitione divina, sed de humana. De divina autem ait esse idem cum objecto, ut constat ex n. 235.

295. *Objic. 3.* Deus non cognoscit suam cognitionem secum identificatam; ergo non comprehendit se ipsum. *Prob. ant.* Si ea cognitio se ipsam cognosceret, esset, & non esset reflexa; ergo &c. *Prob. ant.* In primis esset reflexa, cum esset cognitio sui. Deinde non esset reflexa: cum esset 1. Dei cognitio: Etenim cognitio reflexa non est prima objecti cognitio, sed cognitio prima cognitionis objecti; ergo &c. *Confirm.* si cognitio divina esset reflexa supra se ipsam, nunquam se satis cognosceret: Illa enim ut reflexa distingueretur à se ipsa ut directa, quin unquam posset tota sua cognoscibilitas exhaustiri: Etenim cognitio illa ut directa distinguitur à cognitione sui ut reflexa: atque adeo hæc prima reflexa cognosci debet per secundam reflexam: secunda verò per tertiam, & sic in infinitum: sed hoc repugnat; ergo &c. *Prob. min.* In illa serie infinita essent, & non essent tot formalitates reflexe cognoscentes, quot sunt reflexæ cognitæ: essent quidè, quia cuiq; formali tati cognitæ corresponderet alia reflexa cognoscens: nõ esset, quia omnes formalitates reflexe cognoscentes sunt reflexe cognitæ: & præterea prima formalitas cognita nõ est reflexe cognoscens; ergo &c.

296. *Resp. neg. ant. ad probat. neg. etiam ant. ad probat. dist. ant. esset purè reflexa neg. non purè conc. ant. & neg. conseq.* Ratio est, quia cognitio purè reflexa, est cognitio cognitionis realiter à se distinctæ, quæ non se ipsam, sed aliam distinctam cognoscit: cognitio verò non purè reflexa est, quæ ita est cognitio cognitionis, ut non solum sit ipsa cognoscens, sed etiam sit à se ipsa cognita. Cùm autem ita se habeat cognitio divina, non est purè reflexa, sed reflexa non purè. *Ad Confirm. neg. maj.* Quia divina cognitio utpote non purè reflexa unico intuitu se plenè cognoscit, & comprehendit: atque adeo illæ reflexiones adductæ in argumento non sunt cognitiones vel realiter, vel virtualiter distinctæ à cognitione directa, sed sunt eadem omnino realiter, & virtualiter indivisibilis cognitio directa. Unde quòd nos concipiamus eas reflexiones in ordine ad diversa connotata, solum arguit distinctionem ex imperfecto nostro modo concipiendi: quo reflexiones in infinitum syncategorematicè concipere possumus. Nunquam autem erunt infinitæ categorematicè, cum nostræ cognitiones, à quibus ea distinctio provenit, habeant numerum finitum. Unde in illa serie, sicuti prima cognitio præcisè ut cognita non est se ipsam cognoscens; ita ut 1. reflexio præcisè ut cognoscens non est ipsa ut cognita. Reliquæ verò intermediae simul sunt cognoscentes, & cognitæ: atque adeo non dantur plures cognoscentes, quàm cognitæ, vel e contra. Unde probatio subsumpta nulla est.

297. *Objic. 4.* Deus non cognoscit distinctionem  
R. P. Gorman Theolog. Tom. I.

virtualem naturæ à Paternitate, aliter præscinderet, cùm affirmaret aliquid de uno prædicato, nimirum de natura, quòd non affirmaret de Paternitate identificata cum natura. Atqui non cognita ea distinctione virtuali Deus non se plenè comprehendit; ergo &c. *Resp. neg. maj.* Quia Deus non potest se plenè cognoscere ut est in se, quin eam distinctionem virtualè agnoscat. Cæterum cùm eam agnoscat perfectissimè affirmando de natura, & Paternitate, quidquid de illis verè est affirmabile, non præscindit. Ad præcisionem enim requiritur, quòd objectum cognoscatur in ordine ad unum, quin cognoscatur in ordine ad aliud, in ordine ad quòd est verè cognoscibile; cùm autem iste cognoscendi modus, utpote imperfectus Deo repugnet, exinde Deus verè cognoscit eam distinctionem virtuales, quin præscindat.

298. *Obj. 5.* Cognitio creata, quæ habet pro objecto totum Deum, comprehendit Deum, licet non sit ita perfecta ac Deus; ergo Deus non comprehenditur sola intellectuione divina, quæ se ipsum cognoscit. *Probat. ant.* Talis creata cognitio exprimit, & repræsentat totum Deum; ergo comprehendit Deum. *Confirm. 1.* ex Valq. *disp. 13. c. 2.* ad comprehensionem materialem non requiritur æqualitas Perfectionis inter corpus comprehendens, & comprehensum: sic Theca plumbea imperfectior auro, comprehendit aurum; ergo ad comprehensionem intentionalè non requiritur æqualis perfectio inter cognitionem comprehendentem, & corpus comprehensum, sed fat est, quòd cognitio intentionaliter repræsentet totum objectum. *Confirm. 2.* Eo præcisè, quòd plus objecti intelligatur, plus intelligitur objectum; ergo eo præcisè, quòd totum quidquid est objecti intelligatur, totaliter, & comprehensive, intelligitur objectum. *Confirm. 3.* Si cognitio comprehensiva deberet esset tam intellectiva, quàm objectum est merito sui intelligibile, nulla cognitio creata esset comprehensiva alterius creaturæ, etenim quævis creatura est intelligibilis intellectuione divina: quæ intelligibilitas exæquari nõ potest à cognitione creata: sed Angelus per cognitione creatam comprehendit plures creaturas; ergo &c.

299. *Resp. neg. ant. ad prob. dist. ant.* Repræsentat totum Deum per imperfectam expressione totius conc. per perfectam neg. ant. & conf. Ratio est, quia ad comprehensionem intentionalè non sufficit quævis expressio totius, sed debet esse ita perfecta, ut sit tam intellectiva, ac objectum merito sui est intelligibile, ut constat à n. 272. Quæ de causa intellectio obscura, opinativa, aut dubitativa de toto ut toto non est comprehensiva totius. Quia licet repræsentet totum, id non præstat per expressionem adæquantem meritum objecti in esse intelligibilis. Sic actus, quo amo totum Deum, attingit totum Deum, non tamen adæquando ejus amabilitatem. Ad primam confirmationem dist. ant. non requiritur æqualitas in proportione, aut perfectione necessaria, ad comprehensionem neg. in valore intrin-

intrinsicō non necessario ad comprehensionem conc. ant. & neg. conseq. Quia sicut ad comprehensionem materialem requiritur æqualitas in proportione, aut perfectione necessaria ad comprehensionem inter corpus comprehendens, & comprehensum. Ita ad comprehensionem intentionalem requiritur æqualitas in proportione necessaria ad comprehensionem inter intellectiōem, & objectum intellectum. Unde sicut palmus aureus ob defectum hujus proportionis nequit comprehendere ulnam plumbeam: bene verò e contra: ita ob defectum suæ proportionis cognitio intellectiva ut unum nequit intencionaliter comprehendere objectum merito sui intelligibile ut quatuor. Videatur August. tom. 4. lib. 83. Qu. q. 32. in fine.

300. Ad secundam Confirm. dist. ant. Plus intelligitur objectum cadente ly plus supra objectum, quod jam antea totum attingebatur neg. supra intellectiōem de eodem objecto perfectiorem illa, quā prius attingebatur conc. ant. & dist. conseq. Si totum quidquid est objecti intelligatur per intellectiōem adæquantem meritum intelligibilitatis objecti conc. non adæquantem N. conseq. ut constat ex n. superiori. Quin imò solutio nostra est expressa D. Thom. loc. cit. n. 292. ubi hæc habet: *Ad 11. dicendum: Quod cum aliquem alio plus intelligere dicimus, dupliciter potest intelligi. Uno modo ut ly plus pertinet ad modum rei cognita: & sic nullus intelligentium plus alio intelligit de re intellecta, secundum quod est intellecta: Quicunque enim rei intellecta plus attribuit, vel minus, quam natura rei habeat, errat, & non intelligit. Alio modo potest referri ad modum cognoscen-  
tis: & sic unus alio plus intelligit: sicut Angelus homine, & Deus Angelo propter potentiorem vim intelligendi. Hæc D. Thomas. Exinde ad tertiam Confirm. dist. maj. Nulla cognitio creata esset comprehensiva alterius creaturæ per comprehensionem ordinis purè naturalis neg. per comprehensionem ordinis superioris conc. maj. & dist. min. neg. conseq. ut constat ex dictis n. 274. Respectus enim, quem dicit creatura ad cognitionem divinam, non est adæquativus divinæ cognitionis, sed comprehensus sub cognitione magis cognoscitiva, quam creatura sit cognoscibilis; sicuti creatura amata à Deo comprehenditur sub amore perfectiori amabilitate creata; atque adeo ea divina cognitio non solum dicitur comprehensiva, sed supercomprehensiva creaturæ.*

301. Objic. 6. Contra secundam Conclusionem. Augustin. lib. 83. Qu. q. 46. de Deo ait: *Non enim extra se quidquam positum intuebatur, ut secundum id constiteret, quod constiterat: Nam hoc opinari sacrilegum est;* ergo ex mente August. Deus nihil cognoscebat extra se, ac proinde creaturæ non sunt objectum materiale divinæ scientiæ. Resp. Conc. ant. neg. conseq. Quia Augustinus in eo loco non negat Deum

cognoscere creaturas, quas condebat, & producebat: sed solum negat ad illas fabricandas intueri Deum aliquod exemplar, & ideam extra se existentem, ad cuius normam formaret creaturas: sicut solent artifices habere exemplar, & ideam extra se ad formandum artefactum. Deus enim intra se habebat Idæas, & scientiam omnium scibilium. Neque de mente Augustini dubitare potest, nisi qui quæstionem illam non legerit; agit enim ibi de Idæis Platonis, quæ vocari possunt rationes, Augustino teste, quibus expositis ait: *Has autem rationes, ubi arbitrandum est esse, nisi in ipsa mente creatoris? Statimque immediatè subjungit verba adducta in argumento.*

Objic. 7. D. Hieronymus super illud Abac. cap. 1. *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum, ita de Deo ait: Ceterum absurdum est ad hoc Dei ducere majestatem, ut sciat ad momenta singula, quot nascantur pulices, quotve moriantur: Quæ cimicum, & muscarum in terra multitudo, quanti pisces in aqua natent, &c.* ergo ex mente Hieronymi Deus non cognoscit vilissimas & minutissimas creaturas. Vaquez ingenue renuit excusare Hieronymum. Resp. tamen neg. conseq. Quia S. Doctor non negat ibi Deo scientiam rerum omnium, quam multis in locis fatetur; sed scientiam practica Providentiæ moralis, sive specialis, quam habet cum Rationalibus per impositionem præceptorum, & legum, per poenarum comminationem, & præmiorum promissionem, ut constat ex ipso textu: Postea enim ibi subjungit: *Liber ille Apocriphus stultitia condemnandus est, in quo scriptum est quemdam Angelum nomine Tyri præesse reptilibus.* Ubi specialem providentiam, quam habet DEUS erga homines, negat erga reptilia juxta illud Pauli ad Cor. 9. *Numquid de bobus cura est Deo?*

Obj. 8. Si Deus cognosceret creaturas possibiles secundum esse proprium objectivum illarum, cognitio divina ita illas representans dependeret ab illis; cū non posset eas representare, si illud esse objectivum deficeret. Atqui dependentia non est Deo concedenda; ergo &c. Resp. Neg. maj. quia ad dependentiam absolutè dictam non sufficit, quod unum non possit esse sine alio; Etenim Pater in divinis non potest esse sine Filio, & non dependet ab illo; Hæc enim dicitur connexio absque inopia. Unde ad dependentiam alterius requiritur indigentia, ac inopia, per quam dependens ita caret bonis sibi necessariis, ut neque habeat ea bona in se ipsis, neque constituta in sua libertate, sed eget at ope alterius, quem determinare non potest pro suo libito, ut talem opem ferat. Quæ de causa, quæ sunt ab alio, tamquam à causante, aut intrinsicè perficiente, vel prærequisito ad sui felicitatem, vel intrinsicum complementum, habet veram depen-

dependentiam, cum habeant eam inopiam. Cognitionem autem divina cum talem inopiam habere non possit, exinde non habet dependentiam. Scio puram connexionem absque inopia à pluribus vocari dependentiam latam non verò strictam, quod idem est ac dicere non esse veram dependentiam, sed connexionem. Exinde Augustinus rejicit quamcumque necessitatem, aut inopiam inter Personas divinas licet inter se connexas; sic enim habet *contra Advers.* *Legis lib. 1. cap. 7. Ubi nulla indigentia, nulla necessitas: Ubi nullus defectus nulla indigentia: nullus autem defectus in Deo; nulla ergo necessitas, &c.* Et *Anf. in Mon. c. 58. Necessesse est, ut nullus eorum trium alio indigeat.* Hæc autem est ratio, quare omnipotentia connexa cum possibilibus ab illis non dependeat.

304. **Objic. 9.** Deus non amat amore necessario efficaci creaturas; potuit enim pro libito suo nullam omnino producere; ergo neque illas necessario cognoscit. **Confirm. 1.** Si Deus cognosceret creaturas vilissimas; istæ refunderent vilitatem in Deum; ergo non cognoscit illas. **Confirm. 2.** Deus cognosceret: adeoque & efformaret ens rationis; essentque in mente divina efformata figmenta, monstra, & chimæ: sed hoc dissonum est menti divinæ, in qua velut in purissimo speculo relucet, quæ sunt; ergo &c. **Probat. maj.** quia chimæ non sunt minus cognoscibiles, quam creaturæ possibiles. Cognoscibile enim non solum comprehendit ens, sed transcendit etiam non ens; cum de chimera verè sit affirmabile esse quod est, & non esse quod non est. Sic Aristoteles *lib. 1. metaph. text. 14.* Nomen veri non solum restringit ad ens reale, sed ampliat etiam ad omne significabile per conceptum explicativum conformem objecto explicato. Et *lib. 4. text. 27.* ait omne intelligibile affirmari, aut negari; & tunc esse verum, esse, quod est, & esse verum, esse, quod non est. Sic etiam D. Thomas *1. P. q. 25. art. 3. ad 2. ait: Nihil enim prohibet conditionalem esse veram, cujus ant. & consequ. est impossibile. Sicut si dicatur, si homo est asinus, habet quatuor pedes; ergo &c.*

305. **Resp. Conc. ant. in sensu argumenti, & neg. consequ.** Ratio est, quia Perfectio voluntatis divinæ est summa libertas; & dominium circa objecta, quæ non sunt essentialiter, & infinite bona, quales sunt creaturæ: at verò perfectio divini intellectus non est summa libertas ad cognoscendum; vel non cognoscendum id; quod est cognoscibile: sed est perfectio essentialis incapacitatis ad ignorantiam: tunc autem haberet ignorantiam ex eo præcisè; quod non cognosceret, quod est cognoscibile; exinde est summe determinatus ad cujusque objecti noticiam, ex eo, quod sit verum; & cognoscibile. Ad primam Confirmationem neg. ant. Quia cognitio rerum visibilium non retrahit Deum à co-

R. P. Gormaz Theolog. Tom. 1.

gnitione nobiliorum, nec excitat ad aliquam pravam affectionem; sed impedit imperfectiorem ignorantiam: adeoque nullam in Deum refundit vilitatem; sed summam arguit perfectionem. Sicuti quod omnipotentia sit productiva rerum vilissimarum; & creaturarum, nullam refundit in omnipotentiam limitationem; sed summam arguit perfectionem. Ad secundam **Confirm. dist. maj. cognosceret chimæras illas mente divinâ conservando, neg. illas dissipando conc. maj. & dist. min. neg. consequ.** Ad probationem **dist. ant. non sunt minus, & eodem modo neg. & diverso modo conc. ant. & neg. consequ.**

Ratio est, quia, ut chimærae tales essent respectu intellectus divini, opus erat, ut eliceret actum consulum; quò affirmaret unum prædicatum identificari cum altero, à quo realiter in se distinguitur. Cum autem intellectus divinus non attingat ea prædicata confusè, sed comprehensivè, attingit figmenta necessaria, non quidem fingendo, sed comprehendendo prædicata realia mutuo se excludentia, & comprehendendo falsitatem cognitionis, qua noster intellectus affirmabat ea identificari: adeoque non attingit ea prædicata conservando; sed dissipando chimæras. Sic Deus attingit universale, non quòd tale sit respectu divinæ mentis attingentis usque ad ultimas differentias comprehensivè; sed quòd tale erat respectu intellectus limitati. Unde sicut Deus non potest attingere universale, ut universale, sive illud conservando; quia ea reduplicatio significat attingentiam præcipientem, & consulam: ita nequit attingere chimæram ut chimæram eam conservando; Quia ea reduplicatio significat attingentiam per cognitionem consulam; & fingentem. Atamen sicut cognitio efformans universale nullum objectum attingit, quod meliori modo non attingatur à mente divina; ideoque ab ea dissipetur: ita cognitio efformans chimæram nullum objectum attingit, quod meliori modo non attingatur à mente divina: adeoque ab illa dissipatur. Quod idem suo modo dicendum est de objecto, & cognitione falso negante.

307. Quapropter sicuti, quando dicimus universale est verum universale, solum significamus esse vera extrema; & cognitionem præcipientem, per quam formatur: ita quando dicimus chimæra est verè chimæra; solum significamus esse vera extrema, & cognitionem fingentem, perquam efficitur. Pariter quando dicimus conditionaliter: si homo est asinus, habet quatuor pedes; solum significamus, verum esse, quòd attribuantur homini quatuor pedes per cognitionem falsam, per quam esse asinum ei attribuitur: Sic Augustinus *tom. 1. lib. Solut. c. 11. Hinc enim existit illud, quod superius mirabamur, de volatu Dedali veram fabulam esse non potuisse, nisi Dedalum volasse falsum esset.* Et D. Thomas *1. Part. quest. 14.*

H 2

art. 4

art. 13. ad 2. *Ita enim potest esse verum me dixisse hominem esse asinum, sicut me dixisse soxratem currere, vel Deum esse.* Neque alia est mens Aristotelis, aut D. Thomæ in locis adductis n. 304. ut clarè se explicat D. Thomas q. 1. de Verit. art. 10. ad 5. Verùm cum hæc omnia eò tendant, ut intellectus, sive præcindens, sive verè, aut falso affirmans semper attingat extrema realia, pèrperam exinde deducitur posse unquam intellectum attingere extremum intrinsecè impossibile; sive plusquam extrinsecè impossibile per fingentem cognitionem. Quamobrem quando conditionatè dicimus, si chimæra existeret, dupliciter potest intelligi. 1. Si existeret per intellectum, quod est idem ac dicere, si darentur extrema realia essentialiter falsificantia cognitionè obscuram, per quam attinguntur. 2. Si existerent à parte rei: Quod est, idem ac dicere, si daretur ens imperceptibile, inintelligibile, & incognoscibile. Quis enim potest percipere, quòd existat, vel possit existere à parte rei Petrus essentialiter excludens identitatem cum lapide, & simul sit essentialiter lapis? Hoc planè incognoscibile est. Quod ex ipsa ratione ex Philolopho, & SS. PP. facile probatur.

308. En rationem: Ens impossibile stat, vel in eo, quòd aliquid simul sit, & non sit, quod planè est inintelligibile; nequit enim intellectus cognoscere rem esse, prout non est, vel non esse, prout est: sicuti non potest ita affirmare Paries est albus; ergo caret albedine. Falsum enim ut falsum nequit esse objectum intellectus. Vel stat in prædicatis, quæ identitatem verè excludunt ad invicem, & à cognitione fingente affirmantur identificata: adeoque absque ea exclusionè identitatis nequeunt poni à parte rei; si enim eam identitatem verè non excluderent, possent absque contradictionè à parte rei existere: Sic animal, & rationale, quia verè non excludunt eam identitatem, possunt identificari à parte rei, licet eam excludant fectè per cognitionem fingentem, qua cognoscatur animal impotens identificari cum rationali: atqui extrema verè excludentia eam identitatem ab invicem, realia sunt; ergo &c. Unde quidquid est intelligibile, sive verè, sive falsò cognoscibile, est ens reale. En Philolophum lib. 2. metaph. c. 4. text. 1. *Quare, ut secundum esse unumquodque se habet, ita etiam secundum veritatem.* En Augustin. loco cit. n. super. c. 5. *Nec vereor, ne definitio mea ab hoc improbetur, quod nimis brevis est: nam verum mihi videtur esse id, quod est.* En Anselm. Dial. de Verit. c. 3. *Ab hoc namque nobis datum est, posse cogitare esse, vel non esse aliquid, ut cogitemus esse quod est, & non esse quod non est.* En tandem D. Thomam q. 1. de Verit. art. 2. ad 1. *Verum dicitur per prius de intellectu, & per posterius de re sibi adequata: & utroque modo convertitur cum ente.* Vide n. 316. Exinde autem

309. Objic. 10. Ante Decretum creaturarum

Deus solum potest cognoscere creaturæ possibilitatem: sed creaturæ possibilitas adæquatè identificatur cum omnipotentia; ergo pro illo priori solum potest cognoscere Deus creaturas secundum esse eminentiale, quod habent in omnipotentia, & non secundum esse proprium illarum. Confirm. 1. Creaturæ ante omne Decretum liberum DEI nihil sunt in se distinctum à Deo; ergo nihil à se distinctum cognosceret. Confirmat. 2. Creaturæ merè possibiles nihil actu sunt, nec unquam erunt aliquid actuale; ergo Deus illas cognoscendo, non cognosceret aliquid à se distinctum. Confirm. 3. Ante liberum Decretum Dei creaturæ nullum habent esse, sed haberent, si existerent: atqui quod actu non habet esse, sed haberet, actu non est intrinsecè cognoscibile, sed esset intrinsecè cognoscibile si existeret; ergo &c. Resp. dist. maj. creaturæ possibilitatem intrinsecam, & extrinsecam conc. solum extrinsecam neg. maj. & dist. min. Adæquatè identificatur cum omnipotentia possibilitas extrinsecam creaturarum omitto, intrinsecam neg. min. & conf.

Ratio est, quia possibilitas extrinsecam effectus stat in causa vera potente producere effectum, à qua effectus verè denominatur producibilis. Possibilitas verò intrinsecam stat in ipsius effectus prædicatis vera potentibus produci à causa. Cum autem omnipotentia vera sit causa productiva omnium creaturarum possibilium, non verò sit intrinsecam illarum esse, exinde solum est extrinsecam possibilitas, secus autem intrinsecam. Ad 1. Confirm. dist. ant. nihil sunt, ly sunt sumpto per statum conc. per alienationem neg. ant. & dist. conf. eodem modo. Ad 2. Confirm. conc. ant. & dist. conf. non cognosceret aliquid à se distinctum, ly distinctum sumpto per statum conc. per alienationem neg. conf. Ad 3. Confirm. dist. maj. Nullum habent esse, ly habent sumpto per statum conc. per alienationem neg. maj. & dist. min. non est intrinsecè cognoscibile, sumpto cognoscibile per statum conc. per alienationem neg. min. & conseq.

Explico solutionem. Ens reale, cujus metaphysica proprietas est esse verum, & cognoscibile, considerari potest in pluribus statibus: nimirum vel ut possibile, vel ut merè possibile, vel ut conditionatè, aut absolute futurum, vel ut præteritum, aut actuale. Voces autem, & conceptus, quibus illud exprimimus, possunt sumi dupliciter 1. quatenus significant per statum. 2. Quatenus significant per alienationem. Tunc significant per statum, quando significant rem actualiter, & de præsentem existentem, sive creaturam actualiter positam extra causas. Sic quando dicimus: Petrus modò est albus, ly est sumitur per statum. Tunc verò significant per alienationem, quando exprimitur rem extra statum actualis existentia. Sic quando dicimus: Antichristus est futurus, ly est non significat, quòd actu sit Antichristus: sed induit significationem illius superadditæ

dicæ particulæ *futurum*, & significat Antichristus nunc non est, eritque postea. Adeoque non significat per statum, sed per alienationem. Unde propositio, quæ absque particula alienante est falsa, si ea particula superaddatur, erit vera. Quamobrem hæc propositio est falsa: Antichristus est: hæc autem est vera: Antichristus est futurus. Etenim ab eo, quod est, vel non est objectum propositionis tempore impotato per copulam, propositio est vera, vel falsa.

312. Exinde cum ens reale non solum sit verè affirmabile, prout existit, quando existit: sed etiam prout potest existere, quando potest existere: vel prout est existiturum, quando est futurum, & sic de alijs considerationibus: intellectus divinus utpote infinite cognoscitivus, & impotens habere ignorantiam, adeoque necessitatus ad cognoscendum, quidquid est cognoscibile, & omni modo, quo est cognoscibile, ut constat à 275. Verè illud cognoscit affirmando de illo esse possibile, dum est possibile, & esse futurum; dum est futurum: ac proinde cum ab æterno derur cognitio divina affirmans Petrum esse possibile, illa prædicabilis veritas ex actu, & objecto verè sumitur per statum respectu actus, & per alienationem respectu objecti: atque adeo actus ille essentialiter est verus: cum essentialiter conformetur cum objecto, ut ab ipso tacto. Unde in objecto datur intrinseca cognoscibilitas, non quidem sumptis objecto, & intrinseca cognoscibilitate per statum, sed per alienationem; modo, quo ab intellectu divino affirmantur: adeoque tale objectum est distinctum à divina cognitione, sumpto ly distinctum non quidem per statum, sed per alienationem modo, quo ad veritatem actus requiritur. Quamobrem cum ens intrinsece impossibile tum per statum, tum per alienationem imperceptibile sit ex n. 307. Ea de causa est omnino incognoscibile.

313. Cæterum cum inter objecta, quæ modo non existunt, sed possible sunt, cognoscantur aliqua à Deo conditionatè, & contingenter futura, & aliqua absolute, & contingenter futura ex dictis à n. 241. Exinde dicuntur transire à statu possibilitatis ad statum futurationis conditionatæ, & à statu futurationis conditionatæ ad statum futurationis absolutæ, non quidem sumpto ly transire per statum, sed per alienationem. Ratio est, quia, cum objectum illud adhuc non sit extra causas, perperam diceretur transire per statum. Etenim quod actu non existit, actu neque ambulat, neque currit, neque transit. Dicitur autem, & verè transire per alienationem; quia ita transire ad futurationem conditionatam est idem ac dicere, quod si ponerentur istæ causæ; poneretur effectus. Sicuti transire ad futurationem absolutam, est idem ac dicere, quod ponentur istæ causæ; & ex illis proceder effectus. Pariter cum objectum futurum physicè non existat, nequit physicè determinari: ac cum sit verè cognoscibile, potest intentionaliter determinari, quia hoc solum significat, quod objectum non

ideo existet, aut existeret à parte rei, quia cognoscitur existiturum, sed è contra. Unde determinativum intentionale idem est, ac existentia physica, sumpta per alienationem cum tali independentia, ut ex objecto ad cognitionem illud actu cognoscentè valeat hæc quasi à priori: Intellectus divinus manet determinatus ad cognoscendum objectum, quia objectum erit: & non ideo erit objectum, quia intellectus divinus erat determinatus ad illud cognoscendum: ad eum modum, quo valet ista: Ideo speculum repræsentat determinatè objectum, quia applicatur illi objectum determinatum: & non ideo applicatur tale objectum determinatum, quia speculum erat determinatum ad illud repræsentandum.

Ratio autem omnium est, quia, sicut speculum est ex se indifferens ad repræsentandum, vel non repræsentandum objectum, quia potest existere cum virtute sua adæquata, sive detur, sive non detur objectum: ita intellectus divinus est ex se indifferens ad repræsentanda futura creaturæ libere; quia potest existere cum adæquata sua virtute, sive creatura voluerit, sive non voluerit elicere actum posita in his, aut illis circumstantijs; adeoque sive objecta sint, sive non sint, conditionatè, aut absolute futura. Cæterum sicut speculum extenditur ad repræsentanda omnia visibilia posita extra causas, si illi applicentur, eaque tunc necessariò repræsentat: ita divinus intellectus extenditur ad repræsentanda quæcunque cognoscibilia, sive ponibilia, sive ponenda, sive posita extra causas, quin possint fugerè applicationè divini intellectus, qui, ut ait Apostolus ad Rom. 4. vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt. Atque adeo ea ab æterno verè repræsentat, sumpta veritate per statum respectu divini actus, & per alienationem respectu objecti, quo in sensu objectum verè manet ab æterno commensuratum divina cognitioni.

Verum quia non illa, de quibus Gonetius n. 331. sed hæc sunt præcipua fundamenta pro necessitate scientiæ mediæ, de qua latè infra agemus, oportet videre, an hæc doctrina sit nova, an verò antiqua, & apud omnes SS. PP. certissima. Eam quidem approbat, & probat cum Augustino, & Anselmo quos seq. D. Thomas q. 1. de Veritate art. 1. in corp. dicens: *In hac autem adæquatione, vel commensuratione intellectus, & rei, non requiritur, quod utrumque extremum sit actu: Intellectus enim noster potest nunc adæquari his, quæ in futurum erunt, nunc autem non sunt, alias non esset hæc vera: Antichristus nascetur. Unde & denominatur verè à Veritate, quæ est in intellectu tantum, etiam quando non est res ipsa: similiter etiam intellectus divinus, adæquari potuit ab æterno his, quæ ab æterno non fuerunt, sed in tempore sunt facta: & sic ea, quæ sunt in tempore, denominari possunt verè ab æterno à veritate æterna. Si autem accipiamus veritatem pro veritate creatorum verorum eis inherente; quam invenimus in rebus,*

*Et in intellectu creato. Sic veritas non est aeterna nec rerum, nec enunciabilem, cum ipsa res, vel intellectus, quibus veritates inhaerent, non sint ab aeterno. Hec Philosophus.*

316. Quapropter cum res futura modo non existat, dicitur modo non ens, sive privatio, aut negatio formalis entis: quo in sensu non ens convertitur cum ente, quatenus non existens modo, existit post: sive quod non est per statum, est ens per alienationem, atque aded in hac acceptione verissime dicitur Deum habere scientiam de non ente. Quod praeclearissime explicat D. Thom. q. de Scientia Dei, art. 8. in corp. dicens: *Patet ergo quod Deus, quod Deus possit cognitionem habere aliquorum non entium, & horum quidem quorundam habet, quasi practicum cognitionem, scilicet quae sunt, vel fuerunt, vel erunt, quae ex eius scientia secundum eius dispositionem procedunt: Quorundam vero, quae nec fuerunt, nec sunt, nec erunt, quae scilicet nunquam facere disposuit, habet quidem speculativam cognitionem.* Haec D. Thomas. Quo in sensu Aristoteles lib. 4. metaph. t. 2. Privationem entis verè vocat ens, nimirum per alienationem. cum verè affirmetur ab intellectu. Sic D. Thomas quest. 1. de Verit. art. 1. ad 7. dicendum quod verum non est in plus quam ens; *Ens enim aliquando acceptum dicitur de non ente, secundum quod non ens, est apprehensum ab intellectu.* Unde in 4. metaph. dicit Philosophus: *quod Negatio, vel Privatio entis, uno modo dicitur ens.* Ex quibus aperitur nobis via ad ea, quae imposterum dicturi sumus.

### SECTIO III.

#### Solvuntur Opposita contra Objectum formale.

317. Objic. 3. contra 3. assertionem ex Ribad. Divina cognitio habet esse à praedicatis divinis, quae exprimit; ergo ea praedicata divina sunt objectum illius physice motivum. Confirm. 1. ex Godoi. Divina cognitio procedit ab intellectu Dei, tanquam à sui specie intelligibili ex n. 234. ergo tanquam ab objecto physice motivo. Confirm. 2. ex Montoia, licet objectum determinativum in creatis det esse cognitioni: Objectum determinativum cognitionis divinae non debet dare esse cognitioni divinae ex n. 282. ergo licet objectum physice motivum debeat producere cognitionem in creatis, objectum physice motivum non debet illam producere in divinis. Confirm. 3. Ex recentioribus. Ratio objecti formalis admittitur in DEO per similitudinem ad objectum formale cognitionis creatae: sed objectum formale cognitionis creatae est semper physice motivum; ergo & objectum formale divinae.
318. Resp. dist. ant. habet esse per identitatem conc. per physicam productionem neg. ant. & conf. quia objectum physice motivum debet dare esse cognitioni ipsius per physicam productionem,

vel concurrente per se ipsum, vel per speciem ab ipso missam, ut constat ex n. 279. Ad 1. Confirm. neg. ant. si ly procedit absolute fumatur; nam in divinis unum procedere ab alio absolute significat ab illo produci. Unde solum potest dici esse ab intellectu, tanquam actum secundum metaphysicum ex modo nostro concipiendi, juxta n. 212. & 215. Quod nequaquam sufficit ab objecto physice motivum. Ad 2. Confirm. conc. ant. & neg. conseq. quia in divinis cum cognitio sit improducta, objectum solum est intentionaliter motivum: In creatis verò cum sit producta, non solum intentionaliter, sed etiam physice est motivum juxta illud Augustini ex objecto & potentia paritur notitia.

Si autem objectum non esset productivum cognitionis, vel per se, vel per speciem ab ipso missam, neque in creatis esset physice motivum. Ut jam dicimus. Ad 3. Confirm. dist. maj. per similitudinem in linea intentionaliter motiva, aut determinativa conc. in linea physice motiva neg. maj. & dist. min. si semper sit physice productivum cognitionis conc. si non sit neg. min. & conseq. Ratio est, quia licet naturaliter ita contingat, tamen de possibili potest Deus nobis infundere cognitionem objecti propter suam veritatem, quin tamen objectum, per se vel per species sui à se missas influat in cognitionem: tunc autem tale objectum non esset physice motivum cognitionis.

Objic. 2. Ex Aureolo & recentioribus contra secundam partem Conclusionis: motivum, utpote non potens agere absque motione dicit respectum ad potentiam mobilem, & ad actum illius, ad quem mover: sed in Deo, qui intelligit actu purissimo, repugnat potentia mobilis; ergo & respectu illius repugnat objectum formale motivum. Confirm. Ratio motivi importat aliquam indeterminationem potentiae; sed haec DEO repugnat; ergo & ratio objecti motivi. Resp. dist. maj. Dicit respectum, vel physicum, vel intentionalem conc. semper physicum neg. maj. & dist. min. neg. conseq. Quia motivum potest esse, vel physicum, vel intentionale. Si sit physicum, dicit respectum ad potentiam physice mobilem; atque aded, & physice producentem suam cognitionem.

Si autem solum sit movens intentionale, solum dicit respectum intentionalem consistentem in eo, quod actus ita tendat in ipsum objectum, ut, si rogaretur intelligens de ratione assensus, pro ratione daret ipsum objectum ex dictis n. 279. Cum autem hoc non repugnet intellectui divino, non repugnat illi potentia mobilis pure intentionaliter, licet omnino ipsi repugnet potentia intellectiva physice mobilis. Vide D. Thomam n. 292. Ad Confirmat. neg. maj. Quia ad rationem motivi objectivi nulla requiritur indeterminatio in potentia, sed facta est, quod objectum sit ratio, cur praestet assensus, quamvis potentia omnino necessario assentiatur. Unde est pure terminare cognitionem

nem non sufficit ad objectum formale; cum objectum materiale etiam terminet cognitionem. Sed requiritur, quod terminet tanquam ratio, propter quam præstatur assensus.

322. Objic. 3. Objectum intentionaliter movens, movet ut cognitum: sed talis motio respectu Dei repugnat; ergo &c. Prob. min. Si objectum respectu Dei moveret ut cognitum, Deus ex cognitione unius transiret ad cognitionem alterius, adeoque discurreret: sed hoc repugnat Deo: ergo &c. Resp. dist. maj. ut cognitum ly ut cadente supra cognitionem neg. supra ratione objectivam, quam intelligens daret de assensu præstato per illam cognitionem conc. maj. & dist. min. neg. conseq. Ad probationem dist. eodem modo præmissis neg. conseq.

323. Ratio est, quia reduplicatio ut in concretis aliquando cadit supra formam: sic dicimus: Paries ut albus (hoc est albedo) terminat cognitionem. Aliquando supra subjectum: sic dicimus: Paries ut cognitus (hoc est Paries) terminat cognitionem. In hoc autem secundo sensu dicitur objectum intentionaliter movens, movet ut cognitum, secus in primo. Adeoque non requiritur prævia ulla cognitio, ut sit objectum formale, sed fat est, quod cognitio tendat in illud tanquam in rationem motivam, quæ tendentia satis clara nobis est à posteriori. Nam si intelligens reddat rationem de assensu suo, non reddet pro ratione objectum materiale, sed formale: sic quando ægrotus sumit portionem amarā propter salutem, interrogatus, cur eam portionem sumat, non reddet pro ratione ipsam portionem amarā, sed salutem.

324. Objic. 4. Contra quartam assertionem. Veritas necessaria satis est ad determinandam cognitionem sui; sed æterna veritas essentia attributorum, & relationum est necessaria; ergo satis est ad determinandam cognitionem sui; atque adeo essentia attributa, & relationes erunt objectum formale determinativum divinæ cognitionis. Resp. dist. maj. ad determinandam cognitionem sui respectu intellectus indifferentis ad eam cognoscendam, vel non cognoscendam conc. respectu intellectus omnino necessitati ad eam cognoscendam neg. maj. & concessa min. neg. conseq. Ratio est, quia ad objectum formale determinativum divini intellectus non satis est potentia ad determinandum intellectum creatum potentem cognoscere, & non cognoscere: sed requiritur potentia ad determinandum intellectum divinum. Cum autem hæc respectu veritatis necessariæ impossibilis sit, cum divinus intellectus nullam circa illam habeat indeterminationem, ea de causa talis veritas necessaria nequit esse objectum formale determinativum intellectus divini.

325. Objic. 5. Divina essentia utpote identificata cum attributis, & relationibus se sola satis est ad cognoscendam attributa, & relationes; ergo saltem attributa, & relationes non sunt objectum formale intentionaliter motivum divi-

næ scientiæ. Confirm. 1. Si ad cognoscendam essentia omni modo, quo cognoscibilis est, deberent cognosci relationes, un Persona divina ad se perfecte cognoscendum indigeret alia; ergo &c. Confirm. 2. Ratio motiva scientiæ debet illam antecedere, vel saltem comitari: sed sola essentia id habet respectu divinæ scientiæ; ergo &c. Resp. dist. ant. ad cognoscendam omni modo, quo cognoscibilia sunt neg. modo solum, quo necessariò cognosci possunt conc. ant. & neg. conseq. Ratio est, quia non solum cognoscit Deus, quod essentia identificatur cum attributis, & relationibus, sed etiam cognoscit, quod attributa, & relationes identificantur cum essentia: atque adeo non solum sunt cognoscibiles relationes ratione essentiæ, sed etiam essentia verè est cognoscibilis ratione veritatis relationum: proinde ea omnia sunt objectum formale divinæ cognitionis, & necessaria, ut Deus essentiam cognoscat omni modo, quo cognoscibilis est.

Ad primam Confirmationem neg. ant. quia ad indigentiam non satis est, quod aliqua veritas sit necessaria, sed ulterius requiritur, quod ille, qui indiget, possit ea privari, neque sit in sua potestate eam habere; atque adeo egeat ope alterius ad habendam suam felicitatem. Cum autem hæc Deo repugnent, repugnat quoque ipsi indigentia respectu suorum prædicatorum, ut constat num. 303. Ad secundam Confirmationem neg. maj. quia ratio motiva, quæ talis non debet præcedere cognitionem nisi per se, vel per sui speciem physice moveat, & producat cognitionem: Cum autem Relationes divinam cognitionem non producant, non debet eam præcedere ex titulo objecti motivi: sed satis est, quod sit vera ratio assecurativa assensus divinæ cognitionis.

327. Objic. 6. Veritates creatæ quantumvis necessariæ nequeunt esse objectum intentionaliter motivum divinæ scientiæ; ergo ea ratio objecti motivi non se extendit ad omnes veritates necessarias. Probat. ant. Quia docet ita Dionys. c. 7. de div. nom. August. & Anselmus; ergo &c. Confirm. 1. objectum formale dat speciem actui: sed creatura dare nequit speciem scientiæ divinæ; ergo &c. Confirm. 2. Voluntas divina non movetur ex objecto formali creato; ergo neque divinus intellectus. Confirm. 3. In finite scientiæ solum proportionatur objectum infinitum: sed objectum creatum non est infinitum; ergo &c. Resp. neg. ant. ad probat. neg. etiam ant. Quia Dionysius, & alii PP. solum docent, quod creaturæ nequeant esse objectum physice, vel per identitatem motivum divinæ cognitionis, quod nos etiam ut omnino certum admittimus. Non autem negant, quod sit objectum intentionaliter motivum, sed potius hoc docent, ut constabit n. 334. & 352.

Ad primam Confirmationem dist. maj. objectum formale physice, vel per identitatem motivum conc. solum intentionaliter motivum

vum neg. maj. & conc. min. neg. conseq. quia objectum solum intentionaliter motivum se habet extrinsecè, nullumque influxum præstat in scientiam, ut constat à n. 229. adeoque nequit dare speciem scientiæ. Sic creatura producta ab omnipotentia, quia nullum præstat influxum in omnipotentem, sed purè extrinsecè se habet respectu illius, nequit dare speciem omnipotentia, licet, ut fatentur adversarij, impossibilibus creaturis non posset omnipotentia existere. Ad 2. Confirm. omitto ant. ejus falsitas constat in Tract. de Vol. & neg. conseq. Ratio est, quia cum voluntas sit potentia libera ex eo, quod non amet propter hanc, vel illam rationem limitatam, non sequitur, quod non possit, & quod non sit plene sufficiens in linea volendi; sed solum sequitur, quod liberè non velit. At verò intellectus cum sit potentia necessaria, si non cognosceret objectum omni modo, quo cognoscibile est, sequeretur, quod non posset, & quod haberet ignorantiam: quod summo, & perfectissimo intellectivo manifestè repugnat. Ad 3. Confirm. dist. maj. solum proportionatur proportionè æqualitatis conc. attingibilitatis neg. maj. & conc. min. neg. conf. ut constat ex dictis: Sic quando homo vult aliquid propter bonitatem sibi inferiorem, ea bonitas est objectum formale, non quidem proportionatū homini proportionè æqualitatis, sed proportionè attingibilitatis.

329. Objic. 7. contra assertionem. Objectum formale determinativum specificat actum suum: sed actus creati nequeunt specificare scientiam Dei; ergo nequeunt esse objectum for-

male determinativum scientiæ Dei. Confirm. licet scientia Dei libera, aut contingens compleretur quoad denominationè actu cognoscentis per actus nostros liberos, adhuc actus creaturæ essent liberi. Sed tunc non possent esse objectū formale determinativum scientiæ liberæ aut contingentis, aliter determinarent se ipsos. ergo &c. Resp. dist. maj. specificat extrinsecè conc. intrinsecè neg. maj. & dist. min. neg. conseq.

Ratio est, quia cognitio intrinsecè solum specificatur à suis intrinsecis prædicatis; cum autem prædicata intrinseca cognitionis diviniæ sint distincta à nostris actibus liberis, exinde nequeunt intrinsecè specificare cognitionem divinam. Specificare autem extrinsecè nihil aliud est, quam esse illius objectum; adeoque & objectum materiale, & formale sive purè motivum, sive intentionaliter determinativum specificant extrinsecè scientiam Dei diversimodè tamen: juxta diversam naturam objecti. Sic creaturæ specificant extrinsecè omnipotentiam diversimodè tamen, juxta diversam creaturarum naturam. Ad confirmationè conc. maj. & dist. min. non essent objectum formale determinativum scientiæ, secundum quod dicit pro complemento conc. pro forma cognitionis, quæ quoad denominationem compleretur neg. min. & conseq. Ratio est, quia cum forma cognitionis sit indifferens, ut denominetur, vel non denominetur cognoscentis, actusque nostri liberi eam tollant indifferentiam, ea de causa respectu illius formæ erunt objectum determinativum ex dictis à n. 313.

## DISPUTATIO VI.

### DE SCIENTIA DEI NECESSARIA.

331. **Q**uamvis Deus creaturas posibles certò, & evidenter cognoscat, secundum quod in se essent, si à parte rei existerent, ut jam omnes Theologi docent contra Aureolū ex n. 277. superest tamen difficultas hic decidenda, nimirum an Deus eas creaturas posibles cognoscat in se ipsis, vel in se ipso, & quomodo attingat illas. Recentiores Thomistæ communiter docent, nequaquam in se ipsis cognosci, sed solum in alio tamquam in medio præcognito, videlicet in essentia divina, vel omnipotentia tamquam in causa. Judicant enim sententiam docentem creaturas in se ipsis à Deo cognosci sternere viam scientiæ mediæ, ut expressè notat Joannes à S. Thoma in 1. P. disp. 18. art. 2. exinde Gonertus disp. 2. de scientia possibili art. 2. n. 46. ita habet: Hæc quæstio magni ponderis est; ex ea siquidem tamquam ex præcipuo fundamento dependet positio, vel destructio scientiæ mediæ. & post pauca: nota Eximium Doctorem Valentiam Granado, & alios præter cognitionem harum creaturarum in essentia divina tanquam in causa, admittere in Deo cognitionem earumdem in se ipsis;

ut Deo affingere possint scientiam mediā. Quanta verò fides præstanda sit Thomasi, & Gonerto, constat Authores legenti; nam Deum creaturas posibles non cognoscere in se ipsis, sed in se ipso docent Exim. Doct. lib. 3. de Attrib. c. 2. Valentia tom. 1. disp. 1. q. 14. p. 3. Granadus in 1. P. tract. 2. disp. 4. n. 1. Molina in 1. P. q. 14. art. 6. disp. un. con. 2. Quod autem ea assertio non inventa sit à Modernis, ut affingant Deo scientiā mediā, constat facile, si legantur antiqui docentes Deum cognoscere creaturas posibles in se ipsis. ita docent Scotus in 1. distin. 35. & cum eo Scotistæ, ut Faber disp. 51. c. 8. Pontius in Cursu Theologico disp. 1. q. 3. Ocam. disp. 25. q. 3. Gabriel ibidem, & alij antiquiores, quibus subscribunt plures ex nostra Schola, quos citant & sequuntur Vasquez disp. 60. c. 2. Arrubal disp. 30. Compton. disp. 22. sect. 5. & Ariaga disp. 19. sect. 4. Quinimo sententia omnium nostrorum & antiquorum cum D. Thoma facile concordat contra Modernos Thomistas, quantum attinet ad fundamenta scientiæ mediæ, ut constat à n. 337. Pro cuius declaratione sit

SECTIO

## SECTIO I.

*An Deus cognoscat creaturas posibles in se ipsis?*

332. *Supp. 1.* Multiplicem esse modum cognoscendi, nimirum in se, in alio, propter aliud, ex alio, & ad modum alterius. Cognitio rei in se, quae dicitur directa, & immediata, est cognitio rei propter ipsius propriam veritatem. Cognitio rei in alio, quae dicitur mediata, & indirecta, est cognitio rei in medio dicente ordinem ad ipsam: Implicat enim penetrare ordinem ad terminum incognito termino. Unde si ordo ille non dicat connexionem metaphysicam cum termino, non poterit ex praecisa vi medii cognosci infallibiliter, & assertive terminus, nisi cognoscatur apprehensivè. Si autem medium dicat connexionem metaphysicam cum termino, tunc terminus ex vi medii potest cognosci in medio, & propter medium, sive in alio, & propter aliud. Ratio est, quia cognitio rei propter aliud est cognitio propter medium metaphysicè cum ipsa connexionem: Unde quaecumque cognitio rei propter aliud est etiam cognitio rei in alio, & non e contra. Sicut omnis homo est animal, & non e contra. Cognitio verò rei ex alio est cognitio discursiva, quae repugnat Deo ex dictis à n. 238, 255. Cognitio verò ad modum alterius, est cognitio confusa non attingens objectum in se attingibile, sed solum imperfectè ex altera similitudine nota, quae fit substitutum in ordine ad aliud. Sic cognoscimus angelum ad modum Juvenis. Haec autem cognitio cum ex intrinsicis suis imperfectioe asserat, manifestè Deo repugnat. Quare respectu Dei solum manet quaestio de tribus primis cognoscendi modis.

333. *Supp. 2.* Cognitionem rei in se ipsa dupliciter esse posse. 1. In se ipsa tanquam in objecto physice, aut per identitatem motivo. 2. In se ipsa tanquam in objecto solum intentionaliter motivo, aut determinativo. Constat explicatio terminorum à n. 270. Sic Deus cognoscit essentialiam suam in se ipso tanquam in objecto per identitatem motivo, cum ea divina cognitio cum essentialia Dei identificetur: secus autem tanquam in objecto physice motivo; cum ea cognitio ab essentialia non producat: E converso homo cognoscit albedinem in se ipsa tanquam in objecto physice motivo; cum ea cognitio ab objecto, & potentia producat: secus autem tanquam in objecto per identitatem motivo; cum cognitio albedinis non identificetur cum albedine. Exinde DEO se ipsum cognoscente, verum est dicere, notitia sui se cognoscere; cum ibi cognoscens, cognitio, & cognitum, sive intellectio intellectus, & intellectum sint idem, ut agebat D. Thomas n. 229, 235. Quod verè dici non potest de Deo ut cognoscente creaturas; cum ibi cognitio, & res cognita non identificentur, quod notaverat jam D. Thom. n. 214. Pariter quando cognitio habet esse physice ab objecto verè dicitur, quod cognoscens accipit cognitionem ab objecto ex illo Aug. ex objecto, & potentia paritur notitia: secus autem, quando cognitio neque physice, neque per identitatem habet esse ab objecto, ut patet in cognitione divina. His positis

334. *Affero 1.* Deus non cognoscit creaturas possi-

*R. P. Gormaz Theolog. Tom. I.*

biles in se ipsis per essentialiam suam cognitionem, tanquam in objecto physice, vel per identitatem motivo. Prob. facile ex dictis 1. divina cognitio utpote improducibilis non producat à creaturis possibilibus: quin imò ut identificata cum Deo ex dictis à n. 212. distinguitur realiter ab illis: atqui ut Deus cognosceret creaturas posibles in se ipsis tanquam in objecto physice, vel per identitatem motivo, necesse erat, ut producerent divinam cognitionem, vel ut identificarentur cum illa; ergo &c. Confirm. licet possibilitas extrinseca creaturarum identificetur cum Deo; possibilitas tamen creaturarum intrinseca realiter distinguitur à Deo, ut constat à n. 310. atqui nulla res distincta realiter à Deo potest producere divinam cognitionem, neque cum illa identificari; ergo &c.

335. *Prob. 2.* Si Deus cognosceret creaturas posibles in se ipsis tanquam in objecto physice, vel per identitatem motivo, esset verum dicere: Deum lumere ab illis suam cognitionem, vel cognoscere res rerum notitia, sive per illarum species, ut constat ex n. 333. Sed hoc dici non potest, ut constat ex dictis; ergo &c. Confirm. ex Dion. c. 7. de divinis nom. Juxta modernam Perionii Benedictini versionem latinam ita de Deo dicente: *Quare divina mens omnia continet scientia, quae secreta est ab omnibus, quod per causam rerum omnium scientiam anticipatam habet.* Et infra: *Nec enim ea, quae sunt ex eis, quae sunt, dicens novit divina mens, sed ex se, & in se per causam rerum omnium cognitionem, scientiam, essentialiamq; anticipatam, & ante comprehensam habet; non quod per species singula consideret, sed quod uno cause complexu omnia sciat, & contineat.* Et rursus. *Nec ab eis, quae sunt, ipsorum notitiam accipiet: sed & singulis sui, & aliis aliorum notitiam impartiet. Non igitur propriam sui notitiam Deus habet: aliam autem, quae communiter ac generaliter ea, quae sunt, omnia comprehendit. Ipsa enim se ipsam omnium causa noscens nullo prorsus modo ea, quae a se profecta sunt, & quorum causa est, ignorabit. Hac ergo Deus ea, quae sunt, novit non rerum notitia, sed sui.* Haec Dion.

336. Quibus in verbis admittit Dionysius cognitionem necessariam possibilem, sive anticipatam ad omnium creaturarum existentiam cum Deo identificatam; adeoque quae non possit respicere creaturas in se ipsis tanquam in objecto per identitatem motivo. Docet praeterea eam cognitionem, qua Deus ita se cognoscit, non esse distinctam ab illa, qua cognoscit creaturas, neque haberi per speciem illarum; adeoque juxta Dionysium non potest admitti una cognitio improducta, qua Deus se cognoscat, & altera producta habita per species creaturarum, qua Deus cognoscat creaturas. Unde non potest divina cognitio respicere creaturas in se ipsis, tanquam in objecto physice motivo. Quo in sensu loquuntur Ambrosius, Augustinus, aliique PP. dum dicunt, Deum non cognoscere creaturas in se ipsis. Quamobrem, si cognitio possibilem in se ipsis non sumatur in hoc sensu, sed pro cognitione exprimente intrinsecam possibilem veritatem, litarumque causarum usque ad finem omnium, non solum non

negatur, verum etiam expresse asseritur à Dionysio eodem cap. 7. dicente: *Ratio autem Deus cum laude appellatur à scripturis divinis, non solum propterea, quod & rationem, mentem, & sapientiam suppediet, sed etiam quod omnium causas in se æquabiliter anticipatas habet, quodque per omnia vadat pertingens, ut scriptum est, usque ad finem omnium.* Et cap. 7. *Sic ergo in Deo parvi nomen accipiendum est, ut quod in omnia, & per omnia liberè gradiatur, ac efficax sit; atque pertingat usque ad divisionem animæ, & corporis, compagum quoque, & medullarum, & discernat intentiones, & cogitationes cordis, aut potius ea, quæ sunt omnia. Non enim est creatura invisibilis in conspectu Dei.* Hæc Dionys. Pertingere enim usque ad finem omnium stare nequit, quin ea omnia sint objectum intentionaliter motum divinæ scientiæ, ut n. 279. Tum etiam discernere intentiones, & cogitationes cordis, quæ liberæ sunt, stare nequit, quin sint objectum intentionaliter determinativum divinæ scientiæ ex dictis à n. 282. Atque adeo quin Deus ea in se ipsis sub hac ratione cognoscat. Exinde

337. Assero 2. Deus cognoscit creaturas possibles in se ipsis tanquam in objecto intentionaliter motivo; contingentia verò, & libera tanquam in objecto intentionaliter determinativo. Constat Conclusio ex dictis à n. 280. Ubi arguendo à ratione factis probata est: hæc enim est mens eximii doctoris, qui hunc cognoscendi modum tanquam certum in principiis suis supponit l. 3. de attrib. c. 2. n. 5. & c. 7. n. 25. Utrum sit mens D. Thomæ aliorumque SS. PP. statim constabit. Prob. igitur 1. ab Auc. ex D. Thoma 1. P. q. 14. art. 6. ad 1. dicente: *Deus non solum cognoscit res in se ipso, sed per id, quod in se ipso continet res, cognoscit eas in propria natura, & tanto perfectius, quanto perfectius est unumquodque in se ipso; ergo &c.* Confirm. ex ipso D. Thoma q. 2. de Verit. art. 4. ad 6. dicente: *ad 6. dicendum, quod Deus cognoscit res in propria natura; si ista determinatio referatur ad cognitum ex parte cogniti. Si autem loquamur de cognitione cognoscentis, sic cognoscit res in Idea, id est, per Ideam, quæ est similitudo omnium quæ sunt in re, & accidentalium, & essentialium: Quamvis ipsa non sit accidens rei, neque essentia ejus: sicut & similitudo rei in intellectu nostro non est essentialis, vel accidentalis ipsi rei, sed similitudo, vel essentia, vel accidentis.*

338. Quibus in verbis D. Thom. dupliciter ait posse considerari rem in se. 1. In ipsa natura, & veritate objectiva. 2. In cognitione vera, ea prædicata objectiva, ut sunt in se, representante; & utroque modo à DEO cognosci: ita tamen ut cognitio illa non sit essentialis rei cognitæ, atque adeo non respicit rem cognitam in se ipsa tanquam in objecto per identitatem motivo. Quin imò non accipitur à re cognita: sed est idea rei cognitæ: atque adeo non respicit rem cognitam in se ipsa, tanquam in objecto physice motivo. Tandem respicit illas res in se ipsis, tanquam determinantes ex parte cogniti, atque adeo respicit illas in se ipsis tanquam in objecto intentionaliter motivo, aut determinativo.

Quamobrè in hoc testimonio D. Thom. utramque simul conclusionem nostram clarissime probat. Unde quando aliquando ait Deum non cognoscere creaturas in se ipsis; nequit intelligi de cognitione rerum in se ipsis tanquam in objecto intentionaliter motivo, aut determinatio: sed tanquam in objecto physice, aut per identitatem motivo: ut loquitur etiam Dionysius adductus à n. 334.

339. Prob. 2. Concl. & confirm. hæc omnia ex ipso D. Th. q. 2. de Verit. art. 3. ad 1. dicente: *ad 1. dicendum, quod aliquid intelligitur dupliciter, uno modo in se ipso, quando scilicet ex ipso are intellecta, vel cognita formatur acies intuentis. Alio modo videtur aliquid in altero, quo cognito & illud cognoscitur: Deus ergo se ipsum tantum cognoscit in se ipso: alia vero in se ipsis cognoscit: sed cognoscendo suam essentiam, & secus. dum hoc Philosophus dixit, quod Deus tantum se ipsum cognoscit. Cui etiam consonat dictum Dionysii 7. c. de divin. nom. Deus, inquit, existentia cognoscit non scientia, quæ sit existentiam, sed quæ sit sui ipsius.* Quibus in verbis D. Thomas asserit dupliciter posse objectum in se ipso cognosci. 1. Quando ex objecto cognito formatur acies intuentis, quæ cum solum possit formari, vel per identitatem cum re cognita, vel per physicam productionem, unum è duobus requiritur, ut in hoc sensu objectum in se ipso cognoscatur. In sensu autem productionis aciei intuentis nihil potest à Deo cognosci in se ipso; cum divina cognitio improductibilis sit. In sensu autem identitatis solus Deus cognosci potest in se ipso à cognitione divina; cum solus Deus, & nihil extra Deum identificetur cum illa. 2. Quando ex objecto in se ipso cognito non ita formatur acies intuentis, quod convenit rebus omnibus à Deo cognitis extra Deum: quo in sensu ait D. Thomas, reliqua omnia à Deo cognoscuntur in se ipsis. Quin imò addit, quod valde notandum est, eam esse Aristotelis, & Dionysii doctrinam. Quid clarius dici poterat pro utraque nostra conclusione?

340. Prob. 3. ex ipso D. Thom. 1. P. q. 14. art. 13. in corp. dicente: *Resp. dicendum, quod cum supra ostensum sit, quod Deus sciat omnia, non solum quæ actu sunt, sed etiam quæ sunt in potentia sua, vel creatura: horum autem quedam sunt contingentia nobis futura, sequitur quod Deus contingentia futura cognoscat. Ad cuius evidentiam considerandum est, quod contingens aliquid dupliciter potest considerari. Uno modo in se ipso, secundum quod jam in actu est: & sic non consideratur ut futurum, sed ut presens, neque ad utrumlibet contingens, sed ut determinatum ad unum: & propter hoc sic infallibiliter subditur potest creatæ cognitioni, utpote sensui visui, sicut cum video Socratem sedere. Alio modo potest considerari contingens, ut est in sua causa, & sic consideratur ut futurum, & ut contingens nondum determinatum ad unum; quia causa contingens se habet ad opposita: & sic contingens non subditur per certitudinem alicui cognitioni. Unde quicumque cognoscit effectum contingentem in sua causa tantum, non habet de eo, nisi conjecturalem cognitionem, Deus autem cognoscit omnia contingentia, non solum*

solum prout sunt in suis causis, sed etiam prout unumquodque eorum est in actu in se ipso. Hæc D. Thomas, qui in his verbis non solum approbat, verum etiam probat conclusionem nostram; ergo &c.

341. Prob. 4. ex ipso D. Thom. 1. P. q. 86. art. 4. in corp. dicente: *Resp. dicendum, quod de cognitione futurorum eodem modo distinguendum est, sicut de cognitione contingentium; & post pauca. Sciendum est, quod a futura dupliciter cognosci possunt: uno modo in se ipsis; alio modo in suis causis. In se ipsis quidem futura cognosci non possunt, nisi a DEO.* ergo Ex doctrina D. Thomæ & futura, & contingentia, cognoscuntur à Deo in se ipsis. Hæc cum ita sint, mirari satis non possum, quod Gonetus adeo præfidenter dicat contradictionem esse patentem; quod Deus dicatur cognoscere creaturam aliquam in se ipsa: Idque allumi contra Dionysium, & alios SS. PP. ad affingendam Deo scientiam mediam. Quæro ab ipso, an D. Thomas eam patentem contradictionem agnovit? Si agnovit, cur ita loquitur? Assumitne hanc loquutionem contra SS. PP. ad affingendam Deo scientiam mediã? Quidni mente Dionysii assequutus est melius Gonetus an D. Thom. ? Si D. Thomas; legat ipsū exponente Dionysium, sicut nos exponimus n. 339

342. Prob. 5. ex ipso D. Thom. q. 2. de Verit. art. 12. ad 9. *Non est inconveniens, quod ponatur, quod Deus scit aliquid futurum esse, quod erit, in quantum scilicet scit aliquas causas ad aliquem effectum inclinatas, qui non producentur: Sic enim non loquimur nunc de cognitione futuri, prout scilicet a Deo in suis causis videtur, sed in quantum cognoscitur in se ipso.* Et ad 12. *Dicendum, quod duplex est cognitionis medium: Unum quod est medium demonstrationis, & hoc oportet esse proportionatum conclusioni, ut eo posito conclusio ponatur: & tale medium cognitionis non est Deus respectu contingentium.* Et q. 12. art. 10. in corp. *Circa futurorum cognitionem duo est considerare: scilicet ipsum ordinem causarum ad futuros effectus, & exitum, sive executionem huius ordinis in hoc, quod effectus actu procedunt ex suis causis: quæcumque igitur virtus creata aliquam cognitionem habet de futuris, sua cognitio non fertur nisi ad ordinem causarum: sicut medicus secundum hoc dicitur futuram mortem præscire, in quantum scit naturalia principia esse ordinata ad defectum mortis.* Et eodem modo *Astrologus dicitur præcognoscere futuras pluvias, aut ventos.* Unde si sint tales cause, quarum effectus impediri possunt, non semper evenit, quod sic præscitur esse futurum. Sed Deus non solum cognoscit futura ratione ordinis causarum, sed etiam quantum ad ipsum exitum, vel executionem ordinis. Et post pauca. *Et sic remaneat solius Dei proprium verescire futura; ergo ex mente D. Thomæ Deus cognoscens infallibiliter futura, modo, quo creatura nequit infallibiliter futura, modo, cognoscit futura in se ipsis.*

343. Probat. 6. Ratione: cognoscere quidquid est cognoscibile, & omni modo, quo est cognoscibile, ita est perfectio intellectus, R. P. Gormæ Theolog. Tom. I.

ut si objectum, quod in alio, & in se est cognoscibile, cognoscatur solum in alio, & non in se ipso, sit cognoscens imperfectio: atqui objecta creata non solum sunt cognoscibilia in omnipotentia, vel in suis causis, sed etiam in se ipsis, ut constat à n. 276. ergo si Deus solum cognosceret in suis causis objecta creata, & non in se ipsis, esset imperfectus in ratione cognoscendi. Confirm. 1. ex D. Thom. 1. P. q. 14. art. 10. ad 4. Ubi loquens de cognitione divina mali, hæc habet: *ad 4. dicendum, quod cognoscere aliquid per aliud tantum est imperfecte cognitionis, si illud sit cognoscibile per se; ergo &c.* Confirm. 2. Intellectus animæ Christi cognoscit veritates creatas in verbo, & immediate in se ipsis extra verbum per scientiam supernaturalem infusam; eò quod animæ Christi concedatur omnis modus cognoscendi res creatas, ut ferè omnes Theologi docent in Tractatu de Perfectiõibus Christi, & ipsi advers. 3. P. q. 9. Sed hæc ratio magis urget de intellectu divino, utpote infinitus magis cognoscitivo; ergo &c. Confirm. 3. Nulla est imperfectio omnipotentie producere res vilissimas secundum omne id, quod in se habent; ergo neque est imperfectio divini intellectus res creatas in se ipsis cognoscere, secundum illud esse, quod in se ipsis habent.

344. Prob. 7. ex Aug. Licet creatura in Deo, aut in verbo divino, quod, ut habetur, Sap. 7. *Candor est lucis æternæ, & speculum sine macula Dei majestatis, & Imago bonitatis illius,* perfectiori modo representetur, quam appareat in se ipsa, eò quod in verbo representetur tanquam in medio purissimo simpliciter infinite perfecto, non solum comprehendente, sed supercomprehendente creaturam, secus autem in se ipsa: Attramen ipsa verè in se ipsa est cognoscibilis. Unde licet juxta SS. PP. phrasim, cognitio divina prout terminata ad creaturam in verbo possit dici cognitio matutina, eodem jure prout terminata ad intrinsicam veritatem creaturæ in se ipsa dici poterit cognitio vespertina. Sed exinde divina cognitio non solum cognoscit creaturam in verbo, sed etiam in se ipsa; ergo &c. Min. & conseq. tenent. Maj. autem est expressa Augusti. doctrina tom. 3. lib. 4. de Genes. ad Literam c. 22. ubi hæc habet: *Et fecit Deus Firmamentum, deinde sit vespere illius dici; cum ipsum firmamentum non in verbo Dei sicut ante, sed in ipsa ejus natura eò cognoscit.* Et infra. *Multam quippe interest inter cognitionem rei cujusque in verbo Dei, & cognitionem in natura ejus, ut illud merito ad diem pertineat; hoc ad vespeream; ergo &c.*

345. Prob. 8. ex eodem Aug. in Pl. 49. ita de Deo differente: *Omnia mea sunt, quia ego creavi ea. Cognovi omnia volutilla cæli. Quomodo cognovit? Appendit, numeravit.* Atqui appendere, & numerare creaturas nõ solum est illas cognoscere in essentia divina, sed etiam in se ipsis; ergo &c. Unde cum creaturæ, antequam fierent, eò quod verè fieri possent, essent verè cognoscibiles in se ipsis à Deo: attramen quia soli Deo cognitum nobisq; ignotum est, quomodo sese divino intellectui objiciebant,

ea de causa dubitare non possumus, quin Deus in se ipsis ea cognosceret, licet nobis occultum sit, quomodo id fieret. Quæstiones enim quoad quid est, & quæ ad quomodo est, sunt valde diversæ ex num. 45. Exinde Augustinus loco cit. ita prosequitur: *Ne fortè hoc à me fratres expectetis, ut explicem vobis, quomodo cognoscat Deus: hoc solum dico, non sic cognoscit, ut homo, non sic cognoscit, ut Angelus, & quomodo cognoscit, dicere non audeo, quoniam & scire non possum. Unum tamen scio, quia & antequam essent omnia volatilia cæli, noverat Deus, quid fuerat creaturus.* Hæc Augustin.

346. Probat. 9. Ex Ambr. cognitionem Dei se se in corda, & hominum cogitationes inferere, perinde est, ac creaturas illas in se ipsis agnoscere: sed cognitio divina ita se se inferit; ergo &c. Consequentia tenet, & maj. tanquam indubitata ab adversariis supponitur, qui, ut tradit Gonet. *disp. 2. de Scientia possibilium. art. 2. §. 1.* docent, ideo Deum juxta Dionysium solum in se ipso, & non in se ipsis cognoscere creaturas; quia juxta quandam latinam versionem, quam non citant, sed citavimus num. 352. hæc verba reperiuntur apud Dionysium *cap. 7. de div. nom. Non secundum visionem singulis se immittit, sed secundum causæ continentiam scit omnia.* Min. autem probat. Licet cognitio divina in corda & hominum cogitationes non sese inferat tanquam primariū objectum physicè, aut per identitatem motivū ex dictis n. 334. in alio autem sensu revera sese inferit juxta dicta n. 339. ergo &c. Probat. ant. ex Ambr. *lib. 1. off. cap. 14.* ubi hæc habet: *Quid autem tam stolidum, quam putare, quod Deum quidquam prætereat, cum sol, qui minister luminis est, etiam abdita penetret, & in fundamenta domus, vel secreta conclavia vis caloris ejus irrumpat? Si igitur radius solis fundit lumen suum super omnem terram, & in ea, quæ clausa sunt, se inferit, nec veltibus ferreis, aut brachium valvarum obicibus, quod minus penetret, impeditur, quomodo non potest intelligibilis Dei splendor in cogitationes hominum, & corda, semet, quæ ipse creavit, inferere; ergo &c.* Ex dictis

347. Fit 1. Deum assertivè cognoscere suam essentiam in divinis relationibus, tanquam in formalitatibus virtualiter ab ipsa distinctis: Tum etiam cognoscere in eo sensu relationes in essentia. Ratio est, quia cum Deus in eo sensu cognoscat essentiam suam in divinis relationibus, & econtra, satis est, quod non possit comprehendendi essentia, quin cognoscantur relationes virtualiter ab ipsa distinctæ, & econtra: sed ita se habet Deus cognoscens suam essentiam, & relationes, cum non possit eas non cognoscere omni modo, quo verè cognoscibiles sunt, neque possit eas non comprehendere ex dictis à n. 271. & 297. ergo &c.

Fit. 2. Deum etiam cognoscere assertivè unam relationem in altera. Ratio est, quia quævis relatio divina dicit essentialè connexionem

cum altera, & identitatem cum eadem indivisibili natura divina, atque adeò non potest Deus cognoscere unam relationem comprehensivè, quin assertivè cognoscat altera. Sed hoc est cognoscere assertivè unam in altera ex n. 332. ergo &c.

Fit 3. Ad evitandam quæstionem de voce, 348. & periculum erroris cognitionem essentia in relationibus, relationum in essentia, aut unius relationis in altera, non dicendam esse absolute cognitionem unius in alio, sed cum addito a nobis dato n. superiori. Ratio est, quia cognitio unius in alio absolute dicta, significat duo realiter distincta, & essentialiter diversa, etenim ly aliud absolute dictum in divinis juxta Concilia supponit pro essentia ex n. 35. ergo: ut per illas voces unius in alio tollatur in his loquutionibus periculum erroris, si ly alio fumeretur neutraliter, non debet dici absolute cognitionem relationum in essentia, aut unius relationis in altera, esse cognitionem unius in alio, sed cum addito, nimirum, unius virtualitatis in altera, vel unius relationis in altera.

Fit 4. Supposita mutua connexionem omnipotentia cum creaturis possibilibus Deum in se ipso, & propter se ipsum cognoscere assertivè creaturas posibles: tum etiam cognoscere se ipsum in creaturis, & propter creaturas. Ratio est, quia ad hujusmodi cognitionem satis est cognoscere comprehensivè terminū metaphysicè cum altero connexū ex n. 332. ergo. supposita mutua connexionem metaphysica omnipotentia cū creaturis habet Deus ejusmodi cognitionem. Fit. 5. Negata connexionem metaphysica Dei cum Possibilibus, & Possibilium cum Deo, adhuc negari non posse ordinè saltem quoad entitatem, & sufficientiam unius ad alterum, cum creator dicat ordinem ad creaturam, & creatura ad creatorem. Quamobrem Deus in ea suppositione se ipsum cognoscens, etsi non cognosceret assertivè creaturas ex vi mediū, adhuc eas cognosceret assertivè ex vi suæ infinitæ virtutis intellectivæ necessitate ad cognoscendum, quidquid est cognoscibile, ex suppositione, quod sit cognoscibile: atqui creatura, cum adhuc in eo casu supponatur possibilis; supponitur etiam verè cognoscibilis: ergo. Deus cognoscendo suam omnipotentiam dicentem ordinè ad creaturas, cognosceret creaturas in se ipsis non esse impossibiles, sed posibles. Cæterum, cum in eo casu creatura posibles non essent necessariae ex parte Dei, essent objectum intentionaliter determinativum divinæ scientiæ ex dictis n. 282. Eodem modo cognoscendo creaturam, cognosceret Deus Trinitatem, etsi supponatur inconnexa cū Trinitate. Exinde apparet generalis Doctrina ad omnes modos cognoscendi divinæ scientiæ. Vide à n. 374.

Ratio Fundamentalis, quam pro utraque nostra assertione & illationibus attulimus, non est adeò nova, ut assumpta non fuerit prius à D. Thom. ea quidem utitur tanquam principio firmissimo ad dissolvenda argumenta contra ipsius resolutiones opposita. Sic enim habet in

Primum sententiarum dist. 27. q. 2. art. 2. ad quartum dicendum, quod nullo modo est concedendum, quod Pater intelligat à Filio, vel quid intelligat in Filio, sicut in objecto, vel specie, qua cognosceret. Quia hoc poneret Filium habere aliquam rationem principii ad Patrem. Sed tamen concedendum est, quod Pater intelligit in Filio & seipsum, & alia, in quantum videt Filium esse similitudinem suam, & omnium aliorum, sicut primum videtur in eo, cujus est primum, quamvis & in se ipso videatur; possum enim videre hominem in imagine sua, quamvis ipsum etiam per se videam; ita & quamvis Pater se ipsum videat in se, & omnia alia, tamen omnia potest videre in Filio, & se ipsum, sicut & se ipsum in creatura videtur potest, in quantum ipsum creatura representat, quamvis imperfecte. Quid clarius, & expressius pro nostra doctrina, & pro distinctione in via S. Thomæ inter objectum physicè, vel per identitatem motivum, & objectum solum intentionaliter motivum, & determinativum? Quid evidentius ad intelligendum, quo in sensu neget D. Thomas Deum se, alia, vel in alio cognoscere, & quo in sensu affirmet? Cum autem hoc sit firmissimum D. Thomæ principium, non indigemus alio ad dissolvenda argumenta, quæ contra D. Thomam, & contra sententiam nostram efformant Recentiores Thomistæ.

## SECTIO II.

## Solvuntur opposita.

351. **O**bjic. 1. contra primam Conclusionem. Si scientia Dei libera, & contingens constituitur quoad denominationem per connotatum extrinsecum, illud connotatum erit scitum, & scientiæ constitutivum; ergo Divina scientia cognosceret illud in se ipso tanquam in objecto per identitatem motivo. Resp. neg. ant. quoad secundam partem; nam in ea suppositione connotatum extrinsecum non est constitutivum cognitionis divinæ; hæc enim adæquatè identificatur cum Deo, à quo distinguitur realiter illud extrinsecum connotatum. Unde Deus non cognosceret per illud connotatum extrinsecum, sed per suam perfectissimam, necessariam, & simpliciter infinitam formam, seu quasi formam cognitionis, licet, ut ista applicetur objecto, illudque denominet cognitum, requiratur illud connotatum. Exinde essentialis Dei cognitio nunquam cognosceret illud connotatum in se ipso, tanquam in objecto per identitatem motivo. Sic approximatio ignis non constituit virtutem comburendi, licet requiratur, ut virtus illa comburat.

352. **O**bjic. 2. contra secundam Conclusionem, contra quam Gonertus, & Recentiores Thomistæ acriter pugnant. Dionysius enim cap. 7. de div. nom. juxta Veritissimam ejus operum latinam versionem sic ait: *Non secundum visionem, singulis se immittens, sed secundum unam causam continentiam omnia sciens, & continens.* R. P. Gormaz. Theolog. Tom. I.

Et infra. *Se ipsam divina sapientia cognoscens, cognoscit omnia.* Et rursus. *Ista igitur DEUS existentia cognoscit non scientia, que sit existentium, sed qua sit sui ipsius.* Ita quidem sunt fideliter verba ejus antiquæ versionis, quam non bene citat Gonertus, supra quam commentarium fecit D. Thomas, tacente adversario, forte quia non vidit, vel quia nolebat D. Thomam ibi videri. Modò sic: atqui si Deus præter scientiam possibilium in se ipso, illa in se ipsis immediatè cognosceret, secundum visionem singulis se immitteret, & illa sciret non se ipsum noscens, & noticiam non sui, sed creaturarum propria; ergo juxta Dionysium Deus non cognoscit creaturas possibiles immediatè in se ipsis, sed tantum in se ipso, & mediatè, seu in essentia divina visa, & cognita. Min. pro prima parte, ait Gonertus, est manifesta; nam cognoscere secundum visionem, se immittere objecto, non est ab illo accipere speciem; quia in hoc non se immittit cognoscens objecto, sed potius objectum se immittit cognoscenti; ergo est immediatè erga objectum versari, non enim videtur, in quo alio consistere possit, & contentè si Deus creaturas possibiles cognoscit immediatè in se ipsis, se immittit secundum visionem creaturis.

Pro secunda parte, ait ipse, etiam constat; nam Deus cognosceret creaturas possibiles mediatè in se ipso, & immediatè in se ipsis; ergo cognosceret illas non solum notitia, qua se cognoscit, sed etiam alia notitia, quod à Dionysio negatur; nam illius sensus est exclusivus. aliàs non sufficienter explicuisset modum, quo creaturæ à Deo cognoscuntur. Tertia denique Pars suadetur; notitia illius objecti dicitur, ad quod immediatè, & primario terminatur: sed notitia, qua Deus creaturas possibiles in se ipsis immediatè cognosceret, illas haberet pro objecto immediato, & primario, ergo, si daretur in Deo talis cognitio, cognosceret creaturas non sui, sed illarum notitia. Confirm. Dionysius loco cit. probat Deum non sumere cognitionem à rebus, & extra seipsum nihil cognoscere, quia omnia cognoscit in se ipso tanquam in causa; ait enim, etiam si secundum unam causam Deus omnibus existentibus esse tradidit, secundum eandem causam sciet omnia, sicut ex ipso existentia, & quæ in ipso præextiterunt, & non ab existentibus sumet ipsorum cognitionem, sed & ipsis singulis eorum, & aliis aliorum cognitionis erit largitor. ergo non solum intendit docere, quod Deus non cognoscit creaturas extra se ipsum, sed in se ipso, ex eo, quod non accipiat species à rebus, sed etiam ex eo, quod illas cognoscat in sua essentia, ut in causa, & medio prius cognito. non verò in se ipsis immediatè. Quor & quanta hic contineantur contra Dionysium, contra D. Thomam, contra Veritatem, statim constabit.

Resp. conc. maj. & dist. min. singulis se immitteret tanquam in objecto physicè, vel per

identitatem motivo neg. tanquam objecto intentionaliter motivo conc. min. & neg. conseq. Ad probationem primæ partis dist. ant. Non est se immittere objecto, si cognitio cum objecto identificetur, vel à cognoscente queratur, ut illi subministrat speciem neg. si solum se habeat ut intentionaliter movens conc. ant. & neg. conseq. Ad probationem secundæ partis conc. ant. & dist. conseq. cognosceret illas non solum notitia, qua se cognoscit, sed etiam alia notitia realiter distincta neg. ex modo solum nostro concipiendi conc. conseq. Quod adversarius satis vidisset, si legisset Dionysium, hanc ibi ex suis principiis conseq. inferentem: Non igitur Deus propriam habet sui ipsius cognitionem; aliam communem existentia omnia comprehendentem. Ad probationem tertiæ partis dist. maj. dicitur notitia objecti per identitatem, vel per productionem ab objecto habitam, vel per puram representationem objecti conc. semper per identitatem, & productionem ab objecto neg. maj. & dist. eodem modo min. neg. conseq.

355. Quod autem ista sit vera mens Dionysii clarior est, quam ut dubitari possit, ut constat ex ipsius verbis adductis n. 335. & ex D. Thoma in expositione data n. 339. In præsentem enim Dionysius solum intendit probare, quod, cum divina omnipotentia sit causa rerum omnium, & per cognitionem secum identificatam Deus se ipsum ita cognoscat, & comprehendat, exinde per cognitionem, qua se ipsum cognoscit, cognoscat etiam omnia, cum non possit comprehendere causa alicujus effectus, non comprehendit effectus. Quod autem effectus in se ipso à divina cognitione non cognoscatur, nullo modo docet Dionysius, neque hoc erat ipsius intentum. Cæterum ne adversarii existiment, hanc expositionem à nobis pro libito excogitam, sciant D. Thomam commentarium confecisse supra hæc verba Dionysii, & supra hæc verba in argumento adducta.

356. Ibi enim D. Thomas Dionysii mentem ita interpretatur: *Manifestum est enim, quod omnis cognitio est secundum modum ejus, quo aliquid cognoscitur, sicut omnis operatio est secundum modum forme, quo aliquid operatur. Cum igitur divina sapientia omnia cognoscat per hoc, quod cognoscit se ipsam, ut dictum est, ipsa autem est, immaterialis, & indivisibilis, & una, sequitur quod cognoscit materialia immaterialiter, & divisibilia indivisibiliter, & multa unitivè, in quantum scilicet omnia cognoscit, & producit per unum, quod ejus essentia. Si enim per causam possunt cognosci effectus, sequitur, quod si ipse iradit esse omnibus secundum unam causam, qua est ejus essentia, quod etiam secundum eandem causam sciat omnia, scilicet qua ab ipso processerunt, & qua præexistunt in proponendo, antequam essent in propriis naturis; & sic manifestum est, quod DEUS non sumit cognitiones rerum ab ipsis rebus: ergo ex mente D. Thomæ, Dionysii intentum est, quod res creatæ neque efficiant*

divinam cognitionem, neque cum illa identificentur.

357. Quomodo ergo exinde inferunt Adversarii, quod Deus non cognoscat eas res creatas in se ipsis, quandoquidem D. Thomas in Dionysio optime verfarus passim hanc Deo cognitionem attribuit ex n. 337. quando inferunt, quod non se immitat, nec se inferat creaturis divina cognitio, tanquam in objecto intentionaliter motivo, cum SS. PP. hoc expressè fateantur, & præcipuè Ambrosius cit. n. 336. ? Ad Confirm. dist. ant. est extra se ipsum nihil cognoscere tanquam in objecto physice, vel per identitatem motivo conc. tanquam in objecto intentionaliter motivo neg. ant. & conseq. ut constat ex dictis. Unde cognitio creaturarum, licet sit propria creaturarum, prout hoc significat esse illam expressionem rei creatæ, non est propria creaturæ, prout significat esse identificatam, & productam à creaturâ.

358. Objic. 2. Ambrosius *Tract. in Symb. cap. 1.* hæc habet: *Licet omnia celestia, & terrestria, ac minima quæque proficiat Deus, nihil tamen extra intelligere, sed singula in se inveni dicitur.* Ergo ex Ambr. Deus non cognoscit creaturas in se ipsis. Confirm. ex August. *Lib. 83. Quæst. quæst. 46.* dicente: *Non enim extra se quidquam positum intueatur, ut secundum id constitueret, quod constituebat; nam hoc opinari sacrilegum est.* Quæ verba exponens D. Thomas q. 14. art. 5. hæc habet: *Ad primum, ergo dicendum, quod verbum Augustini dicentis, quod Deus nihil extra se intuetur, non est sic intelligendum, quasi nihil, quod sit extra se, intueatur; sed quia id, quod est extra se ipsum, non intueatur nisi in se ipso, ut dictum est; ergo, juxta D. Thomam, & Augustinum, non datur in Deo cognitio immediata creaturarum in se ipsis, sed mediata solum in essentia divina tanquam in causa.*

359. Resp. Neg. conseq. Quia Ambrosius loc. cit. solum loquitur de cognitione divina creaturarum, tanquam in objecto physice, vel per identitatem motivo: secus autem tanquam in objecto intentionaliter motivo: Creaturas enim ita cognoscit Deus ex mente Ambrosii, ut asserere non dubitet, divinam cognitionem se inferere creaturis, ut constat ex ejus verbis n. 346. Quæ si Adversarii vidissent, non adeo præfidenter supponerent tanquam certum in nullo sensu posse divinam cognitionem se inferere creaturis, ut constat ex ejus verbis. Ad Confirm. conc. ant. & neg. conseq. Nam D. Thomas non negat, quod Deus intueatur creaturas in se ipsis, sed eo solum modo, quo ab ipso jam dictum est. Querere autem debebant adversarii, quomodo hoc dictum jam erat à D. Thoma. & planè invenirent D. Thomam cum reliquis SS. PP. solum negare cognitionem divinam tendere ad creaturas in se ipsis, tanquam in objectum physice, vel per identitatem motivum; non autem negare, sed sæpe asserere, & inculcare, quod Deus creaturas in se ipsis cogno-

gnoscit tanquam in objecto intentionaliter motivo ex n. 337. & 350. Vide mentem Augustini latius expositam n. 301.

360. Obj. 3. In Deo utpote infinite perfectio non potest admitti duplex modus cognoscendi creaturas, quorum unus sit perfectior, & alius minus perfectus: sed modus cognoscendi creaturas in essentia divina est perfectior, quam modus cognoscendi eas in se ipsis; ergo non debet dari in Deo modus cognoscendi creaturas in se ipsis. Min. probat. ex Augustino tom. 5. lib. 11. de Civ. cap. 7. dicente: *Cognitio quippe creature in se ipsa decoloratior est, ut ita dicam, quam cum in Dei sapientia cognoscitur, velut in arte, qua facta est.* Quibus in verbis ait Augustinus perfectiorem esse cognitionem matutinam, quae cognoscit creaturas in Deo, quam vespertinam, quae cognoscit creaturas in se ipsis; ergo &c. Hoc argumentum militat contra D. Thomam, qui admittit triplicem modum cognoscendi effectus necessarios, alium in omnipotentia, alium in causis necessariis, & alium in se ipsis ut actu existentibus, prout ex dictis tota sectione praecedenti late constat. Quamobrem pro S. Thoma, & pro nobis Resp. dist. maj. non potest admitti in Deo duplex modus cognoscendi, quorum alter sit alio perfectior realiter à parte rei, conc. praecisive solum, & per rationem neg. maj. & dist. eodem modo min. neg. conseq. Ad probationem conc. ant. & neg. conseq. in sensu explicato: neque enim est alia mens Augustini, si attentè legatur, cum ipse hanc nostram doctrinam, & distinctionem expressè tradat, & doceat n. 344. Quapropter in praesenti nõ dicit, quòd divina cognitio tendens ad Deum sit perfectior illa, quae tendit ad creaturas, cum sit eadem realiter, & solum distincta formaliter, quòd satis indicat Augustinus hic dicens: *Decoloratior est, ut ita dicam, quae limitatio solum admittit explicationem nostram.*

361. Objic. 4. Eo modo cognoscuntur creaturae ab intellectu divino, quo representantur per speciem, qua Deus intelligit: sed non representantur immediate in se, & ratione sui, sed mediate, & in alio, scilicet in Deo prius representato; ergo &c. Probat. min. quia objectum immediate representatum per speciem, debet convenire cum illa in gradu immaterialitatis, ut docet 1. Thomas 9. 12. art. 2. atqui nihil creaturum potest habere talem convenientiam cum essentia divina; ergo &c. Confirm. 1. Representatio speciei est vel ratione similitudinis, vel ratione identitatis cum objecto: sed essentia divina non habet perfectam similitudinem, & multò minus identitatem cum creatura; ergo &c. Confirmat. 2. Essentia Angeli, quatenus exercet munus speciei, se ipsam tantum immediate representat: alia autem mediate, & secundario; ergo idem dicendum est de essentia divina. Confirm. 3. Si essentia divina, ut gerit munus speciei, immediate, & primario representaret creaturas, ab his specificaretur: sed hoc repugnat; ergo &c. Resp. dist. maj. quo re-

presentantur, vel in Deo, vel in se ipsis conc. solum in Deo neg. maj. min. & conseq. Ad probat. dist. maj. debet convenire in aequalitate perfectionis neg. sufficientis attingibilitatis conc. maj. & dist. min. neg. conseq.

Ratio est, quia ex D. Thoma non requiritur inter speciem & objectum proportio aequalis perfectionis inter utrumque, sed quae constituat attingibilitatem modo, quo eo loco citato dicit intellectum per lumen gloriae proportionari ad videndum Deum; Ille quippe non proportionatur aequalitate perfectionis. Nam intellectus cum luce gloriae non est tam perfectus, quam Deus, sed proportionatur in sufficientia ad attingibilitatem. Quis enim dicit speciem, quae habemus, Angeli, hominis, equi, & lapidis convenire cum objectis in immaterialitate, sive haec sit in perfectione physica, sive in independentia à materia corporea, sive in spiritualitate, sive in vi cognoscitiva? Hoc enim asserere nequit, nisi qui toti rationis lumini oculos claudat. Cum autem quaecumque creatura quantumvis minima sufficientem habeat proportionem, sive considerata per statum, sive per alienationem, ut ab intellectu summe intellectivo cognoscatur, ut constat ex n. 281. Exinde quantumvis non habeat aequalitatem perfectionis, habet aequalitatem sufficientem proportionis, ut à Deo cognoscatur. Quin imò essentia divina non solum necessario representat praedicata necessaria, verum etià representativa est contingentium ex suppositione, quòd sint vera, licet ea suppositio necessaria non sit quoad ad statum existentiae.

Ad primam Confirmationem dist. maj. vel ratione similitudinis quo ad aequalitatem perfectionis neg. quoad sufficientiam attingibilitatis conc. maj. & dist. min. neg. conseq. Quia essentia divina, licet non respiciat creaturam, ut sibi aequalem, respicit illam ut in se veram, ac proinde ut verè in se attingibilem ab intellectu omnia cognoscente. Ad secundam Confirmationem dist. ant. si solum sit species sui, nec habeat essentialè necessitatem ad alia cognoscenda conc. si sit etiam species aliorum, vel habeat essentialè necessitatem ad alia in se ipsis cognoscenda neg. ant. & conseq. Ratio est, quia essentia divina, cum sit simpliciter infinite cognoscitiva; habet essentialè necessitatem ad cognoscendum, quidquid in se est verè cognoscibile, & omni modo, quo verè cognoscibile est: cum autem creaturae possibiles in se verè cognoscibiles sint, exinde habet Deus necessitatem ad ea in se ipsis cognoscenda. Si autem Angelus hanc habeat necessitatem, erit eadem suo modo ratio de utroque, secus, si Angelus ob limitationem sui intellectus extendi non possit ad infinita ea omnia cognoscenda. Ad tertiam Confirmationem dist. maj. specificaretur intrinsecè neg. extrinsecè conc. maj. & dist. min. neg. conseq. ut constat à n. 329.

Objic. 5. ex D. Thoma 1. contra Gentes cap. 48. ubi ait. Operatio intentionalis speciem, & nobilitatem habet secundum id, quod est

est per se primò illud; cum hoc sit ejus objectum. Si ergo Deus aliud à se intelligeret quasi per se, & primò illud, ejus operatio intellectualis speciem, & nobilitatem haberet ab alio, quàm ab ipso. Hoc autem est impossibile, cum ejus operatio sit ejus essentia, ut ostensum est. Sic igitur impossibile est, quòd intellectum à Deo primò & per se sit aliud ab ipso. hæc D. Thomas. Ex quibus sic Gonertus. Si Deus cognosceret creaturas immediatè in se ipsis, & independentè ab essentia divina priùs cognita, objectum specificativum divinæ intellectiois esset ens creatum, vel ens ut sic præscindens à creato, & increato: sed hoc dici nequit; ergo &c. Prob. maj. Quia illud censetur esse objectum formale, & primarium alicujus potentia, & operationis, quod primò & immediatè ab illa attingitur independentè ab alio priùs tacto, ut patet in potentia visiva, cujus objectum primarium & formale est color, quem per se primò attingit. Min. verò prob. ratione D. Thomæ jam insinuata; quia cognitio desumit suam speciem, & perfectionem essentialè ab objecto formali, & primario, & ab illo mensuratur: sed intelligere Dei, cum sit ejus essentia, ejusque natura, non potest desumere suam speciem, & perfectionem à creatura, nec ab ea mensurari; ergo &c.

365. Confirm. 1. Objectum formale & primarium divinæ intellectiois debet esse quid actualissimum sicut & ipsa intellectio: sed ens creatum, & abstrahens à creato, & increato, est quid potentiale, ut constat; ergo &c. Confirm. 2. Si ens creatum pertineret ad objectum formale specificativum divinæ scientiæ, etiam pertineret ad objectum formale specificativum Fidei Divinæ, & aliarum virtutum Theologicarum; cum istæ sint perfectiones Intellectus, & voluntatis, adeoque deberent habere idem objectum formale cum illis: sed hoc est falsum; ergo &c. Multis peccat Gonertus in hoc argumento. Primò, quia non assequitur mentem S. Thomæ. Nam Angelicus Præceptor nomine *Primi intellecti*, non intelligit objectum formale, neque nomine *Secundi intellecti* objectum materiale, ut putat Gonertus. Quid autem suis vocibus S. Thomas intelligat, satis id explicat in prim. dist. 35. q. 1. art. 2. in corp. dicens: sciendum tamen est, quòd Intellectum dupliciter dicitur, sicut visum etiam. Est enim primum visum, quod est ipsa species rei visibilis in pupilla existens, quæ est etiam perfectio videntis, & principium visionis, & medium nomen respectu visibilis. Et est visum secundum, quod est ipsa res extra oculum. Similiter intellectum primum est ipsa rei similitudo, quæ est in intellectu; & est intellectum secundum, quod est ipsa res, quæ per similitudinem illam intelligitur. Si ergo consideretur intellectum primum, nihil aliud intelligit Deus, nisi se, quia non recipit species rerum, per quas cognoscat: sed per essentiam suam cognoscit, quæ est similitudo omnium rerum. Sed si accipiatur intel-

lectum secundum, sic non tantum se intelligit, sed etiam alia. Et secundum primum modum dicit Philosophus in secundo metaphysicæ, quòd Deus intelligit tantum se. Hæc D. Thomas.

Ex quibus verbis patet nomine intellecti primi, & secundi, sicut nec visi primi & secundi, non intelligere S. Thomam objectum formale, aut materiale potentia; aliter color, & lux extra oculum existentes non essent objectum formale, sed materiale potentia visiva, quod est contra Gonertum, & contra omnes Thomistas Philosophos & Theologos. Item nec angelus, neque homo, neque ulla potentia cognoscitiva haberet pro objecto formali nisi se, aut speciem, & similitudinem intra se existentem, non autem alia objecta extra se, quia in his omnibus est similitudo intra potentiam existens, & secundum cognitum alia, quæ sunt extra se. Nomine ergo primi intellecti intelligit S. Thomas speciem existentem in intellectu, vel alia potentia cognoscitiva, quæ est representatio, & perfectio potentia, quam pericit in esse cognoscitivo. Ab hac specie ait S. Thomas cognitionem capere speciem, & nobilitatem tanquam ab objecto, quod ei dat esse, sive ut causa extrinseca, ut in nobis, sive intrinseca, ut constitutum reale cognitionis, ut in Deo. Nomine verò secundi intellecti intelligit objectum, quod per speciem representatur. Unde nomine primi intellecti non intelligit D. Thomas objectum formale, in cujus intelligentia peccavit secundo Gonertus, sicut in reliquis omnibus prænotatis. Unde concessa autoritate D. Thomæ jam explicata

Resp. ad argumentum Gonerti dist. maj. objectum specificativum intrinsecè, vel physicè dans esse cognitioni neg. specificativum purè extrinsecè conc. maj. & dist. min. neg. conseq. ad majoris probationem dico censeri primum intellectum objectum formale ab illis, qui versati non sunt in D. Thomæ, neque in SS. PP. neq; juxta principia philosophica loquuntur, ut constat ex n. superiori. Secus autem in via D. Thomæ, cujus mens satis perspicua est in præsentia. Ad probationem maj. dist. ab objecto formali, & primario physicè, vel per identitatem motivo conc. purè intentionaliter motivo neg. maj. & conc. min. neg. conseq. Aliter cognitio angeli non posset esse spiritalior, & immaterialior, quàm lapis per se, & ratione sui tactus ab Angelo. Unde iterum confundit Gonertus objectum formale cum primario, sive primo intellectu, quæ in via D. Thomæ valde diversa sunt, ut constat ex n. 365. Ad primam Confirmationem dist. maj. objectum formale, & primarium per identitatem motivum conc. solum intentionaliter motivum neg. maj. & dist. min. neg. conseq.

Ad secundam Confirm. dist. maj. Si pertineret extrinsecè, pertineret ad specificativum Fidei, aut aliarum virtutum extrinsecarum conc. intrinsecarum neg. maj. & dist. min. neg. conseq. Quin imò ex hoc ipso principio facile possumus argue-

arguere contra adversarios; nam fides, & spes haberet pro objecto formali aliquid creatum, nempe Revelationem, & Possessionem Dei, cuius participatio illæ sunt, præterea virtutes intellectuales, & morales, & scientiæ creatæ etiã sunt participatio divini intellectus, & attingunt pro objecto formali aliquid creatum; ergo & intellectus divinus. Rursus scientia infusa Christi Domini participatio erat divini intellectus, & tantè attingebat creaturas propter se, ergo Intellectus divinus etiã attingit creaturas propter se. Unde quælibet virtus intellectualis est participatio licet nõ adæquata intellectus divini: sicuti neq; quælibet moralis virtus est participatio adæquata divinæ voluntatis: ideòq; nequit attingere, quidquid intellectus divinus attingit, sed una attingit unum objectum, & alia aliud juxta gradum, quo participat divinum intellectum. Idemque suo modo dicendum est de virtutibus, quæ sunt participatio voluntatis.

309. Obj. 6. Scientia divina possibilem in se ipsis est superflua, inordinata, & imperfecta; ergo non est admittenda. Prob. ant. quia superfluit cognitio creaturarum propter se ipsas, ubi datur cognitio creaturarum propter Deum: Deinde est inordinata, quia inordinatio est Deum moveri à creaturis ad eas cognoscendas, cum à se ipso sufficienter moveatur. Tandem esset imperfecta, quia ex objecto finito, & vili vileceret, & finita esset divina scientia; ergo &c.

Resp. neg. ant. ejusque. Prob. Ratio est, quia in primis non esset superflua, sed necessaria Deo, qui ratione suæ infinitæ virtutis cognoscitivæ est determinatus ad cognoscendum omne verum omnibus modis, & titulis, quibus est cognoscibile. Cum autem creaturæ possibilem non solum sint cognoscibiles titulo connexionis, quam habent cum essentia divina, sed etiam titulo intrinsecæ veritatis, quæ in se habent, ideo non superfluit talis cognitio. Deinde non est inordinatio, sed summa ordinatio ob eandem rationem. Sicut in Deo est summa ordinatio non solum producere omne producibile, sed illud producere, quantumvis vilissimum sit. Tandem Deus se solo non sufficienter movetur ad cognoscendas creaturas omni modo, quo cognoscibiles sunt, cum possint cognosci propter se ipsas. Unde non esset finita, limitata, & vilis; quia cognitio formicæ propter se ipsam, etiam prout est cognitio formicæ, esset infinita in sua linea ob identitatem cum ipso Deo, & perfectissimum modum tendendi ipsius, ut patet in omnipotentia respectu productionis formicæ.

370. Objic. 7. Objectum formale divinæ voluntatis solum est bonum increatum. ergo Divini intellectus solum erit verum increatum. Resp. 1. neg. ant. ut latè constabit in Tract. de Volunt. Nam etiam Deus movetur à bonitate creatæ: sic movetur ad dandum præmium propter bonitatem meritorum. Unde hæc paritas potius militat contra adversarios. Quando enim S. Thom. dicit solum bonitatem divinam esse objectum divinæ voluntatis, solum loquitur de objecto ultimato, sive i. voluto; secus autem de obje-

R. P. Gorman Theolog. Tom. 1.

cto formali. Exinde 2. Omitto ant. & neg. consequ. quia cum divina voluntas sit libera ex eo, quod non velit propter bonitatem creatam, nullus defectus arguitur, sed solum usus licitus suæ liberæ voluntatis. At verò intellectus non est potentia libera, sed necessaria. Unde si non attingeret objectum verè cognoscibile, & omni modo, quo est cognoscibile, non argueretur usus suæ libertatis, sed impotentia, & ignorantia, quod est contra Perfectionem Perfectissimi Intellectivi. Quamobrem scientia divina non sumit infinitatem ab objecto formali vili, sed ab aliis capitibus, nimirum ab identitate cum natura divina, & ab infinita ejus claritate. Nec debet proportionari cū objecto proportionem æqualitatis in perfectione, ut patet ex n. 362. Quinimò cognitio producta nõ solum accipit perfectionem ab objecto, sed etiam à potentia: cum autè ex objecto, & potentia oriatur notitia, intellectio verò improducta, qualis est divina, à sua virtute intellectiva sufficientem haurit perfectionem.

Obj. 8. Cognitio, qua Deus cognoscit possibilem, in sua essentia est simpliciter infinite perfecta; cū sit comprehensiva adæquans infinitam Dei cognoscibilitatem; ergo nequit iterum eadem possibilem nova cognitione cognoscere in se ipsis. Probat. conf. Eo ipso, quod illa cognitio comprehendit Deum, jam dicit omnem perfectionem possibilem intra totam latitudinem cognitionis; ergo superfluit alia cognitio nova possibilem in se ipsis. Conf. 1. Quia per illam novam cognitionem perficeretur formaliter Deus, quod repugnat, cum per cognitionem possibilem in essentia divina sit infinite perfectus, dicens omnem perfectionem possibilem in linea cognoscens; ergo &c. Conf. 2. Quia eo ipso, quod cognitio possibilem in essentia dicat omnem perfectionem intra totam latitudinem cognitionis, & non dicat cognitionem possibilem in se ipsis, jam talis cognitio possibilem in se ipsis, non esset perfecta sine imperfectione; ergo est deneganda Deo. Hoc argumentum procedit ex falsa suppositione; supponit enim dari distinctionem virtuales intrinsecam inter cognitionem, qua Deus se ipsum, & creaturas in se ipso cognoscit, & cognitionem qua Deus creaturas possibilem cognoscit in se ipsis. Cum enim ea cognitio sit necessaria in Deo, & essentialis, & inter prædicata Dei necessaria, & essentialia nulla detur distinctio virtualis intrinseca, exinde omnino releganda est ab illa divina cognitione talis distinctio ex num. 128. Unde illa cognitio, prout cognoscit creaturas possibilem in Deo, solum ex nostro modo concipiendi distinguitur à divina cognitione creaturarum possibilem in se ipsis. Exinde

Resp. Neg. 1. Part. ant. nempe cognitionem, qua Deus cognoscit possibilem in sua essentia, formaliter ut talem esse simpliciter infinitam in omni genere, ita ut formaliter imbibat omnem perfectionem intra totam latitudinem cognitionis necessariam. Licet enim realiter, & virtualiter sumpta esset infinite perfecta in omni genere cognoscens si possibilem: atamen ratione nostre non dicit, formaliter nisi omnem perfectionem

in sua linea, nempe cognoscendi possibilis in divina essentia. Neque id est imperfecta adhuc negativè, cum non excludat perfectionem cognoscendi possibilis in se ipsis, sed solum præcindat, quatenus à nobis concipitur prout præcisè cognoscens possibilis in essentia. Pater hoc paritate aliorum attributorum; nam omnipotentia ut talis non dicit formaliter omnem perfectionem intra rotam latitudinem entis infinite perfecti; & sic formaliter sumpta solum est infinite perfecta formaliter in sua linea, & eminenter in omni genere propter identitatem cum natura divina, quæ identitas compensat defectum formalis continentia perfectionis alterius lineæ, ita pariter dicendum est de illa cognitione divina, ex quo pater responsio ad consequentia probationem. Quinimò si cognitiones divinæ essent virtualiter distinctæ, nulla ex illis esset simpliciter infinita formaliter in omni linea, sed unaquæque in linea sua, licet esset simpliciter infinita realiter ratione identitatis cum natura divina, ut pater in divinis relationibus, quarum unaquæque formaliter solum est simpliciter infinita in sua linea, etsi eminenter contineat omnem perfectionem cujuscunque alterius lineæ ob realem identitatem cum natura divina, ut constat à n. 72.

373. Ad primam Confirmationem dist. ant. Perficeretur Deus realiter, & intensivè neg. ex modo nostro concipiendi, quatenus nobis apparet illa formalis perfectio, quæ prius non apparebat, perficeretur formaliter, & extensivè conc. ant. & neg. consequ. Ratio est, quia formalitates distinctæ solum addunt extensionem, secus intensionem perfectionis, cum unaquæque sit simpliciter infinite perfecta. Ad secundam Confirmationem dist. ant. Non esset perfectio sine imperfectione quoad seipsam neg. quoad nos subdistinguo, si eam non cognoscimus conc. si eam cognoscimus neg. ant. & consequ. Ratio est, quia quando cognoscimus cognitionem, qua Deus se ipsum cognoscit, solum in ordine ad cognitionem sui, non apparet nobis perfectio illius cognitionis in ordine ad creaturas cognitivas in se ipsis: atque adeo non apparet nobis perfectio illius cognitionis in omni linea. Unde cognitio possibilium in essentia, etsi sit realiter, & virtualiter cognitio comprehensiva Dei secundum id, quod Deus exigit intrinsicè constitutivè, non est comprehensiva Dei, prout considerati in ordine ad omnes terminos, quos metaphysicè infert, nisi fiat quæstio de voce; nam si ad comprehensionem Dei solum requiramus, quod sit realiter tam perfecta, ac ipse Deus, planè erit comprehensiva: si autem requiramus, quod comprehendat omnes terminos pro eo signo verè cognoscibiles, & omni modo, quo cognoscibiles sunt, si ab aliqua cognoscibilitate præcindamus, præcindemus etiam à ratione cognitionis omnis comprehensiva. Sed quid inde contra nos?

374. Objic. 9. Deus non se cognoscit in creaturis; ergo neque cognoscit creaturas in se ipsis. Probat. ant. Si Deus se cognosceret in crea-

turis, ea cognitio Dei in creaturis ut talis, non esset comprehensiva ipsius Dei: imò nec intuitiva, sed abstractiva, & imperfecta: sed hujusmodi cognitio repugnat Deo; ergo &c. Probat. maj. cognitio Dei in creaturis solum potest esse cognitio Dei, prout terminat connexionem creaturæ, atque adeo solum attingit illa prædicata Dei, cum quibus creatura connectitur; ea enim prædicata solum apparent ex vi mediis, eaque solum sunt cognoscibilia cognoscibilitate connexionis: atqui Deus non terminat connexionem creaturæ secundum omnia sua prædicata; nec etiam apparet Deus totus totalitate perfectionis in quavis creatura: nec creatura connectitur cū Deo ut trino, &c. ergo in creaturis nequit Deus se cognoscere secundum omnia sua prædicata comprehensive, sed imperfectè, & abstractivè. Resp. neg. ant. ad prob. neg. maj. ad prob. dist. maj. solum potest esse cognitio Dei &c. attempta præcisè ratione objectiva movendi, transeat: attempta subjectiva perfectione cognoscens neg. maj. & dist. eodem modo min. neg. conf.

Explico solutionem. Duo consideranda sunt in cognitione. *Existentia, & modus.* Modus cognitionis taxatur à perfectione cognoscens. Cognoscens enim ex sua perfectione determinat sibi modum cognoscendi proportionatum suæ capacitati intellectivæ. Sic spiritualis cognoscens determinat sibi modum spiritualis cognitionis, & cognoscens, quò perfectius est, modum cognitionis perfectioris. *Existentia* enim simul tribuitur rationi motivæ, & hoc casu, quo moveat, ut existat, quod non existebat, attamen movere ut cognoscens habeat cognitionem juxta suam capacitatem. Unde si cognoscere sit ex propria perfectione determinatum ad modum perfectissimè cognoscendi, si moveatur ad habendam cognitionem, moveatur quidem ad habendam perfectissimam cognitionem non merito rationis motivæ, sed propriæ perfectionis. Nam per cognitionem minoris perfectionis satisfacere rationi motivæ, non verò intellectivitate cognoscens. Unusquisque enim ex intellectivis cognoscere debet juxta gradum suum. Igitur in nostro casu medium movens, & divina capacitas, quæ moveatur. Medium movens merito sui non exigit tam perfectam cognitionem termini. Divina autè capacitas, cum necessitas sit, vel non cognoscendi, vel cognoscendi perfectissimè, ultra merita mediis moventis taxat sibi perfectionem cognitionis perfectissimæ. Unde attempta præcisè ratione movendi, cognitio non esset intuitiva, & comprehensiva Dei in medio finito: conjuncta verò cū subjectiva necessitate cognoscens ad comprehensive cognoscendum, quidquid cognoscit, necessariò debet esse cognitio comprehensiva. Ratio enim movens non taxat perfectionem cognoscens, & cognitionis, sed præcisè movere, ut sit cognitio. Quod si ex alio titulo infinita debet esse, infinitudinem neque repellit, neque approbat sibi. Quamobrem licet creatura non exigat ratione sui cognitionem comprehensivam Dei, cum qua connectitur, intellectus divinus creaturam cognoscens eam exigit comprehensionem.

Objic.

376. **Obijc. 10.** Instando simul solutionem. Cognitio, qua Deus se cognoscit in creaturis, est comprehensiva ipsius Dei; ergo Deus se ita cognoscens eadem ipsa cognitione cognoscit iterum in se ipso sic cognito creaturas. Ergo & in ipsis creaturis sic cognitis iterum cognoscit se ipsum regressu infinites repetito, quod implicat. Et Confirm. eadem ipsa cognitio nequit idem ipsum obiectum attingere directè, & indirectè. ergo Cognitio, qua Deus se directè cognoscens, attingit creaturas, nequit esse cognitio, qua se in creaturis directè cognoscat. Resp. conc. ant. & neg. utramq; conf. Ratio est, quia aliud est explicare nos modum cognoscendi divinum, aliud est modus iste cognoscendi divinus. Si utrumque confunditur, modus divinus cognoscendi fingitur ad saporem nostris, quo nihil absurdum. Igitur nos explicamus imperfecta, quæ cognoscimus, facta circumloquutione vocum, & expressionum, quas etsi in infinitum repetamus nunquam satis explicabimus infinitatem Dei. At infinitas Dei sine ullo regressu, & circumloquutione cognoscens eodem indivisibili intuitu, eademque illa cognitione, qua se, & creaturas cognoscit in se ipso, se ipsum cognoscit in creaturis, & istas in se ipsis. Quod vocibus diversis solum est cognoscere Deum ratione sui, & ratione connexionis ad ipsum, & creaturas ratione Dei, & sui: id est, Deum, & creaturas ex duplici obiecto formali alias sufficienti, in quo nullum est absurdum. Ad Confirm. dist. ant. attingere directè, & indirectè unico intuitu jam explicato neg. per circumloquutionem vitiosam conc. ant. & neg. conseq. ut constar ex dictis. Exinde

377. **Fit. 1.** Obiectum purè terminativum, & solum extrinsecè specificativum cognitionis non debere esse tam perfectum ac cognitio, neque hanc ab eo sumere speciem. Ratio est, quia non est principium, neq; causa cognitionis, neq; illi dar esse, cum cognitio solum sumat esse à suis causis, vel Principiis: solum enim specificat extrinsecus, quatenus cognitio per suum modum tendendi distinguitur ab aliis cognitionibus non tendentibus ad tale obiectum, neq; specificatur ab illo in omnibus conceptibus, & perfectionibus, quas habet cognitio, sed solum in eo, quod sit cognitio talis obiecti. Unde cognitio divina lapidis non specificatur à lapide in ratione infinitæ, entis à se &c. sed solum in esse cognitionis lapidis,

per quod formaliter, aut virtualiter distinguitur à cognitione alterius obiecti.

**Fit 2.** Neque obiectum specificativum extrinsecum cognitionis ab isto physice causatæ debere esse tam perfectum, ac cognitio. Ratio est, quia, licet cognitio accipiat esse ab illo, non tamen ab illo solo, sed etiam ab intellectu, à quo potest accipere nobilitatem, quam non habet obiectum. v. g. Cognitio cognoscens albedinem ratione sui per species mixtas ab albedine, est perfectior albedine, etsi ab ista causetur; quia cum causata sit etiam ab intellectu, ab eo accipit perfectionem vitalitatis, & spiritualitatis, quam non habet albedo.

**Fit 3.** Cognitionem non posse esse perfectiorem obiecto ejus, si hoc sit adæquatum Principium. Ratio est, quia nullus terminus habet majorem perfectionem, quam suum adæquatum principium, cum totam suam perfectionem ab eo accipiat. Ea de causa cognitio non potest esse perfectior, quam obiectum sibi intrinsecum, à quo accipit esse per identitatem.

**Fit 4.** In sententia D. Thomæ duplex medium cognoscendi esse distinguendum: aliud, quod est pura representatio obiecti: & hoc est species, quam vocavit primum intellectum, quod respectu Dei est essentia divina. Secundum est ratio obiectiva, quæ movet ad cognoscendum aliud obiectum, & quæ redditur à cognoscente pro ratione cognoscendi aliud, quando unum cognoscit ratione essentialis connexionis, quam habet cum altero: & hoc respectu contingentium non potest esse sola essentia divina, cum hæc non connectatur metaphysicè cum contingentibus quæ talibus: Unde vel debet esse ipsum contingens, vel aliquid cum ipso ut tali essentialiter connexum.

**Fit 5.** Cognitionem divinam debere esse simpliciter infinitam realiter in omni linea. Unde si possibiles essent cognitiones contingentes, & defectibiles, quando existerent, haberent perfectionem realiter in omni linea, formaliter enim haberent perfectionem propriam suæ lineæ cognoscendo nimirum quidquid pro ipsarum signo cognoscibile est: Isecus autem, quando pro suo signo cognoscibile non est; quia illud ad illius perfectionis lineam non spectat: ad eum modum, quo linea Paternitatis non spectat ad lineam Filiationis. Sed de his latius in Tractatu de Voluntate.

## DISPUTATIO VII.

### DE MENTE D. THOMÆ CIRCA COGNITIONEM, QUAM DEUS HABET DE CREATURIS POSSIBILIBUS. *futura & contingenti*

379. **P**ervenimus jam ad graviores difficultates, ex quarum decisione tota scientiæ mediæ resolutio dependet. Præcipua in præsentem controversia stat maximè circa constitutivum futuri contingentis, pro cuius resolutione noto primò, futuritionem duplicem esse, aliam secundum quid, & aliam simpliciter talem: hanc divisionem

R. P. Gormaz Theolog. Tom. I.

approbant comunitè, & Philosophi, & Theologi ex D. Th. & Arist. futuritio secundum quid stat solum in dispositione præsentem creaturarum, ut cum in inspectis nubibus dispositis dicimus, pluvia est futura, quæ tamen postea potest non esse, quia nubes possunt impediri, ne pluant. Item cum videmus hominè cum proposito am-

bulandi, dicimus deambulationis est futura, quia tamen postea potest non esse, cum ille possit mutare propositum, aut à superiori causâ impediri, ne exeat in effectum deambulationis, eâ de causâ dicitur improprie & secundum quid futurum, id est non dicitur futurum, quia in se erit, sed quia apparet in causâ, ex qua videbatur futurum, aliud est, de quo nunc non verificatur, & aliquando verificabitur, quod est, & hoc est proprie & absolute futurum, quando autem non verificatur, quod est, sed quod foret, si causâ istâ ponerentur; tunc dicitur, non quidem absolute, sed conditionate futurum. Noto secundo futurationem aliam esse causalem, aliam formalem. Causalis perinde est ac causâ efficax, ex qua infallibiliter inferitur, rem esse futuram, formalis verò perinde est ac forma, seu quasi forma, à qua res denominatur futura. In presenti autem sermo est de futuratione propria & formali: futurationis enim est quoddam concretum ex subiecto denominato, & forma denominante illud futurum, ad eum modum, quo album est concretum constans ex subiecto denominato, & forma denominante nempe albedine. Investigemus autem, in quo consistat forma illa, à quâ objectum formaliter denominatur futurum, & quia Recentiores Thomistæ jactant sententiam suam circa futurationem contingentiâ à S. Th. esse traditam, nostram autem defendentium scientiam mediam esse à D. Thom. proscriptâ, ut videatur, quàm aperto Marte contra D. Th. illi pugnent, quantumque nos vestigiis D. Thom. inhaeremus, disputationem hanc præmittimus.

### SECTIO I.

*In quo consistat Futuritas contingens  
juxta Mentem D. Thomæ.*

380. **P**rima sententia est Recentiorum Thomistarum asserentium, non solum esse carentiam existentiam nunc, & existentiam postea, sed formaliter includere aliquam determinationem præsentem hic & nunc existentem essentialiter connexâ cum existentia rei postea, quæ determinatio tamdiu est præsens, quamdiu est verum dicere rem esse futuram, si autem ab eis quæras, quid sit determinatio illa formalis de presenti existens, respondent respectu futuri absoluti esse decretum Dei subjective & objective absolute, & efficax volens rei futurationem, respectu verò futuri conditionati esse decretum Dei subjective absolute, & objective conditionatum, quod nimirum absolute existit in Deo, attingens objectum sub conditione nimirum quod Tyrri penitentiam egissent, si apud illos Christus fecisset miracula. Ita Mag. Vives disp. 7. 10. & seq. Secunda sententia extreme opposita tenet futurum absolute stare formaliter in carentia rei pro nunc, scilicet pro instanti, pro quo dicitur futura, & in existentia pro

postea, scilicet pro tempore sequenti, ita ut sit totum successivum ex carentia existentiam priori, & existentiam posteriori. Unde ait Decretum Dei ex qualibet determinatione causarum, nec constituere formaliter, nec requiri ad futurum, sed si quando datur tale decretum, aut dispositio causarum, solum præcedere futurum tanquam causam, & radicem ipsius futuri, sicut quamvis detur decretum de existentia Petri, in hoc instanti, aut de eo, quod Petrus sit albus, non tamen ideo constituitur Petrus formaliter præsens, nec formaliter albus per tale decretum, sed hoc solum est causâ & radix existentiam, aut dealbarionis Petri. Ita D. D. Societ. constantes in rejiciendo determinatione illâ de presenti ad futurum liberum, quos citat Ruiz de scientia media.

381. **A**ssero 1. Juxta D. Thom. Aliqua futurationis rerum consistit in ordine causarum, dispositione, aut præparatione earum ad rem producendam, hanc conclusionem expresse tradidit S. Thom. pluribus in locis præcipue *quest. 12. de Verit. art. 7. ad 7.* dicens: *Aliquid potest dici esse futurum, non solum ex hoc, quod ita erit, sed quia ita est ordinatum in causis suis, ut sic sit futurum.* Et *quest. 2. de Verit. art. 12. ad 7.* cum dicitur: *hoc est futurum, vel fuit futurum, designatur ordo, qui est in causis ad illius rei productionem, quamvis autem causæ, quæ sunt ordinatæ ad aliquem effectum, possunt impediri, quod non sequatur effectus, tamen non potest impediri, quod fuerint aliquando ad hoc ordinatæ, unde licet quod est futurum, possit non esse futurum, nunquam potest tamen non fuisse futurum, ergo &c.* vide 786. Conf. ex ipso D. Thom. *quest. 12. de Verit. art. 10.* in corpore. *Cum ergo sit Prophetica revelatio de ordine causarum, dicitur Prophetia comminationis, tunc enim nihil aliud Prophetia revelatur, nisi quod secundum ea, quæ nunc sunt, talis ad hoc vel illud est ordinatus, ergo aliqua futurationis rerum consistit ex D. Th. in ordine, seu dispositione causarum.*

382. **A**ssero 2. Futuritas, quæ consistit in tali ordine causarum, juxta S. Th. non est simpliciter futuritas, Prob. facile, nam ut ait D. Thom. futuritas seu ordo causarum potest impediri, ne sequatur effectus, ergo ex vi illius ordinis, seu futurationis non est effectus infallibilis, seu simpliciter futurus, Conf. 1. ex ipso D. Thom. *quest. 2. de Verit. art. 12. ad 9.* dicente: *Quamvis contingens, dum est futurum, non habet esse, tamen ex quo est præsens, esse habet, & veritatem, & sic divine visioni substat. Quamvis etiam Deus cognoscat ordinem unius ad aliud, & sic cognoscat aliquid esse futurum respectu alterius, sed sic non est inconveniens, quod ponatur, quod Deus scit aliquid futurum esse, quod non erit, in quantum scilicet scit aliquas causas ad aliquem effectum inclinatæ, qui non producantur.* Sic enim non loquimur de cognitione futuri, prout scilicet à Deo in suis causis videretur, sed in quantum cognoscitur in se ipso, sic enim

nim cognoscitur ut praesens. Conf. 2. ex 2. 2. *quest. 174. art. 1. in corpore.* Ubi sic: *futurum est in divina cognitione dupliciter, uno modo, prout est in sua causa, & sic accipitur Prophecia comminationis, quae non simpliciter impletur, sed praenuntiatur per eam ordo causae ad effectum, qui quandoq. aliis supervenientibus impeditur; ergo per D. Thom. rem esse futuram in causis non est simpliciter esse futuram, cum impediri possit, ne unquam exillat.*

383. Probat. 2. Ratione. Illud est futuritio simpliciter, à quo res tanquam à forma denominante redditur verè & simpliciter futura, sed ab ordine causarum res non redditur futura verè & simpliciter; ergo &c. Prob. min. ab illo res futura tanquam à forma denominante habet esse verè & simpliciter futurum, à quo habet, quod verè & simpliciter sit exitura, vel à quo habet verè & infallibiliter, quod aliquando exillat, & producet. Sed à dispositione causarum, non habet futurum contingens, quod aliquando sit exiturum, vel quod aliquando existet, & producet, ut ex n. superiori; ergo &c. Confirm. de omni illo, de quo est verum dicere, quod est futurum, simpliciter est verum dicere, quod aliquando erit, haec enim synonyma sunt. Sic Aristot. lib. 1. de Interpr. c. 6. *Si est album nunc, verum erit dicere prius, quod erit album, quare semper fuit verum dicere, quodlibet eorum, quae facta sunt, quae d' est vel erit.* Citari etiam solet Aristoteles lib. 2. de Gener. c. 11. text. 64. dicens: *Nam de quo est verum dicere, quid esset, oportet esse quandoq. verum dicere, quia est.* At in nova versione textus ille non invenitur, neque continet diversam doctrinam ab ea, quam Aristoteles habet in text. supra adducto, sed de pluribus verum est dicere, quod sunt futura futuritione consistente in ordine causarum, de quibus non est verum dicere, quod erunt, ut constat ex testimoniis adductis; ergo &c.

384. Prob. 3. ex Aug. lib. 26. contra Faustum, c. 4. dicente: *Tam non possunt futura non fieri, quam non fuisse facta praeterita, quia non est in Dei voluntate, ut inde sit aliquid falsum, quod verum est, quod ea, quae verè futura sunt, sine dubio fient, si autem facta non fuerint, futura non erunt.* Atqui res, quae futura est futuritione existente in tali ordine causarum, potest non fieri, & fortè non fiet, ergo ab illo ordine non redditur verè & simpliciter futura. Confirm. ex locis D. Thom. supra adductis, futura contingencia taliter sunt futura à dispositione causarum, ut possint non produci à parte rei, & impediri, sed quod ita potest non poni, & impediri, non est propriè, & simpliciter futurum; ergo &c.

385. Affero 3. Nulla est futuritio formalis liberorum contingencium, quae juxta D. Thom. consistat in decreto Dei efficaci infallibili determinatè & per se de praesenti requisito, ut existat res postea. P. 1. Nullum afferri potest testimonium, quo expressè asseruerit D. Thom. stare de praesenti infallibilem determinationem, à qua ha-

beat futurum, quasi à priori, ut existat postea, deinde nec testimonium, in quo id implicite asseruerit, ergo &c. Prob. ant. Si aliquando implicite id asseruerit, maxime, ut ostendunt Thomista, quando asseruit futuritionem consistere in ordine, dispositione, seu praeparatione causarum, sed tunc non: ergo nunquam. Probat. min. quia D. Th. in dispositione, ordinatione, praeparatione causarum contingencium, ad producendum suos effectus nullam agnoscit, imò potius negat infallibilem determinationem de praesenti existentem ad producendum suos effectus postea, vel ut ipsi postea existant: ergo dum asseruit futuritionem stare in dispositione causarum, non asserit implicite determinationem infallibilem ad existentiam futurorum postea. Prob. ant. ex plur. locis D. Th. ubi asserit futura contingencia non posse cognosci in causis suis, quia in illis non habent determinationem, ut existant, sicuti in causis necessariis, ut constat ex 1. Part. *quest. 14. art. 13. in corpore,* ubi ait: *alio modo potest considerari contingens, ut est in sua causa, & sic consideratur ut futurum, & ut contingens, nondum determinatum ad unum, quia causa contingens se habet ad opposita, & sic contingens non subditur per certitudinem alicui cognitioni. Unde quicumq. cognoscit effectum contingentem in sua causa tantum, non habet de eo nisi conjecturalem cognitionem, Deus autem cognoscit omnia contingencia non solum, prout sunt in suis causis, sed etiam prout unumquodq. eorum est actu in se ipso, quod idem habet in primum sententiarum dist. 28. art. 5. in corpore *quest. 2. de Ver. art. 12. 1. contra gentes c. 67. tract. de Praedest. ergo &c.**

386. Prob. 2. Causae contingentes respectu effectus liberi per se requisitae non includunt ullum efficac Dei decretum, seu infallibiliter connexum cū altero libertatis extremo, sed solum includunt principia compossibilia cum utroque libertatis extremo, ergo futurum contingens non habet in ordine causarum infallibilem determinationem. Prob. ant. Verificato Dei decreto efficaci, & infallibili est infallibile, quod erit res, sed verificato ordine causarum non est infallibile, ut loquitur D. Thom. quod erit res; ergo &c. Min. constat ex n. superior. & 381. nam ut ibi diximus *quest. 2. de Verit. art. 12. ad 2. ait: Cùm dicitur: hoc est futurum, vel fuit futurum, designatur Ordo causarum, seu qui est in causis ad productionem ejus, quamvis autem causa, quae sunt ordinata ad aliquem effectum, possint impediri, quod non sequatur effectus. Quod etiam habetur ibid. ad 9. ut ex n. 382. & quest. 12. art. 10. ad 7. dicendum, quod aliquid potest dici esse futurum non solum ex hoc, quod ita erit, sed quod ita est ordinatum in causis, ut sic sit futurum: Si enim medicus dicit iste sanabitur, iste morietur, & si aliter contingat, non falsum dixit: Sic enim tunc futurum erat ex ordine causarum, quod tamen possibile est impediri, & tunc, quod prius futurum fuerat, consequenter non erit futurum. Unde h' filoso-*

phus dicit in 2. de Gener. quod futurus quis incedere non incedet; & ibidem, art. 11. ad 2. dicendum, quod Prophetia comminationis omnino habet immobilem veritatem, non est enim de eventibus rerum, sed de ordine causarum ad eventus, ut dictum est, & hunc ordinem, quem Propheta dicit, necesse est, ut effectus quandoque non sequatur; ergo &c.

387. Resp. Thomistæ posse esse aliquid futurum, vel in ordine solum causarum secundarum dispostitarum ad rei productionem, vel in ordine earum involvendo decretum prædeterminativum. Ex ordine ergo causarum secundarum non involvente tale decretum divinum concurrendi cum illis non dici aliquid futurum simpliciter, bene verò ex ordine involvente prædictum decretum. Non expendo modò, an rectè distinguatur duplex iste ordo, alius involvens decretum efficax, & alius non involvens, neque an decretum concurrendi cum creaturis sit efficax & prædeterminativum, quod solum in causis liberis falsum esse postea videbimus, sed solum contendo S. Thom. nunquam fuisse locutum de ordine causarum involvente tale decretum efficax, & atque adeò non tradidisse futuritionem simpliciter consistentem in decreto efficaci.

388. Confirm. 1. Ordo ille, de quo loquitur D. Thom. potest existere, quin eventus sequatur pro tempore futuro, ut constat ex hucusque dictis testimoniis, & quidem innumera possent adduci, in quibus ait, & futuritionem consistere in ordine causarum, & istum ordinem posse existere, quin eventus sequatur, contra verò nullum testimonium adducitur à Thomistis, nec invenitur in D. Thom. ubi dicat, aut insinuet eum ordinem verificari non posse, quin eventus sequatur pro tempore futuro, quandoquidem nequit existere ullum Dei decretum efficax, quin pro tempore futuro sequatur eventus volitus, ergo quoties S. Thom. asseruit futuritionem consistere in ordine, loquitur est de eo ordine nullum involvente decretum efficax, ac proinde nihil implicite docuit futuritionem infallibilem consistere in decreto efficaci.

389. Confirm. 2. Si aliquis ordo causarum esset involvens decretum efficax, antequam futurum contingens liberum existeret pro suo tempore, jam haberet determinativum in causis, & veritatem determinatam futuri infallibilis, sed juxta D. Thom. tale futurum, antequam pro suo tempore existat, nullam habet determinationem in causis, neque determinatam veritatem futuri, ergo &c. Consequentia tenet, & major est expressa Thomistarum: min. verò patet ex præmissis D. Thomæ testimoniis, tum ex q. 6. de Verit. quæ est de prædest. art. 3. in corp. Si ergo consideremus salutem respectu causa proxima, id est liberi arbitrii, non habet certitudinem, sed contingentiam. Tum in 1. dist. 38. q. prima. art. 1. in corpore. ad 2. ubi ait: Contingens non est determinatè verum, antequam fiat, quia non habet causam determinatam, dum est in actu,

est determinatè verum, Et ibid. ad 3. ait. Futurum contingens relativum ad Dei cognitionem est necessarium, quia ad ipsum non fertur, nisi secundum quod est in se actuale, & ibid. ad 6. de scientia Dei ait. Non respicere rem contingentem nisi ut est in suo actuale esse præsentialiter considerato. Et quæst. 2. de Verit. art. 12. ad 1. ubi sic ait: Licet contingens non sit determinatum, quamdiu futurum est, tamen ex quo producet, est in rerum natura, & determinatam veritatem habet, & hoc modo super illud fertur intuitus divine cognitionis, & repetit ad 2. & ad 9. ex quibus omnibus manifestè patet S. Thom. nullam aliam cognoscere determinationem, ut futurum postea sit, & existat, nisi eam, quam habebit ex ipsa existentia postea, eo enim ipso, quòd postea existat, producat, & sit præfens, necessarium est necessitate consequente, quòd existat, & hoc modo terminare potest scientiam infallibilem, juxta D. Thom.

390. Conf. 3. Si aliquis ordo causarum contingentium involveret aliquod decretum efficax de existentia postea effectus extrinseci, in tali ordinatione determinationem haberet effectus ad existendum postea, & vera esset scientia Dei cognoscens effectum determinatum in suis causis. Sed ex D. Thom. falsa est Dei scientia, si cognosceret effectum esse determinatum in suis causis, quia in illis nullam habet determinationem; ergo &c. Min. patet, ex n. 240. tum etiam ex dist. 2. in 1. q. 1. art. 5. ad 4. ubi docet certitudinem divine scientiæ non ex antecedenti aliquo ad effectum, sed ex ipso effectu in se præsentialiter cognito, quæ est necessitas consequens libertatem: Sic enim habet. Unde alii dicunt hoc antecedens esse necessarium, nec tamen consequens esse necessarium, quia illa maxima intelligitur, tantum in illis conditionalibus, in quibus antecedens est causa proxima contingentis, sed hoc etiam non plane solvit; quia Regula illa non probatur à Philosopho ratione causalitatis, sed ratione consequentiæ, secundum quæ ex necessario sequitur necessarium, sive sit causa, sive effectus, & ideo Universaliter dicendum est, quod antecedens est necessarium absolute tum ex immobilitate actus, cum in ordine ad actum, quia ista res non potuit subjacere scientiæ divine, nisi dum est actu secundum quam determinationem, & certitudinem habet: ipsum enim necesse est esse, dum est & ideo similis necessitas inferenda est in consequente, ut supra accipiat ipsum, quod est, Socratem currere secundum quod est in actu, & sic determinationem, & necessitatem habet, unde patet, quòd si dicatur Socratem currere, secundum quod ex antecedente sequitur, necessitatem habet, non enim sequitur ex antecedente, nisi secundum quod subsistat divine scientiæ, cui subicitur, pro ut consideratur præsentialiter in suo esse actuale. Unde etiam sic sumendum est consequens, quomodo patet, quod consequens necessarium sit, necesse enim est Socratem currere, dum currit, quod etiam ibidem habet ad tertium dicens: Unde bona est distinctio, quod est necessarium necessitate

tate consequentia, & non consequentis, vel necessitate conditionata non absoluta; ergo &c.

391. Confirm. ex ipso D. Thom. ibid. ad secundum dicendum, quod ista propositio: Omne scitum a Deo necesse est esse, duplex est, eo quod potest esse de dicto, vel de re: & si sit de dicto, vera est, at si sit de re, falsa est, & similiter conclusio duplex est, & hujus distinctionis ratio est, quia potest istud sumi secundum conditionem, qua subjacet divina scientia, & hoc est secundum quod habet esse determinatum in actu, & sic necessitatem habet, vel potest ista res sumi sine aliqua conditione, & sic non est necessaria, quia potest sic considerari, ut est in causis suis, antequam sit in actu, & ibi non habet necessitatem, nec ibi est scitum a Deo futura esse, non enim scit Deus effectum contingenti esse determinatum in sua causa, quia esset falsa scientia, cum in causa sua determinatum non sit. Ad 6. dicendum, quod quamvis ille respectus ad rem sit inseparabilis, secundum quod attingit eam, non tamen attingit eam nisi prout in esse actuali, seu presentialem considerata, & ideo potest fieri distinctio secundum quod res illa consideratur, ut cadens sub respectu illo, vel ut non cadens e. g. Socratis ensus subjacet certitudini divine scientie, prout est in actu, & hoc non habuit semper, quia quandoque erat in potentia tantum, & secundum quod sic tantum erat, non erat subiectibilis divine scientie. Si enim Deus vidisset ipsam causam & Socratem & non vidisset immediatè effectum in esse suo, sicut nos futura cognoscimus, nunquam potuisset istud scire, & ideo patet, quod distinctio illa, scilicet quod potest esse vel de re, vel de dicto bona est. Ad 7. dicendum quod Deus non tantum cognoscit ea, que sunt nobis presentia, sed que sunt nobis preterita, & futura, supra que tamen omnia intuitus divinus cadit, secundum quod suis temporibus presentia sunt. Unde non sequitur, quod aliquam rem Deus quandoque sciat, quam aliquando nescivit.

392. Confirm. 4. S. Thom. ex testimoniis adductis distinguit causas necessarias à contingentibus, & ait in causis necessariis habere determinationem effectus, ut postea existant à Deo, & denominativè possint illa cognosci. In causis verò liberis, ait nullam habere determinationem, vel ergo loquitur D. Th. de his causis, prout includunt decretum divinum, vel non. Si i. omnes ergo contingentes causæ, etiam prout includunt decretum divinum, nullam involvunt determinationem. Si secundum, fallum assereret D. Thom. quia neque in causis necessariis prout non involvunt decretum divinum involvitur ulla infallibilis determinatio, ut patet in igne Babylonico, ergo solum de primis loquitur D. Thom. adeoque non cognoscit in causis contingentibus simul cum decreto Dei necessario ullam determinationem. Confirm. ex dist. 38. ad primum art. 7. in corpore. ubi hæc habet: Sciendum est ergo, quod antequam res sit, non habeat esse nisi in causis suis, sed causæ quedam sunt, ex quibus necessario sequitur effectus, que impe-

diri non possunt, & in ipsis causis habet causatum esse verum, & determinatum ab eo, quod potest ibi demonstrante scire: Quedam autem sunt causæ, ex quibus consequuntur effectus, ut in majori parte, sed tamen deficiunt in minori. Unde in istis causis effectus futuri non habent certitudinem absolutam: sed quandam, in quantum sunt causæ magis determinatæ ad unum, quam ad aliud, & ideo per istas causas potest accipi scientia conjecturalis de futuris, que tanto magis erit certa, quanto causæ sunt magis determinatæ ad unum, ut est cognitio medici de sanitate, & morte futura, & iudicium Astrologi de ventis &c. & quedam causæ sunt, que se habent ad utrumque, & in istis causis effectus de futuro nullam habent certitudinem, vel determinationem, & ideo contingentia ad utrumlibet in causis suis nullo modo cognosci possunt, sed quando jam efficiuntur in rerum natura, tunc habent in se ipsis esse determinatum, & ideo quando sunt in actu, certitudinaliter cognoscuntur, ut patet in eo, qui videt Socratem currere, quia Socratem currere, dñi currit, necessarium est, & certam cognitionem habere potest. Dico igitur quod intellectus divinus intrinetur ab aeterno unumquodque contingentium non solum prout est in causis suis, sed prout est in suo determinato esse; ergo &c.

Confirm. 5. ex D. Th. quest. 2. de Ver. art. 393.

1. in Corp. ubi postquam asseruit in qualibet ordinatione ad finem duo considerari posse, nempe ordinem & exitum, vel eventum ordinis, seu finis consequutionem, distinguit insuper in eo prædestinationem à providentia, quod providentia tantum respicit ordinem ad finem, at verò prædestinatio respicit & exitum, vel eventum ordinis, quod est dicere per dictam providentiam solum prædestinari ordinem causarum contingentium ad suos effectus, non verò effectus ipsos in se. Unde quando causæ sunt contingentes, ex divina providentia non oriuntur, nisi contingenter, & sic in ea non habet certitudinè prædefinitionis, sed solum præscientiæ, quia scilicet Deus novit effectus procedere, vel non procedere ab illis causis contingentibus, esse in se ipsis cognoscendo, unde consequenter ad hæc 1. Part. quest. 25. art. 1. in corp. ait: Advertendum est, quod numerus Prædestinatorum certus Deo dicatur, non solum ratione cognitionis, que scilicet scit, quot sint salvandi, (sic enim Deo certus est etiam numerus guttarum pluvie, & Arenæ maris,) sed ratione electionis & definitionis cujusdam. Et infra: Unde certus est Deo numerus Prædestinatorum non solum per modum cognitionis, sed etiam per modum cujusdam principalis prædefinitionis.

394. Ecce in his verbis distinguit D. Thom. certitudinem, quam habet Deus de numero Prædestinatorum à certitudine, quam habet de guttis pluvie & Arenæ maris: nam horum numerus solum est certus certitudine cognitionis scientiæ infallibilis, ille verò est certus certitudine prædefinitionis, ergo circa eorum numerum non habet prædefinitionem, sive decretum efficax de eorum

eorum existentia; quia scilicet effectus causarum contingentium, quos Deus prædefinit in causis, non est certus certitudine ordinis, sed solum certitudine præscientiæ effectus in se ipso, cum, ut ibid. ait: *Licet Deus sciat numerum horum individuorum, non tamen numerus Bonum, vel culicum, vel aliorum huiusmodi est per se præordinatus à Deo.* Unde Cajet. super hæc verba fatetur, quod numerus individuorum corruptibilium extra spheram humanam est Deo certus non prædefinitivè, sed cognoscitivè, ex quibus omnibus manifestè colligitur, quod intendimus, nimirum non dari decretum efficax Dei decernens existentiam effectuum contingentium, non solum earum causarum, quæ voluntariæ sunt, sed etiam naturalium, quales sunt omnes, quæ possunt m-  
pediri.

395. Affero 4. Futuricio contingentium propriè & simpliciter juxta D. Thom. stat non in ordine causarum, sed in carentia existentiae nunc, & existentia postea, sive in eo, quod res nunc non sit, postea sit. Preb. 1. ex q. 12. de Verit. art. 10. ad 7. ubi juxta numerum 381. dicit D. Thom. *aliquid potest dici esse futurum non solum ex hoc, quod ita erit, sed quod ita est ordinatum in causis suis, ut sic sit futurum,* in quibus verbis duplicem procul dubio proponit futuritionem, sive rationem, unde aliquid potest dici futurum, altera quidem est, quia ita erit, & altera, quia ita est ordinatum in causis: sed futuricio, quæ est in ordine causarum, utpote consequenter potens non esse futuricio, ex D. Thom. cit. 386. est impropria, est secundum quid futuricio ex dictis n. 182. illa verò, quæ defumitur ab eo, quod erit, est futuricio absolute, & simpliciter; ergo juxta D. Thom. ista est futuricio simpliciter. Confirm. ex D. Thom. cit. n. 386. futurum in dispositione causarum potest non esse futurum, ita, ut non sit aliquid inconueniens, quod Deus sciat aliquid futurum in causa, quod futurum nõ erit: atqui futuricio, qua aliquid ita est futurum, ut possit non esse futurum, & postea revera non esse, non est propriè, & simpliciter futuricio.

396. Probat 2. ex ipso D. Thom. 1. contra gentes. c. 67. *Contingens enim cum futurum est, potest non esse, & sic cognitio existimantis ipsum futurum esse, falli potest, fallitur enim, si non erit, quod futurum esse existimavit,* ex quibus verbis sic argumentum formatur, si aliquis existimat aliquid esse futurum, quod postea non erit, fallitur; sed non potest falli, quia ex eo, quod nõ erit, non est futurum, quod futurum esse existimavit, ergo ex mente D. Thom. quod postea non erit, non est simpliciter, & absolute futurum. Rursus in aliis locis n. 386. ait D. Thom. quod non fallitur medicus prædicens mortem futuram, quamvis postea non sequatur mors, & quod Propheria comminationis non sit falsa, licet non sequatur eventus, & n. 381. ait, quod Deus scit futurum aliquod, quod postea non erit, cum tamen cognitio Dei falsa non sit, ergo

ne contradictio in D. Th. admittatur, dicendum dupliciter aliquid posse existimari, aut dici futurum, uno modo improprie, & secundum quid, & hoc modo verè dicitur futurum, quamvis postea non sit, quia solum dicitur futurum, quantum est ex vi causarum, alio modo dicitur propriè, & simpliciter, & hoc modo non verè dicitur futurum, nisi quod postea erit, ergo propria futuricio juxta mentem D. Thom. stat propriè in eo, quod res postea sit, & nunc non sit.

Confirm. ex D. Thom. in 1. Sent. dist. 46. quest. 3. art. 1. in corp. ubi loquens de præscientia futurorum ait: *Præscientia autem non imponit necessitatem rebus, nec in quantum est causa, cum sit causa prima, cuius conditionem effectus non habet, sed cause proxima, nec ratione adæquationis ad rem sciam, que ad veritatis rationem & scientia certitudinis exigitur; quia adæquatio ista attenditur in scientia Dei ad rem non secundum quod est in causis suis, in quibus est ut possibile, futurum tamen, sed ad ipsam rem, secundum quod habet esse determinatum, prout est present, & non futurum, & hoc supra expositum est dist. 28. q. 1. art. 1.* Quibus in verbis confirmat S. Thom. quæ huc usque diximus, ait certitudini divinæ scientiæ futurorum non sufficere futuritionem consistentem in causis, quia in causis solum est possibile futurum, id est possibile, quod postea existat, non verò determinatè futurum, unde quod in causis est futurum, sicut possibile est, quod sit futurum, ita potest non esse futurum, ut supra ajebar D. Thom. n. 386. at ex suppositione, quod postea existat, & sit præsens in eo instanti futuro, nunc, quando non existit, est jam simpliciter, & determinatè futurum, & nunc quando non existit, potest Deus certè & infallibiliter cognoscere esse futurum respectu temporis, in quo non existit, & præsens pro tempore, in quo existit, ergo futuricio simpliciter & absolute talis ex mente D. Thom. stat in eo, quod res nunc non sit, & postea sit.

Probat 3. Scientia divina ex D. Thom. cit. n. 391. non respicit rem contingentem nisi in suo esse actuali præsentialiter, prout habet in 1. dist. 38. quest. 1. art. 1. ad 6. & in corp. ad seq. & quest. 2. de Ver. art. 12. ad primum: ubi ait: *Licet contingens non sit determinatum, quamdiu futurum est, tamen ex quo productum est in rerum natura, veritatem determinatam habet, & hoc modo super illud fertur intuitus divina cognitionis, cum ex 1. Part. q. 14. art. 13. in corp. ubi ait: Quicumque cognoscit effectum contingentem in sua causa tantum, non habet de eo nisi conjecturalem cognitionem, Deus autem cognoscit omnia contingentia, non solum prout sunt in suis causis, sed prout unumquodque eorum est actu in se ipso.* Et infra: *Unde manifestum est, quod contingentia, & infallibiliter à DEO cognoscuntur, in quantum subiciuntur divino conspectui secundum scientiam presentialem, & tamen sunt futura contingentia compa-*  
rata

rata suis causis, ex quibus omnibus testimoniis patet juxta D. Thom. objectum divinæ scientiæ infallibilis verificativū cognoscentis futura esse ipsam existentiam, quam unumquodque habet pro sua differentia temporis, ergo futuritio absolute, & simpliciter juxta D. Thom. stat in eo, quod res modò non sit, & postea sit. Reliquas igitur quæstionis hujus rationes à priori dabimus, postquam dissolverimus argumenta adversariorum ab Auctoritate petita.

## S E C T I O II.

## Solvuntur opposita.

399. **O**bj. 1. contra 3. primas Conclusiones & 1. ex Arist. lib. 1. Periherm. c. 6. postquam statuit propositiones de præsentibus, & de præterito esse determinatè veras, vel falsas, subiungit. In singularibus verò & futuris non ita similiter, & ad capitis finem sic habet. *Quare manifestum est, quod non est necesse omnis affirmationis, & negationis oppositorum, hanc quidem veram, illam autem falsam esse, ex quibus formatur argumentum.* Propositiones de futuro contingenti non habent determinatam veritatem, ergo non possunt futura contingentià à Deo cognosci independentèr à decreto prædeterminante. Resp. concess. testim. Aristotelis dist. ant. non habent determinatam veritatem antecedentem, & in causa conc. subsequentem, & in effectu, qui erit, vel non erit neg. antecedens & consequ. neque Aristoteles aliud intendit, cujus mens clarior est, quàm ut explicacione indigeat, si artentè legatur, docet enim ibi causas ad utrumque posse componi, vel cum fieri, vel cum non fieri: ait enim: *Videmus enim esse futurum principium, & ab eo, quod consultabamus, atque aliquid agimus, & quod est omnino in his, que non semper actu sunt, possibile esse, & non esse similiter, in quibus utrumque continet, & esse & non esse similiter, quare & fieri, & non fieri.*

400. Unde ait: Ex propositionibus contradictoriis de futuris contingentibus in sua causa, necesse est, ut altera indeterminatè sit vera, & altera falsa, secus autem determinatè, cum valeat hæc consequentia: causa potest producere effectum, vel non producere: ergo vel producet, vel non producet. Sic enim ait: *Dico autem necesse est cras futurum esse bellum navale, vel non futurum esse, non tamen fieri bellum navale cras necesse est, quare cum similiter orationes vere sint, quemadmodum & res, manifestum est, quod quacunquē sic se habent, ut sit utrumlibet contingens, & contraria suscipiant, necesse est similiter se habere, & contradictionem.* De cognitione verò futurorum in se ipsis, sive consequenti, nec verbum ibi Aristoteles habet. Unde perperam ex hoc textu contra nos insurgere possunt Adversarii, quin imò ex illo Confirm. nostra assertio, in qua diximus futura in causis contingentibus non esse simpliciter, & absolute, sed solum secundum quid.

401. **O**bj. 2. Si propositio de futuro contingenti

est determinatè vera per conformitatem cum suo objecto, eo ipso verum est dicere de futuro, quod erit, & non poterit hoc non esse: sed quod non potest non esse, idem est ac quod est impossibile non esse, quod verò est impossibile non esse, idem est cum eo, quod necesse est, ergo sequeretur, quod ea, quæ ita futura sunt, necessariò sint non minus quàm ea, quæ determinatam habent veritatem in causis. Resp. dist. maj. non poterit hoc non esse necessitate antecedenti, neg. consequenti, & ex suppositione, quod res sit exitura conc. maj. & dist. min. neg. consequ. quia determinatio, quam res habet in causis, est necessitas absoluta juxta D. Thom. asserentem necessitatem absolutam esse, quæ provenit à causis prioribus, & constat ex dictis, & habetur etiam n. 410. at necessitas, quam habet res existendi, eò quod existat, est solum necessitas ex suppositione, ut ait D. Thom. n. 390. & quæst. 2. de Ver. art. 12. ubi quærit, num Deus singularia futura contingentià cognoscat: & ad primum ait: *quod licet contingens non sit determinatum, quamdiu futurum est, tamen ex quo productum est in rerum natura, veritatem determinatam habet, & hoc modo super illud fertur intuitus divine cognitionis, ex quo patet eodem modo, ac Philolophum loqui in præsentibus D. Thom.*

Objic. 3. ex D. Thom. quæst. 16. art. 7. ad 3. ubi ait: *Illud quod nunc est, ex eo futurum fuit, antequam esset, quia in causa sua erat, ut fieret, unde sublata causa non esset futurum illud fieri, solum autem causa prima est æterna, unde ex eo non sequitur, quod ea, quæ sunt, semper fueris verum ea esse futura, nisi quatenus in causa æterna fuit, ut essent futura, quod quidem solus Deus est: unde sic quæ sunt futura, eatenus verè semper fuerunt futura, quatenus in causa sempiterna fuit, ut essent futura: ergo ea esse futura nihil aliud est, quàm in causa sempiterna fuisse, ut essent futura, ergo sempiterna eorum futuritio in ea solum dispositione, seu præparatione sempiternæ causæ consistit, sed hæc dispositio, & præparatio nihil potest esse aliud quàm decretum prædeterminativum, vel determinatio ad existendum postea, ergo &c. Prob. min. quia nisi esset determinatio ad existendum postea, non posset dici, quod eatenus fuerit futurum, quia in causa sempiterna fuit, ut esset futurum.*

Resp. Conc. Testimonio D. Th. dist. ant. eatenus semper fuerunt futura futuritione intrinsecâ, & per alienationem neg., futuritione extrinsecâ, & per statum, Conc. antecedens, & eodem modo conf. deducta cum prob. subsumpta. Explico solutionem. Duplex est futuritio, alia intrinsecâ, & per alienationem, quæ consistit in eo, quod res nunc non existat, & existat postea: Illud enim ens, quod modo non est, & postea erit, non est per statum, sed per alienationem ex dictis n. 310. Futuritio verò extrinsecâ stat in scientia divina habita ex eo, quod res postea sit, quæ dicitur futuritio consequens, hæc autem per statum est ab æterno, cum ea, quæ

quæ in Deo sunt, ab æterno per statum sunt, ut certum est, & docet D. Thom. *quæst. 6. de Ver. art. 4. ad 8.* dicens, *sed prædestinatio & præscientia & huiusmodi actus sunt intrinseci, in quibus non potest esse variatio sine mutatione Dei, & ideo nihil quod ad variationem horum actuum pertineat, concedi debet. Quamobrem ad 5. ait: æternitatem autem, ut sit sine principio, & sine fine, sive durans in medio, habet prædicta necessitas ex divina scientia, qua est æterna, non ex causa proxima, qua est temporalis, & mutabilis.*

404. Quod autem hæc sit mens D. Thom. ex eo patet argumento, quod sibi objicit in hunc modum, id, quod est verum in presenti, semper fuit verum esse futurum, sed sicut veritas de presenti est veritas creata, ita veritas propositionis de futuro, ergo aliqua veritas creata est æterna. Ad quod Resp. dicendum nullam aliam veritatem esse æternam nisi veritatem divini intellectus, & futurum ab æterno non habere veritatem intrinsecam propriam rei futuræ, sed veritatem extrinsecam divine scientiæ, in qua verum erat rem esse futuram. Unde sublato divino intellectu ab æterno nulla esset veritas æterna, sed quia solus divinus intellectus est æternus, in ipso solo veritas æternitatem habet. Idem colligitur ex *quæst. 1. de Verit. ad 5.* ubi eandem quæstionem versans ait: *Ad undecimum dicendum, quod quavis ratio veritatis compleatur in intellectu, non tamen ratio rei completur in intellectu. Unde quavis concedatur simpliciter, quod veritas rerum omnium fuit ab æterno per hoc, quod fuit in intellectu divino, non tamen potest concedi simpliciter, quod res verè fuerunt ab æterno per hoc, quod fuerint in intellectu divino.*

405. Objic. 4. Quando D. Thom. ait: in causis non posse cognosci futurum certitudinaliter postea futurum, loquitur de causis secundis, & earum ordine, non autem de causa prima, & ejus ordine, ergo licet futurum simpliciter tale non sit, quod est ordinatum in causis secundis, erit tamen quod est prædeterminatum in causa prima, ut postea futurum sit. Probat. ant. ex *q. 12. de Veritat. art. 10. ad 12.* ubi ait: *Ad 12. dicendum, quod a causis superiores, que sunt rerum rationes in divina præscientia, nunquam deficiunt ab impletione suorum effectuum, sicut deficiunt causa inferiores, & ideo in causis superioribus cognoscuntur rerum eventus absolute, sed in inferioribus non nisi sub conditione. Modò sic: his verbis distinguit D. Thom. Causas creatas à causa prima, & in dispositione causæ creatæ, ait non posse eventum cognosci absolute, sed sub conditione, nempe quod talis dispositio remaneat. Sic in responsione ad undecimum: Dicendum, quod a Prophetia illa fuit secundum comminationem, & quavis non esset conditio explicitè posita, est tamen in illa denuntiatio sub implicita conditione intelligenda, & tali ordine rerum remanente. In ordine verò causæ primæ absolute, & sine ulla conditione co-*

gnosci eventum futurum, ergo quando ait in causis non posse cognosci effectum futurum absolute, non loquitur de ordinatione causæ primæ, sed de pura conditione causæ secundæ.

Resp. dist. antecedens non autem de causa prima, & de ejus ordine, secundum quod constituit actum primum per se requisitum ad eventum futurum nego: secundum quod consequitur actum secundum conc. ant. & neg. consequentiam. Ad prob. conc. testimonio dist. eodem modo ant. & neg. consequ. Ratio est evidens ex testimonio D. Thom. quia ut ex num. 395. Scientia Dei infallibilis cognoscit eventum futurum in se ipso, quia futurum erat, non verò cognoscit illum in causis ex num. 391. Unde ea cognitio divina saltem quoad denominationem subsequitur actum secundum contingentem, cum autem ea cognitio ab æterno sit per statum, eventus verò futurus non sit per statum ab æterno, in ea scientia divina verè & propriè cognoscitur ab æterno eventus futurus: non enim Deus solum scit ab æterno, quod si ponantur istæ causæ, ex ipsis procedent effectus, sed etiam cognoscit ipse, utrum voluerit eas causas in tempore apponere, nec ne: In conjuncto autem ex volitione libera indifferente ad utrumque se habente ex parte actus primi, & ex scientia media subsequente actum secundum, verè cognoscit Deus effectum absolutum ex num. 257. cum tale complexum connexionem habeat cum eventu absolute futuro, cæterum si connexio provenit ex scientia media subsequente actum secundum, quomodo ex ea inferunt Adversarii, requiri in via D. Thom. aliquod decretum efficax, sive prædeterminativum ex parte actus primi & hoc planè satis indicat adversarios non invenire testimonia in D. Thom. quando ad hæc recurrunt.

Objic. 5. In futuris absolutis non salvatur veritas objectiva sine decreto prædeterminante, ergo neque pro priori ad decretum prædeterminans. Prob. antecedens ex Augustin. *lib. 26. contra Faustum c. 8.* ubi fateretur se nescire, an aliquid sit futurum: & rationem reddit his verbis: *Ideo nescio, quia quod habet de hac re Dei voluntas, me latet, illud me tamen non latet sine dubio futurum, si hoc Dei voluntas habet. Modò sic: In hoc testimonio futuritionem ponit Augustinus pendentem à decreto Dei, & nonnisi prædeterminante, cum voluntas, de qua loquitur, non sit indifferens, sed determinata, aliter nesciretur futuritio, etsi voluntas Dei non lateret: ergo futurum est, quod est determinatum in causa prima, à qua habet esse intrinsecè futurum. Confirm. futurum est, quod est determinatum in causis ad habendam existentiam pro duratione subsequenti, sed pro priori ad decretum prædeterminans non est determinatum in causis ad habendam existentiam pro duratione sequenti; ergo &c. Prob. maj. ex differentia inter possibile, futurum, & existens: nam effectus possibilis continetur intra potentiam cause omninè*

omnino indifferentis ad ejus productionem: existens est egressus à suis causis, & positus extra illas, ergo effectus medius futurus inter utrumque nec continetur præcisè intra potentiam indifferentis causæ sicut possibilis, nec est positus extra causas sicut existens, sed continetur in causâ determinatâ ad dandam illi existentiam pro duratione sequenti.

408. Resp. Neg. ant. ad probat. conc. testimonio Augustin. neg. ant. quia ibi Augustin. non loquitur de effectibus creaturæ liberis, sed de necessariis, & à solo Deo dependentibus. Quamobrem mirum est, quâ cautela adversarii arguant, ne mens Augustini omnibus innoscat, relinquendo verba, quibus Augustinus explicat, sic enim ibi ait: *Si quis dicat mihi: Ut caro hujus, vel illius hominis in corpus celeste mutetur, concedo fieri posse, sed utrum futurum sit, nescio, & ideo nescio, quia quid habeat de hac re Dei voluntas, nescio.* Quod etiam habet Text. 3. lib. de Gen. ad lit. c. 17. Si ergo Augustin. ibi loquitur de effectibus à solo Deo dependentibus, quomodo adducitur contra nos, quasi esset locus de effectibus non dependentibus à solo Deo? Ad Confir. neg. maj. loquendo de futuritione formali. Est vero sit de causali. Ad prob. neg. ant. differentia enim inter futurum & præsens stat in eo, quod præsens dicat actualem positionem tempore præsentis, futurum verò tempore sequenti, ita ut unum & idem sit existens relatè ad unum instans, cui coexistit, & futurum relatè ad alia instantia priora: Illud enim, quod nunc non est per statum, sed per alienationem, postea existit per statum. Unde quod est futurum, non distinguitur intrinsicè ab illo, quod erit præsens, quin imò contra adversarios facile retorquetur argumentum ex ipso Augustino, qui ibi fateatur se nescire aliquid præteritum, scilicet quid factum sit de Enoch & Elia, & ideo fateatur se nescire, quia, inquit, quid habeat voluntas Dei, me latet, ergo juxta Augustinum præteritum est, quod determinatum est in causis suis, ut sit præteritum, quod Adversarii constanter negant.

409. Objic. 6. Aristoteles 1. Periherm. cap. 6. sic ait: *In his ergo, que sunt, & que facta sunt, necesse est affirmationem, & negationem veram esse, vel falsam; in singularibus verò futuris non similiter, & ibid. D. Thom. sect. 13. In præteritis & presentibus necesse est, quod altera oppositarum determinatè sit vera, & altera falsa in quacumque materia, sed in singularibus, que sunt de futuro, hoc non est necesse, quod una sit determinatè vera & altera falsa, & quidem dicitur, quantum ad materiam contingentem.* Ergo propositiones de futuro ante decretum prædeterminans non sunt determinatè veræ, vel falsæ: sed solum post decretum prædeterminans. Resp. neg. consequentiam, quia Aristoteles, & D. Thom. ibi distinguit duplex genus futuri, aliud quod ita est futurum, quia ita est determinatum in causis, & propositiones de

eo immediatè terminantur ad ordinem causarum, & mediatè ad existentiam, quam postea habebit. Aliud, quod est futurum, quia in se existet, & propositiones immediatè tendunt ad existentiam, quam postea habebit. De primo genere futuri considerato, prout solum habet esse in causis, ajunt, quòd si sit futurum contingens, non habet in causis determinatam veritatem, cum causæ sint indifferentes, & ideo non potest dici de eis, quòd sint futura, neque quòd sint, vel non sint; cum causæ non sint determinatæ ad unum potius, quàm ad aliud, de futuris verò necessariis, ait D. Th. quòd determinatè habent esse in sua causa, ideoque determinatè dici potest de eo, quòd erit. Unde S. Thom. non vult dicere de futuris contingentibus habere determinatam veritatem, post actuale decretum prædeterminans, aliter non distingueret inter futurum necessarium, & contingens, neque inter causas determinatas, & non determinatas.

De secundo genere verò futuri nunquam negant esse determinatè verum, sed potius affirmant. 410. Hæc sunt verba D. Thom. in primum Periherm. sect. 13. *ad cuius evidentiam considerandum est, quod cum verum hoc significet, quod dicatur aliquid esse, quod est: hoc modo est aliquid verum, quod habet esse, cum autem aliquid est in presenti, habet esse in se ipso, & ideo verè potest dici de eo, quod est, sed quamdiu aliquid est futurum, nondum est in se ipso, est autem aliquoties in sua causa, quod quidem contingit tripliciter. Uno modo, ut sic sit in sua causa, ut ex necessitate ex ea proveniat, & tunc determinatè habet esse in sua causa. Unde determinatè potest dici de eo, quod erit: alio modo aliquid est in sua causa, que habet inclinationem ad suum effectum, que tamen impediri potest, unde & hoc determinatum est in sua causa, sed mutabiliter, & sic de hoc verè dici potest, quod erit, sed non per omnimodam certitudinem. Tertio aliquid est in sua causa pure in potentia, que non magis est determinata ad unum, quàm ad aliud. Unde relinquitur, quod non potest de aliquo eorum determinatè dici, quod sit futurum, neque quod sit, vel non sit: ex quibus clarè colligitur non esse mentem D. Thom. quòd futura contingentia habeant determinatam veritatem post decretum prædeterminans, sed potius, quòd nullam habeant determinationem in causis ad differentiam futurorum necessariorum, quæ ex causis necessariò eveniunt.*

Obj. 7. contra quartam conclusionem ex Aug. 411. lib. 11. confess. c. 20. fortasse propriè diceretur tempora sunt tria, præsens de præteritis, præsens de presentibus, præsens de futuris: sunt enim hæc in Anima tria quadam, & alibi ea non vidi: præsens de præteritis memoria, præsens de presentibus intuitus, præsens de futuris expectatio. Ergo ex Augustin. Veritas de futuris stat in aliquo de præsentis, & non præcisè in eo, quòd res nunc non existat, & existat postea, &c. Resp. Conc. ant. & neg. conseq. Ratio est,

est, quia Augustinus ibi non loquitur de futuri-  
tione intrinseca, nec de futuro sumpto per alie-  
nationem, sed de futuri- tione extrinseca sum-  
pta per statum; quod enim solum est per alie-  
nationem, non dicitur proprie esse, sed impro-  
prie, sive esse per alienationem. Cùm autem,  
si detur memoria vera de re præterita, verè ar-  
guatur rem præterisse, ea de causa talis memo-  
ria dicitur extrinseca præteritio, sumpta præte-  
ritione per statum: pariter si detur intuitio Petri  
vera, arguitur bene Petrum existere, adeoque  
intuitio erit extrinsecus status præsens Petri.  
Pariter si detur vera expectatio Antichristi, sive  
actus fidei, quo verè credimus illum exitu-  
rum, ex hoc verè arguimus futuri- tione Antich-  
risti, adeoque ea expectatio verè dicitur  
extrinseca Antichristi futuri- tione per statum:  
cùm autem modò non quæramus de ista, sed  
de intrinseca rei futuri- tione, frustra adducitur  
pro re præsentis testimoni- um illud S. Augu-  
stini.

412. Quòd autem ista sit mens Augustini, facilè co-  
nstat, si attente legatur. Sic enim habet. *Futura  
ergo nondum sunt, & si nondum sunt, non sunt,  
& si non sunt, videri omninò non possunt, sed præ-  
dici possunt, ex præsentibus, que jam sunt, &  
videntur. Tu itaque Regnator Creature tue  
quis est modus, quo doces Animas, ea, que  
futura sunt: docuisti enim Prophetas tuos,  
quisnam ille modus est, quo doces futura, cui  
futurum quidquam non est, vel potius de futu-  
ris docens presentia? nam quod non est, nec  
doceri itaque potest. Nimis longè est modus iste  
ab acie mea, invaluit ex me: non potero ad il-  
lum, potero autem ex te, cùm dederis tu  
dulce lumen oculorum meorum, quod au-  
tè nunc liquet, & claret, nec futura sunt,  
nec præterita, nec proprie dicitur tempora sunt  
tria, præteritum, præsens, & futurum, sed for-  
tasse proprie diceretur; &c. ubi prosequitur testi-  
monium adductum, in argumento. Cæterum cùm  
videat Augustinus, modum loquendi de præteri-  
tis, & futuris non esse per aliquid, quod est, sed  
quod fuit, vel erit, prosequitur ita: *Si enim  
hec permittitur dicere, tria tempora video, fa-  
cto- que, tria sunt; dicitur etiam tempora sunt  
tria: præteritum, præsens, & futurum: sicut a-  
bitur consuetudo: dicatur, ecce non curo,  
non resisto, nec reprehendo, dum tantum intelli-  
gatur quod dicitur, neque id quod futurum  
est, esse jam, neque id, quod præteritum est: pau-  
ca sunt enim, que proprie loquimur, plura non  
proprie &c. En quomodo Augustinus recurrit  
ad intrinsecam rerum præteritionem, & futu-  
ritionem, quo in sensu dicimus præteritum, esse,  
quod non est, sed fuit, futurum verò, quòd  
non est, sed erit. Ex quibus roboratur nostra  
sententia.**

413. Objic. 8. Ex Anselm. Dial. de Verit. cap.  
11. dicente: *Verè præteritum dicitur esse ali-  
quid, quia ita est in re, & ideo est aliquid  
præteritum, quia ita est in veritate summa. &*

paulò supra: [*non est vera oratio, que dicit  
futurum esse aliud, nisi re ipsa sit aliquid futu-  
rum, neque aliquid est futurum, nisi sit in sum-  
ma veritate:*] ergo ex mente Anselmi futurum  
dicit aliquid de præsentis, in mente divina co-  
gnoscente futurum, quod sit de præsentis futu-  
ritio. Resp. Conc. ant. & dist. consequens,  
dicit aliquid de præsentis in mente divina co-  
gnoscente futurum, quod sit de præsentis futu-  
ritio extrinseca conc. intrinseca neg. conseq.  
Ratio est, quia Anselm. ibi solum loquitur de  
præteritis, & futuris, prout sunt in mente di-  
vina, quod ex ipso capitis titulo patet, ubi  
quærit de summa veritate, ibique ait: [*Cùm  
enim dixi, quando non fuit verum, quia fu-  
turum erat aliquid, non ita dixi, ac si abs-  
que principio ista oratio fecisset, que asseret  
futurum aliquid esse, aut ista veritas esset  
Deus.*

Objic. 9. Ex D. Thom. 1. Part. quest. 16.  
art. 7. ubi quærit, an veritas creata sit æter-  
na, ubi resolvit solum DEUM esse æter-  
num, & objicit tibi: *id quod est verum in  
præsentis, semper fuit verum esse futurum, sed  
sicut veritas propositionis de re præsentis est veri-  
tas creata, ita veritas propositionis de futuro,  
ergo aliqua veritas creata est æterna.* Res-  
pondet in hunc modum. *Ad tertium di-  
cendum, quòd illud, quòd nunc est, ex eo  
futurum fuit, antequam esset, quia in  
causa sua erat, ut fieret: Unde sublata  
causa non esset futurum illud fieri, sola  
autem causa prima est æterna, unde ex hoc  
non sequitur, quòd ea, que sunt, semper  
fuerit verum ea esse futura, nisi quæ-  
mus in causa sempiterna fuit, ut essent fu-  
tura, que quidem causa solus est DEUS.*  
Ergo aliquod decretum prædeterminans est  
causa rerum. Respond. Conc. anteced. &  
neg. consequentiam. Ratio est, quia D.  
Thom. loquitur de objecto, quòd est fu-  
turum sumpta futuri- tione per statum, se-  
cùs autem per alienationem. Futuri- tione au-  
tem per statum, quæ extrinseca est futuro, stat  
in cognitione divina, & æterna, quæ sola per  
statum est, & fuit ab æterno, secùs autem veri-  
tas creata: hanc esse mentem D. Thom.  
patet ex ejus verbis. art. 7. in corpor. [*Si-  
militer etiam supra dictum est, quòd res de-  
nominantur vere à veritate intellectus. Unde  
si nullus intellectus esset æternus, nulla veritas  
esset æterna, sed quia solus intellectus divi-  
nus est æternus, in ipso solo veritas æternita-  
tem habet, nec per hoc sequitur, quòd aliquid  
aliud sit æternum, quam DEUS, quia  
veritas intellectus divini est ipse DEUS, ut  
supra ostensum est. Et ibidem: Ad quar-  
tum dicendum, quòd, quia intellectus noster  
non est æternus, nec veritas enuntiabilem,  
que à nobis formatur, est æterna, sed quan-  
doque incepit, & antequam hujusmodi veri-  
tas esset, non erat verum dicere veritatem.*

talem non esse nisi ab intellectu divino, in quo solum veritas est eterna, sed nunc verum est dicere, veritatem tunc non fuisse, quod quidem non est verum, nisi veritate, quae nunc est in intellectu nostro, non autem per aliquam veritatem ex parte rei, quia ista est veritas de non ente. Non ens autem non habet esse, ut sit verum, sed solummodo ex intellectu apprehendente ipsum. Unde in tantum est verum dicere, Veritatem non fuisse, in quantum apprehendimus non esse ipsum, ut procedens esse ipsum, ex quibus patet D. Thom. loqui de Veritate, & futuratione extrinseca objecto.

415. **Objic. 10.** Instando simul solutionem, ut veritas objectiva de futuro detur modò per alienationem, requiritur, quòd detur de praesenti aliquid, quod sit intrinseca futuritio, supra quod cadat alienatio. Ergo futuritio intrinseca objectiva rerum stat in aliquo de praesenti: Probat. ant. Ut ista propositio: Imago Petri est homo sit vera per alienationem, requiritur aliquid de praesenti, supra quod cadat alienatio, nempe pictura, quae de praesenti hominem repraesentat, ex quo dicitur homo pictus, ergo ut sit verum de praesenti dicere: Antichristus est futurus, debet dari aliqua futuritio de praesenti, supra quam cadat alienatio, & sit futuritio Antichristi futuri. Resp. Neg. Ant. ad probat. dist. ant. ut sit vera ista propositio praecise, quia continet terminum alienantem neg, quia significat de praesenti id, quod alienatur conc. ant. & neg. conseq. Ratio est, quia ista propositio: Antichristus est futurus, non significat id de praesenti, quod alienatur, sed purè alienatur, quia significat de praesenti Antichristum non esse, & postea exiturum, quod idem esset, si de homine picto diceremus homo pictus est futurus, tunc enim cum ista propositio non significet aliquid de praesenti, quod sit alienatio hominis, sed purè imaginem ejus nunc non dari, & dandam postea, ea de causa non requireret ad ipsius verificationem aliquid de praesenti. Unde quòd ista propositio: imago Petri est homo, nimirum pictus, habeat aliquid de praesenti, quod sit homo pictus, non provenit ex pura alienatione hominis, sed ex significatione imaginis enuntiatae de praesenti.

416. **Objic. 11.** Ex Exim. Doctore proleg. 2. de Scientia conditionata cap. 7. dicente: rem esse futuram formaliter consistere in transiù quodam rei ab esse, quod habet in causa, ad esse, quod in se ipsa aliquando habitura est, & num. 25. addit transiù illum non esse quidem aliquid actu existens ex parte objecti, sed habitudinem quantum ad esse, quam res habebit in se: & ulterius quaerendo, in quo stet haec habitudo, addit, licet secundum dici putetur esse aliquid ex parte rerum, re ta-

men ipsa non esse aliquid, nisi in mente divina, esse praescientiam objectivam, quam res habet ab aeterno in essentia Dei, ergo ex Ex. Doctore futuritio intrinseca futurorum est aliquid actuale de praesenti. Resp. Neg. consequentia, quia recentiores, qui hoc argumento utuntur, potiùs abutuntur doctrina Suarii, quae ab illorum cogitatione valde remota est. Ratio est, quia ibi clarè docet futuritionem nihil aliud esse formaliter, nisi rem nunc non existentem, & existentem postea. Cum autem se habeat scientia D E I consequenter ad futuritionem, dicitur ea scientia futuritio extrinseca, quae sola datur per statum ab aeterno, futuritio verò intrinseca non est per statum ab aeterno, sed per alienationem; nimirum quia esset illud futurum, si tales causae contingentes ponerentur, quam quidem futuritionem non cognoscit D E U S in ipsis causis, sed in ipsis futuris, quae essent, si causae ponerentur.

Sic enim habet eo cap. 2. n. 6. *Voluntas Dei 417.*  
*concurrendi cum voluntate libera, relinquit illam indifferentem, & potentem ad agendum vel non agendum etiam in sensu composito, & stante illo decreto D E I; ergo ex vi illius decreti nullus actus voluntatis habet, quod sit futurus, quod maxime videre licet in actu peccati, quem DEUS ex se non absolute vult, & ideo non potest habere, quod sit futurus per denominationem à voluntate D E I, quinimò solutionem adversariorum apponit in hunc modum: responderi potest DEUM priùs ratione, quam velit concurrere cum voluntate creata ad determinatum actum futurum, & priùs quam det illi determinatum concursum, praevidere ipsam voluntatem creatam, ex se talem determinatum actum esse operaturam, & ideo antecederet ad voluntatem concurrendi statim ab illa denominari, & esse rem futuram, hanc autem solutionem ibi impugnat per haec verba.*

*Contra hoc est: quia, sicut voluntas non potest 418.*  
*actu operari sine concursu D E I simul cum illa actu operante, ita non potest esse, vel intelligi operatura, quin intelligatur habitura concursum D E I, ergo si praescitur operatura, absolute intelligitur habitura concursum D E I: ergo D E U S nec potest priùs praescire absolute esse illam operaturam, quam velit cum illa concurrere, cum autem ab illa voluntate debeat manare ille concursus, qui in futura operatione creaturae necessario imbitur &c. Quibus in verbis clarè docet praescientiam de futuro esse sublequentem ad operationem creaturae futuram, adeoque & sublequentem ad intrinsecam futuritionem, quod magis explicat numer. 8. dicens: quocirca esse, quod effectus habet in causa, solum est fundamentum futuri esse, non ratio formalis ejus: esse autem actualis ipsius*

ipsius pro sua mensura, seu temporis differentia, est quasi terminus futuritionis, futuritio autem concipitur a nobis, quasi habitudo quadam seu transitus a tali fundamento ad talem terminum. Et num. 9. Futurum contingens positivum dicitur: quod erit, quamvis possit non esse: negativum autem dicitur, quod non eveniet, licet possit evenire, quod ibi latè profequitur adeò clarè, ut de ejus mente dubitare non liceat.

419. Objic. 12. Pro priori ad scientiam mediam sive ad decretum prædefinitivum non datur ab æterno futuri denominatio: ergo ea denominatio formaliter provenit à scientia media, vel à prædefinitione efficaci ipsius Dei ab æterno. Prob. conseq. nam ea denominatio verificatur ab æterno, ergo si non datur ante scientiam, aut prædefinitionem, ab eis desumenda est. Confirm. 1. Connexio, quæ est infallibilitas de eo, quod res erit, sufficit ad infallibilitandam existentiam objecti pro tempore posteriori formaliter, adeoque sufficit ad denominationem futuri: atqui ea connexio nulla, aut nullibi est præterquam in scientia aut prædefinitione efficaci, ergo &c. Confirm. 2. Futuri denominatio ab æterno erat affirmabilis, deinde non est purè præterita, neque potest dici futura: ergo est præsens. Prob. conseq. prædicatum subjacenti statibus & differentiis entis est ens, & certò necessariò est in aliquo statu entis: sed futuri denominatio subjacet singulis statibus, & differentiis entis, nempe præteriti & futuri, & non est in ipsis, ergo solum reitatur, ut sit in tertio, nempe in statu præsentis in ratione divinæ scientiæ, aut prædefinitionis.

420. Resp. dist. ant. Non datur denominatio cognita, aut efficaciter volita conc. objectiva neg. ant. & conseq. ad probat. dist. ant. verificatur ab æterno per futuritionem antecedentem rem, quæ nunc non est, & postea erit, nego, per prædicata objectiva rei, quæ nunc non sunt, & postea erunt conc. ant. & neg. conseq. Ratio est quia ibi distinguenda est duplex verificatio, una objectiva, altera intentionalis se habens ex parte futuritionis extrinsecæ, objectiva non est ab æterno per statum, sed per alienationem: intentionalis verò consistens in scientia, vel præfinitionibus efficacibus consequentibus futurum, est ab æterno per statum, qua propter cum controversia modò non sit de futuritione extrinseca, & consequenti, sed de futuritione intrinseca consistente in re, quæ modò non est, & postea erit, in quo præcisè conceptu verè & intrinsecè denominatur futura, exindè valde alienum est à re præsentis adversariorum argumentum.

421. Ad primam confirm. dist. maj. sufficit eo modo, quo est connexio conc. eo modo, quo non est neg. maj. & dist. min. nulla, aut nullibi est præterquam in scientiis aut præfinitionibus connexio extrinseca, & per statum conc. intrinseca, & per alienationem neg. min. & con-

seq. Ad secundam confirm. dist. ant. erat affirmabilis eo modo, quo erat denominatio, conc. eo modo, quo non erat, neg. ant. & conseq. ad probat. dist. maj. prædicatum subjacent per statum est ens per statum conc. prædicatum subjacent per alienationem est ens per statum neg. maj. & dist. min. denominatio futuri intrinseca subjacet statibus, sumpto ly subjacet per statum nego, per alienationem conc. min. & neg. conseq. Ratio est, quia cum illa intrinseca, & formalis futuritio non fter in eo, quod detur nunc res, sed in eo, quod nunc non existat, & existat postea, nequit nunc subjacere tempori, sumpto ly subjacere per statum, sicut nunc non potest federe, ambulare, aut currere, ut n. 313. Unde ex correspondencia ad statum, quod purè est per alienationem, non arguitur aliquid intrinsecum constitutivum rei alienatæ de præsentis existens.

### SECTIO III.

#### Solvuntur Opposita à Ratione.

Objic. 1. Ex Thomistis contra quartam conclusionem, quam, ne cogantur scientiam mediam admittere, acerrimè impugnant: 1. si propositio de futuro esset vera respectu futuri, quoniam de presenti detur aliquid per statum verificativum illius propositionis, ideo esset, quia ex duabus contradictorijs altera debet esse vera, altera falsa, adeoque & Deus cognoscere debet, quoniam ex illis sit vera, quoniam falsa, sed hæc ratio non probat sufficienter veritatem objectivam futuri, ut de presenti à Deo infallibiliter cognoscatur, præcisè à decreto prædeterminante: ergo &c. consequentia tenet, & major est fundamentum nostrum. min. prob. Istæ propositiones: Antichristus peccabit, Antichristus non peccabit, sunt contradictoriæ etiam pro signo priori ad decretum omne actuale, atque adeò altera ex illis debet esse determinatè vera, altera falsa; sed pro priori ad omne decretum Dei, Deus non agnoscit rem aliquam absolute futuram. ergo.

Resp. conc. maj. & neg. min. ad probat. dist. maj. sunt contradictoriæ pro signo priori ad decretum eodem modo ac pro signo posteriori ad decretum nego. diverso modo conc. maj. & dist. min. non cognoscit eo modo, quo sunt contradictoriæ, & veritatem habent determinatam nego, eo modo, quo contradictoriæ non sunt, nec veritatem habent determinatam conc. min. & neg. conseq. explicò solutionem: signum prius ad effectum est signum causæ, ut ex n. 264. Cum autem decretum Dei sive permissivum sit, sive efficax, sive indifferens, secundum quod requiritur ad productionem effectus, est, ut applicetur omnipotentia ad illius effectum, dummodò tale decretum per se requisitum sit ad productionem effectus, eo ipso se habet in priori signo ad effectum.

atum, cum se habeat ex parte causæ: effectus autem in signo priori ad effectum est impossibilis, adeoque istæ propositiones: Antichristus existet: Antichristus non existet, pro signo priori ad decretum, sunt de Antichristo pro signo, quo existere nullo modo potest, adeoque propositio negativa in eo sensu attingit veritatem necessariam, necessarium enim est quod nulla creatura existat pro signo priori ad decretum Dei, imò & pro signo decreti, atque adeo ea veritas attingit ad scientiam necessariam sive simplicis intelligentiæ.

427. Quamobrem ut illæ propositiones sint contradictoriæ de veritate contingenti in se ipsa cognoscibili, & sic pertineant ad scientiam visionis, necesse est, quod affirmet & negent pro posteriori ad decretum, quo in sensu cognosceret Deus, quamnam ex illis erit vera, & quamnam falsa. Unde eo modo, quo sunt contradictoriæ, & determinatam veritatem habent, rectissime à Deo cognoscuntur, quin requiratur aliquod principium prævium efficaciter connexum cum effectu libero futuro, quod sit verificativum talis propositionis; eodem modo dicendum est respectu scientiæ conditionatæ, quæ non potest prævidere futurum liberum conditionatum nisi pro signo posteriori ad decretum indifferens conditionatum; eodem modo, quo decretum indifferens absolutum se habet ex parte principij ad futurum liberum absolutum, etiam decretum indifferens conditionatum, non quidem, quod actu existat, sed quod existeret, se habet conditionatè ex parte principij per se requisiti ad futurum liberum conditionatum, quod maximè notandum est ad multas cavillationes evitandas.

425. Ratio autem fundamentalis ad dissolvendas omnes objectiones est, quia futura contingentiæ creaturæ libera nequeunt habere veritatem determinatam in suis causis ex num. 427. qua de causa nequeunt infallibiliter cognosci in suis causis, sed in se ipsis ex D. Th. num. 340. & ex tota disp. 7. Cum autem ipsorum signum sit pro posteriori ad causam, & ad decretum indifferens applicativum omnipotentia, exinde nequeunt cognosci in se ipsis, nisi in signo posteriori ad causam, & ad decretum indifferens, in eo namque signo non sunt indifferentiæ sed necessariò existentia necessitate consequenti, quatenus effectus contingens, prout est, necessariò est & prout foret, necessitariò est, quod foret, quo in sensu sunt veritates infallibiles, & intentionaliter determinativæ scientiæ Divinæ ex n. 282. & 389. Unde quidquid est per se prævium ad futura sive absoluta, sive conditionata in se ipsis, non est satis ad infallibilem eorum veritatem, neque per ullam contradictoriorum operationem fieri potest medium sufficiens; ut futura præviè ad ipsum signum in se ipsis infallibiliter cognoscantur. quamobrem signum per se prius illius veritatis objectivæ infallibilis, est signum ipsorum in se ipsis.

Objic. 2. Propositio disjunctiva de futuro absolute contingenti, v. g. Petrus peccabit, vel non peccabit, est necessariò determinatè vera pro priori ad decretum, atqui propositio disjunctiva nequit esse vera nisi ratione alicujus extremi disjuncti: ergo aliquod extremum illius propositionis est determinatè verum ante decretum, atque adeo Deus illud infallibiliter, & determinatè cognosceret præviè ad decretum. Resp. conc. maj. & dist. min. nisi alicujus extremi determinatè cognoscibilis præviè ad decretum nego; pro signo posteriori conc. min. & nego conseq. ex num. superiori. Ratio ulterior est, quia propositio disjunctiva, quæ est necessariò vera, non est vera ratione alicujus extremi determinati, sed ratione vagæ necessitatis, quæ datur pro priori, ut alterum extremum ex contradictoriis existat pro posteriori ad decretum, ex hoc enim quod datur antecedenter ad decretum vaga necessitas, ut peccatū Petri existat, vel non existat pro posteriori ad decretum, fieri nequit, ut simul deficiat peccatum, & ejus carentia, ac proinde jam est determinatè verum, quod pro posteriori vel existet peccatum, vel ejus carentia, quin sit determinatè verum, quod existet peccatum, vel carentia peccati ante decretum.

Objic. 3. Rem esse futuram, est denominatio non facta, sed realis, non intrinseca, sed extrinseca, ergo debet provenire ab aliqua forma reali extrinseca, sed hæc est decretum Dei, & determinatio præsens causarum ad positionem rei postea: ergo &c. Resp. 1. Retorquendo argumentum in præterito. Resp. 2. dist. ant. non intrinseca sumpta per statum conc. per alienationem neg. ant. & conseq. Ratio est, quia denominatio futuri formaliter stat in re, quæ nunc non existit, & postea existit, cum autem existentia rei, quæ postea existit, sit ipsi rei intrinseca, denominatio attingit aliquid rei intrinsecum, cæterum, cum illa res de facto non sit per statum, sed per alienationem, ea de causa denominatio futuri intrinseca est aliquid existens per alienationem non per statum.

Objic. 4. Futurum certum, & infallibiliter tale distinguitur à futuro casuali, dubio, & probabili; atqui non distinguitur ab illis per carentiam existentia nunc, & existentiam postea, ergo debet distingui ab illis constitutivè per denominationem præsentem decreti efficacis ad existendum postea. Resp. Retorquendo argumentum in præterito infallibili, quod etiam distinguitur à præterito casuali, dubio & probabili, ante solutionem verò suppono, quidquid non existit, & existit postea, esse in se futurum certum & infallibile, cum sit impossibile, quod futurum non existat postea ex suppositione existentia postea. Unde certò & infallibiliter cognoscitur tale futurum à divina scientia, quæ cognoscat futura, licet non sint certa quoad nos certò & infallibiliter, quia sæpè futurum, dubiū, probabile & casuale, quoad nos, non est casuale quoad se, sed certò & infallibiliter futurum.

Ratio

429. Ratio omnium est, quia futurum quoad nos esse dubium probabile &c. sunt denominationes extrinsecæ ipsi futuro provenientes à formis, quibus diversimodè se habet quoad nos, qui non attendimus nisi ad præsentis circumstantias, & præsentium dispositionem causarum. Unde futurum dicitur dubium quoad nos à dubitatione intellectûs, qui caret motivo præcedenti ad judicandum rem esse futuram, dicitur probabile à gravibus fundamentis, quibus prudenter, & probabiliter judicamus rem esse futuram, dicitur casuale, quia à nobis non spectabatur, & evenit præter intentionem, & prævisionem naturalem, & ideò evenit quoad nos fortuito.

430. Jam in forma dist. maj. distinguitur à futuro casuali, dubio, & probabili, quæ sunt in se simpliciter futura, id est quæ habent non existere nunc, & existere postea neg. quæ solum sint futura, secundum quid, & quoad nos conc. maj. & dist. min. non distinguitur ab illis per carentiam existentiam nunc, & existentiam postea, si hæc futura verè & in se sint exitura postea conc. min. nam hoc modo sunt certò & infallibiliter exitura. Si non sint exitura postea neg. min. & consequentiam, itaque futurum casuale, dubium, & probabile, vel existit pro postea in se, vel non? si primum, jam erunt certò & infallibiliter futura, & non distinguitur ab illis futurum infallibile, solumque quoad nos erit dubium, casuale, & probabile. Si secundum, non erunt simpliciter futura, sed solum secundum quid, & quoad nos, & ab illis distinguitur futurum infallibile, quia hoc existit in se pro postea, non verò illa, ubi nota juxta SS. PP. futura non dici cognosci à Deo ut futura quoad se, sed cognosci à DEO esse futura quoad nos, quia illud est futurum quoad nos, quod modò non correspondet huic nostræ intrinsecæ, & præsentis durationi, & postea correspondet durationi, quam habebimus, vel existit in duratione ab illo distincta, quin illi correspondeat, cum autem duratio, qua Deus durat ab æterno, & in æternum, sit identificata cum ipso Deo, cum sit attributum ejus æternitatis, nunquam correspondet postea durationi Dei diversæ à duratione, quam nunc habet, adeoque non dicitur futurum respectu Dei quoad nunc non esse, & postea esse, ut dictum est.

431. Objic. 5. Ut detur futuricio denominans in aliquo instanti rem futuram, non requiritur, quòd in illo instanti existant omnes partes futuritionis, sed sufficit, quòd existat una pars illius, v. g. nunc datur futuricio Antichristi sufficiens ad denominandum illum futurum, & tamen solum datur nunc una pars futuritionis, nempe carentia existentiam, sive non existentia Antichristi. Modò sic: atqui adveniente Antichristo pro fine mundi etiam dabitur una pars constitutiva futuritionis, nempe existentia illius pro fine mundi, licet non detur alia pars, nempe carentia existentiam; ergo non peribit futuricio Antichristi, & adhuc denominabitur

futurus pro fine mundi. Resp. conc. prima parte maj. nempe non requiri, quòd omnes partes simul existant, cum futuricio sit totum successivum, & partes omnes totius successivi non possint simul existere, & dist. secundam partem: sufficit, quòd una pars existat, quæ pars sit carentia existentiam nunc conc. quæ pars sit existentia pro postea neg. maj. & conc. min. neg. consequ.

Ratio disparitatis est, quia hæc est denominationis futuri natura, nempe non existere nunc, & existere postea; hujusmodi autem denominatio adæquatè verificabilis est de præsentibus, quando datur carentia existentiam nunc, non autem quando datur existentiam; falsum est enim dicere de re actu existente, quòd nunc non existit, quapropter quando datur carentia existentiam, nunc datur, quòd sufficit, ut adæquatè verificetur futuricio, & sic Antichristus denominatur futurum, licet non detur physicè adæquata futuricio, quæ successiva est, quia hæc est natura denominationis futuri, sicut res denominatur præterita, mutata, prior vel posterior, licet actu non existant partes constituentes has denominationes, quia hæc est natura harum denominationum, quæ verificantur: licet actu non existat physicè adæquata forma, quòd nullo alio modo explicari potest, quàm explicando sensum, & naturam denominationum. Unde si natura denominationum non sit successiva, sed omnia requiratur de præsentibus, necesse erit, ut dentur omnes partes ejus simul, ut detur denominatio, sic se habent hæc denominationes Albus, Justus &c.

Objic. 6. Existentia Antichristi in fine mundi reddit eum præsentem, ergo potius destruit, quàm constituit futuritionem illius, ac proinde futuricio stare debet in decreto existente nunc decernente Antichristum exiturum postea. Resp. conc. ant. & neg. consequ. quia existentia postea solum constituit futurum verificabiliter, quando datur terminus à quo successione, nimirum carentia existentiam illius: cum autem quando dabitur Antichristus, non detur carentia existentiam illius, exinde tunc non manet, sed deficit verificabiliter futurum, sic apud adversarios existentia antea constituit præteritionem, & tamen existentia deest, quando prætericio datur, & incipit verificari res præterita, ubi advertendum est, quòd existentia rei adveniente non destruitur adæquata futuricio, sed solum destruitur verificabiliter, quantum non verificatur, nec denominatur res futura, stante existentia, sicut non denominatur præterita, usque dum existentia deest, cum ista sit ratio & natura harum denominationum.

Objic. 7. Futuricio Antichristi non est merè possibilis, nec præterita, nec futura, aliter adveniente Antichristo, sicut tunc incipit esse Antichristus, ita inciperet esse futuricio, quæ modò est futura; atqui res, quæ nec est merè possibilis, nec præterita, nec futura, habet esse nunc adæquatè præsens, ergo nostra futu-

futuricio fiat adæquatè in decreto, vel determinatione præsentis. Confirm. res futura constituitur in esse futuri per illud, per quod distinguitur à merè possibili, & actuali, atqui habet hoc per solam determinationem causæ ad habendam existentiam postea. Etenim merè possibile nullam dicit determinationem causæ, sed indifferentiam, actuale verò jam est positum extra causas, ergo &c.

435. Retorqueo argumentum in præteritione Adami. Deinde Respondeo dist. maj. adæquatè sumpta conc. inadæquatè accepta, pro ut requiritur ad illius verificabilitatem neg. maj. & dist. min. neg. conf. Ratio est, quia cum futuricio sit unum successivum, partim est præsens, prout dicit carentiam existentiam nunc, partim verò erit, prout dicit existentiam postea. Unde neque est merè possibilis, neque præterita, neque adæquatè futura, sed solum habet de præsentis carentiam existentiam modò requisito ad adæquatam verificabilitatem de præsentis ex n. 432. Ad Confirm. dist. maj. per quod distinguitur secundum totum, quod includit successio futuri conc. secundum quod dicit entitas objectivè futura, neg. maj. min. & conf. Ratio est, quia entitas objectiva futuri eadem ipsa est, quando est possibilis, ac quando est præsens, & futura, sic quando produceretur Antichristus, erit idem, qui modò est possibilis & futurus, ad futuritionem autem ultra illam entitatem nudè sumptam requiritur transitus & successio à non esse nunc, ad esse postea, adeoque dicit pro termino à quo carentiam existentiam, sive rem non esse, & pro termino ad quem existentiam rei postea, ergo cum hæc successio non reperitur in merè possibili, neq; in purè præsentis, ea de causa futurum quò tale ab illis distinguitur &c.

436. Objic. 8. Si futuricio conditionata sit aliquid reale distinctum à divino decreto, aliquam habet sui causam, dependentem à qua sit contingenter, sed nulla est assignabilis causa ipsius: ergo &c. major patet; quia futuricio conditionata, si non fiat in decreto, non est à se, adeoque est ab alio, & à causa: min. prob. si aliqua esset; esset causa secunda, v. g. voluntas humana, à qua effectus est conditionatè futurus pro casu conditionis, sed ista non est causa, ergo nulla. prob. min. voluntas humana nondum existit tunc, quando verum est effectum esse futurum sub conditione, imò sæpe evenit, ut voluntas, cujus effectus futurus est sub conditione, nunquam existat, sed voluntas, quæ nunquam existit, & nunquam est extitura, nequit esse causa conditionatæ futuritionis, quæ verè est quid reale. ergo &c.

437. Respondeo dist. maj. aliquam habet sui causam sumpto ly habet per statum nego, per alienationem conc. maj. & sic dist. min. neg. conf. ad prob. min. dico, voluntatem humanam & divinam esse causam, sumpta humana per alienationem, quo in sensu neg. min. ad prob. conc. R. P. Gormaz Theolog. Tom. I.

maj. & dist. min. voluntas, quæ nunquam existet, non potest causare ex suppositione, quòd non existat conc. ex suppositione, quòd existeret neg. min. & conseq. Ratio est, quia futuricio conditionata non exigit voluntatem (neque decretum Dei) absolute existentem, neque absolute causantem; quia sicuti actus conditionatè futurus non existet absolute, sed existeret, si conditio poneretur, ita nec exigit, quòd absolute causetur, sed quòd causeretur, si poneretur conditio, ut autem tunc causeretur à voluntate, non sequitur, quòd modò existat voluntas, sed quòd tunc posità conditione existeret, & causeretur: idem dico de decreto Dei.

Objic. 9. Effectum esse conditionatè futurum v. g. quod 1. Reg. habetur c. 23. David esse tradendum à Ceilitis, si apud eos maneat, de facto est quædam veritas objectiva, & oppositum de facto est falsum, ita ut veritas ista futuritionis conditionatæ non sit quid suspensum, & dependens à cognitione, uti pender existentia rei futuræ; ergo veritas illa de facto est determinata, & certa, & licet existentia sub conditione sit futura, certò tamen sic est futura, & non manet in ratione puræ possibilitatis, & indifferentiæ: ergo non solum exigit causam, quæ causeret posita conditione, sed si non consistat in actuali Dei decreto, exigit causam de facto causantem: Prob. hæc ultima consequentia, id, quod de facto est veritas determinata, certa, & infallibilis, si non consistit in decreto Dei, vel de facto causetur, vel est à se: ergo si futuricio conditionata non consistat in decreto Dei, neque sit à se, est quid de facto causerum, cum de facto sit determinatum quid certum, & infallibile sine ulla suppositione, & dependentia à conditione.

Respondeo dist. ant. veritas est de facto, 439. & non suspensa, ut existat, vel non existat, si loquamur de veritate formali consistente in cognitione cognoscente Davidem tradendum esse à Ceilitis conc. de veritate objectiva, sive objecto talis cognitionis neg. ant. & conseq. dist. ergo veritas illa est determinata, certa, & infallibilis, si loquamur de formali conc. primam consequentiam, & neg. secundam, ad cujus prob. conc. Ant. & dist. conseq. est quid causerum sumpto ly est per statum nego, per alienationem conc. conseq. Ratio est, quia cum futuricio non sit de facto aliquid actu, sed solum existeret, si poneretur conditio, non exigit causas de præsentis causantes, sed si poneretur conditio, haberet causas, quæ illam futuram causerent.

Quæ omnia facile explicari possent ex num. 440. 310. de futuro absoluto: nam hæc propositio: Traditio Davidis est de facto, vel nunc conditionatè futura, non significat esse aliquam veritatem objectivam verificativam talis propositionis, quia ea propositio, ut sit nunc vera, requirit solum, quòd traditio Davidis esset, si maneret

maneret in Ceilitis, vel in hac alia: Traditio Davidis est conditionatè futura. Terminus *futura conditionatè* extrahit verbum *est*, ut non significet per statum objectum verificativum, cui debet conformari, ut sit vera, solumque significat per alienationem de futuro sub conditione.

441. Objic. 10. Esse, quod dicit pœnitentia Petri, ut conditionatè futura pro crastina die, fuit semper & ab æterno verum esse reale: ergo illud esse verificativum futuri conditionati non est esse actuale effectûs pro suo tempore, neque quidquam aliud temporale seu creatum, sed increatum & æternum, cum nihil creatum fuerit ab æterno. Prob. ant. pœnitentia Petri, quemadmodum habet hodie, quòd cras sit futura, sub conditione, quòd cras vocetur, habuit ita semper & ab æternitate à parte antè esse futuram crastina die sub conditione, quòd Petrus crastina die vocetur: sed esse, quod hodie habet pœnitentia Petri crastina die futura, est simpliciter & absolutè esse reale: ergo &c. Consequentia tener, & major patet, quia pœnitentia Petri crastina die futura sub conditione divinæ voluntatis, non incipit esse hodie futura nec cœpit heri, sed ab æterno est futura.

442. Minor verò probat, quia tale esse non est ens rationis aut chymæricum, & purè confictum ab intellectu absque ullo prorsus fundamento, aliter sicut intellectui licet absque fundamento concipere, quòd crastina die Petrus contereretur, seu ager pœnitentiam peccatorum, si à Deo vocetur, etiam pari felicitate licebit fingere, quòd crastina die verè Petrus non contereretur, seu quòd non ager pœnitentiam, id autem non licet, supponimus enim hodie verum esse, quòd Petrus ager peccatorum pœnitentiam, si crastina die vocetur, & contrarium esse falsum, si autem illud est esse rationis cum fundamento in re, de hoc fundamento reali erit sermo, & de eo fiet hoc argumentum: nam hodie, & ab æterno debuit existere, & consequenter non est quid creatum & temporale, sed æternum, sive divinum decretum. Respondeo dist. ant. fuit semper & ab æterno verum esse reale sumpto *ly esse reale* per statum nego, per alienationem conc. ant. & neg. conseq. cuius probatio nulla est: nam licet ab æterno non sit quid creatum sumpto *ly esse* per statum, fuit futurum, adeoque sumpto *ly esse* per alienationem. ad probat. distinctis eodem modo præmissis nego consequentiam & probationem. Nam ens reale sumptum per alienationem neque est ens rationis, neque fictum, sed ens revera, quod est potens existere, licet modo non existat, in quo satis distinguitur ab ente chymærico, quod nullatenus potest existere.

443. Objic. 11. Quamvis pœnitentia cras futura hodie non sit existens, at futuritio pœnitentiæ pro crastina die non est hodie futura,

sed actualis, & semper fuit actualis, & existens: ergo hodie & ab æterno habet futuritio esse reale, & existens, sed hoc esse reale, actuale, & existens, non potest esse quid creatum, nec temporale, sed æternum: ergo &c. Consequentia tener, quia non solum pœnitentia actualis cras existens, erit cras esse reale, & existens, sed etiam futuritio conditionatæ pœnitentiæ est ens reale absolute, & simpliciter, cum non sit ens rationis. Antecedens autem prob. quia denominatio actualis futuri, qua hodie pœnitentia absolute denominatur futura, hodie realiter absolute existit: nam denominatio futuri non est futura, sed actualis, pœnitentia quippe cras futura non denominabitur cras futura, quando existet, sed hodie denominatur futura, quando non existit: sed ea denominatio actualis futuri non potest existere, & esse actualis hodie, nisi hodie sit actualis, & existat forma, à qua desumitur ipsa denominatio, & qua intrinsecè constituitur, quæ forma est futuritio, ergo futuritio hodie est actualis, & existens. Confirm. denominatio hodie existit, & est actualis; ergo esse denominationis hodie existit: sed esse denominationis est futuritio; ergo esse futuritio hodie existit.

444. Respondeo dist. ant. futuritio non est futura hodie, sed actualis adæquatè sumpta nego, inadæquatè sumpta subdist. qua parte dicit existentiam postea nego, qua parte dicit carentiam existentiam sive non existentiam rei in hoc instanti, sive reali, sive imaginario conc. ant. & neg. conseq. ad prob. & min. subsumpt. dico esse reale, quod dicit per alienationem de existentia postea, non esse per statum, adeoque non extitisse ab æterno, solumque fuisse veram ab æterno pro tunc carentiam vel negationem talis existentiam. Ad probationem antecedentis dist. maj. hodie, realiter, absolute existit sumpto *ly existit* per statum respectu actûs modo affirmantis conc. respectu affirmati, & extituri postea neg. maj. & dist. min. neg. conseq. ex n. 310. Ad confirm. dist. maj. hodie existit sumpto *ly existit* per statum respectu actûs modo affirmantis rem futuram conc. respectu objecti affirmati neg. maj. & dist. min. esse denominationis est futuritio sumpta denominatione objectiva conc. sumpta denominatione respectu existentiam actûs modo affirmantis neg. min. & conseq. Ex dictis

445. Objic. 12. Hodie est verus iste actus: Anrichristus est futurus: ergo hodie existit veritas, sed veritas est conformitas actûs cum objecto: ergo hodie existit hæc conformitas, sed hæc includit actum & objectum: ergo hodie existit actus, & objectum. Respondeo conc. ant. & dist. conseq. hodie existit veritas sumpto *existit* per statum ex parte actûs, & per alienationem ex parte objecti, ut affirmati ab actu

Actu conc. sumpto existit per statum etiam ex parte objecti neg. conseq. & dist. min. subsumpt. Veritas est conformitas actus cum objecto ut affirmato ab actu conc. ut non affirmato ab actu neg. min. & sub eadem distinctione conc. & neg. conseq. deinde dist. min. subsumptam, conformitas includit actum & objectum ut affirmatum ab actu conc. ut non affirmatum neg. min. & conseq. Ratio est, quia quando

actus modò affirmat objectum exiturum posse, non requiritur ad veritatem actualem actus, quòd modò detur objectum, sed quòd modò detur actus, & quòd postea detur objectum modo, quo nunc affirmatur ab actu. Unde ea conformitas actus cum objecto solum dicit actum per statum, objectum autem per alienationem, ut constat ex D. Thoma sæpe citato.

## DISPUTATIO VIII.

## DE SCIENTIA VISIONIS, SEU LIBERA.

## SECTIO I.

*Quid sit Futurum, & an Deus illud cognoscat?*

446. **C**onstat ex tota Disputatione VII. futurum contingens in via D. Thomæ duplex esse: aliud in causa inclinata, seu ordinata ad effectum, quod fallibile dicitur, & futurum solum secundum quid; nam causa libera absolute potest effectum non ponere: adeoque quod in ea apparebat futurum, contingere potest, quòd revera in se postea futurum non sit. Aliud est futurum in se, seu infallibile, nimirum quod modò non est, & postea revera erit. Quamobrem futurum rei formalis prout contradistincta à causali est successio ex esse, & non esse rei per durationem priorum, & posteriorum. Ratio est, quia res, quæ in hoc instanti est absolute futura, in hoc instanti non existit: at in instanti sequenti revera existit: & tunc de illa erit verum dicere: est, & falsum si dicatur: non est. Unde in hoc tempore priori denominatur futura, non quidem futura respectu hujus temporis, sed respectu temporis, in quo est præsens. Pariter conditionatè futurum est etiam duplex: nimirum causale, quod apparet ponendum fore, si poneretur causa inclinata ad illud; & aliud formale, quod nimirum revera poneretur sub conditione, quòd apponerentur tales causæ, uti dictum est de penitentia Tyrionum n. 241. Exinde omne futurum absolutum est etiam conditionatum, & non e contra. Ratio est, quia eo, quòd sit verum, quòd ponitur istæ causæ, & ex illis procedet effectus, est etiam verum, quòd si istæ causæ ponantur, ponetur effectus. At non est verum, quòd effectus re ipsa ponetur, eo quòd poneretur, si ponerentur causæ; cum stante ista veritate contingere possit, quòd causæ nunquam ponantur, ut patet in penitentia Tyrionum. Quamobrem veritas de objecto conditionato non solum se extendit ad præsentia, sed etiam ad præterita, ut ad penitentiam Tyrionum, & ad futura, ut ad impenitentiam Antichristi. Cum autem ab universali ad singulare consequentia non valeat, sicut non valet ista, est animal; ergo est homo, ita neque valet ab objecto conditionato ad futurum absolutum. Querimus modò à ratione, quòd nam sit constitutum futuri, & scientiæ Dei de illo. Pro quo sit



R. P. Gormaz Theolog. Tom. I.

**A**spero 1. Futurum formalis absoluta stat in eo, quòd res modò non existat, & postea existat. Probat. Futurum formalis absoluta est forma, quæ res non existens denominatur nunc absolute futura: sed præcisè intellecta successione illa de non esse ad esse explicata n. super. intelligitur forma, qua res non existens nunc denominatur absolute futura; ergo &c. Probat. min. Præcisè intellecta ea successione intelligitur res posterior in existendo respectu præsentis temporis: sed eo præcisè nunc est verè futura; ergo &c. Confirm. 1. Præteritio formalis absoluta apud ipsos adversarios stat præcisè in eo, quòd res nunc non existat, & antea extiterit: ergo & futurum formalis absoluta stat in eo, quòd res non existat nunc, & existat postea. Confirm. 2. Illud est futurum formalis absoluta apud adversarios, per quod res distinguitur à mere possibili, præterita, & præsentia: sed præcisè per hoc, quòd nunc non existat, & postea existat, distinguitur à mere possibili, præterita, & præsentia; ergo &c.

**A**spero 2. Futurum conditionata stat in eo, quòd res nunc non sit, sed erit, si conditio ponatur. Prob. Facile, quia eo ipso, quòd concipiatur carentia existentia nunc, & existentia postea, si conditio postea ponatur, jam concipitur determinatio ad existendum postea sub conditione; ergo jam concipitur futurum infallibilis conditionata. Probat. ant. Posita existentia sub conditione, impossibile est, quòd res non reddatur existens pro eo tempore, sed id, quo posito impossibile est, quòd sub illa conditione res non existat, eam infallibiliter reddit conditionatè existentem; ergo &c. Conf. iisdem omnino rationibus, quibus tota disputatione præcedenti probavimus ex D. Thom. futurum absolutum ob eandem rationem præcisè stare in carentia existentia nunc, & existentia postea, quòd etiam constat ex n. superiori. ergo pariter futurum conditionata stabit in carentia existentia nunc, & existentia postea, si ponatur conditio.

449. Affero 3. Omne futurum absolutum contingens supponit prioritate causæ, & naturæ alicquod decretum Dei actu, & formaliter existens in Deo adeoq; propositiones de futuro absoluto contingente non sunt determinatè veræ, vel falsæ independentes, sive antecedentes, & propriæ ad decretum. Unde objectum illarum non habet determinatam veritatem objectivam pro priori ad decretum sibi necessarium. Probat. 1. ratione Ex: Doctoris: nihil potest in creatis existere sine concursu Dei: atqui Deus nullum præbet concursum nisi volendo: nec potest incipere velle in tempore, sed solum potest velle ab æterno; ergo ante omne futurum præcedit ab æterno prioritate naturæ decretum Dei, sive dicat rem creatam pro complemento denominationis, sive illam non dicat, de quo in Tractatu de Voluntate. Major indubitata est à Philosophis, & Theologis contra Durandum. Min. autem fundatur in clarissimis Scripturæ, & PP. testimoniis, in quibus dicitur omnipotentiam non posse operari independentem à cognitione, & voluntate. Sic Pl. 1. 13. Omnia, quæcumq; voluit, fecit. Et cap. 1. ad Eph. Qui operatur secundum consilium voluntatis suæ; ergo &c.

450. Confirm. 1. ex D. Thom. 1. Part. quest. 25. art. 1. ad 4. dicente: *Potentia Dei importat rationem principii exequentis id, quod voluntas imperat, & ad quod scientia dirigit.* Præterea S. Justinus q. 3. Christiana ad Gentes prope medium ait: *Si Deus facit, quia est, coactè facit, quod facit: si autem facit, quia vult, sponte facit, quantum vult, quale, & quando vult.* Tandem ex Augustino in Ench. c. 95. dicente: *Non ergo sit aliquid, nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo, ut fiat, vel ipse faciendo.* Ubi verba hæc fieri, & velit denotant requiri volitionem positivam, qua Deus velit facere, ut contingit respectu operis boni, cuius Deus est causa per se. Vel saltem velit sinere, ut fiat. v. g. in operibus malis, quæ Deus permittit; quæ mala Deus nos sinere vult, ut faciamus, vel permittere, ut fiant. Ex quibus omnibus deducitur, quod omnipotentia non aliter constituitur in actu primo proximo productiva, nisi per voluntatem, qua Deus vult illam applicare: aliter operaretur non sponte, sed ex necessitate, & per naturam; ergo &c.

451. Confirm. 2. Natura, & essentia omnipotentia, seu virtus divina productiva est quædam facultas rationalis non aliter operativa ad extra, nisi per intellectum, & voluntatem; ergo in operando petit voluntatem applicantem ad executionem, & intellectum dirigentem: ac proinde non est operativa ad extra per naturam, & ex necessitate, sive præcisim ab omni volitione applicante ad operis executionem. Probat. Ant. quia omnia testimonia adducta à num. 449. proponunt nobis naturam, & essentiam divinæ omnipotentia operativæ ad extra, & ostendunt non aliam esse virtutem, quam rationalem, & moralem modo operativam, id est dirigente ratione, & impe-

raute voluntate; ergo non alia debet fingi natura, & essentia omnipotentia operativa præcisim à voluntate applicante. Ex quo patet discrimen ab aliis attributis, nimirum ab immensitate quæ tali: nam immensitas quæ talis non est executiva ejus, quod divina voluntas vult, sed est essentialis exigentia ubique existendi, quæ nullo actu divinæ voluntatis eger: sicut nullo potest impediri, ut existat ubique. At vero omnipotentia, ut colligitur ex Scriptura, & PP. adductis, est potentia executiva ejus, quod voluntas vult, quæ sicut potest impediri per nolitionem ad opus, ita requirit volitionem, ut operetur, quæ respectu actuum liberorum nostrorum sit indifferens, licet respectu necessariorum possit esse efficax.

452. Probat. 2. Propositiones de futuro absoluto contingente non habent determinatam veritatem, nisi suum objectum habeat determinatam veritatem objectivam, sicuti ab actu affirmatur: atqui veritas objectiva futuri absolute contingentis non salvatur antecedenter, & pro priori ad decretum actuale DEI: imò præsupponit essentialiter aliquod Dei decretum, sive intentivum, sive purè permissivum, ut constat à num. 449. ergo &c. Confirm. Veritas futuri absolute est non-existentia nunc, & existentia postea, ut constat ex num. 447. atqui nihil existit absolute pro tempore antecedente decretum Dei; ergo &c. Unde in hac assertione solum statimus dependentiam futuri absolute à decreto DEI in essendo, minimè verò in cognoscendo, quod maxime notandum est; nam effectus contingens, & liber pender in essendo à sua causa constituta indifferenter ad utrumque, quia in ea possit determinatè cognosci ratione indifferentiæ suæ, ut latè constat ex dictis n. 340. Cæterum pro majori claritate

453. Affero 4. Propositiones formales de futuro absoluto contingente habent determinatam veritatem præcendendo ab omni decreto se habente de presenti constitutivè. Prob. Ut propositio formalis affirmans futurum absolutum sit determinatè vera, solum requiritur constitutivè conformitas actus cū objecto, ut ab illo dicitur: atqui talis conformitas non dicit constitutivè decretum Dei; ergo neque propositionem esse veram dicit constitutivè decretum Dei. Probat. min. Ut detur conformitas actus cum objecto, ut ab illo dicitur, sufficit constitutivè, ut detur actus, & quod objectum ita se habeat, ut per actum affirmatur: sed neque actus, neque objectum futuri ita se habens, ut affirmatur, dicunt constitutivè decretum DEI; ergo &c. Probat. min. quia in primis actus non constituitur per decretum Dei: deinde neque futurum, ut constat ex dictis; ergo &c. Confirm. Decretum non est futurum: sed objectum actus est futurum; ergo objectum ut futurum non constituitur per Dei decretum. Quapropter licet ad veritatem futuri absolute præsupponatur aliquod Dei decretum, constituens omni-

potentiam applicatam, hoc tamen decretum neque arguit infallibilem existentiam futuri absoluti; neque illam constituit, ut ex dictis satis patet.

454. Probat. 2. ex Errera. Possumus facere hanc suppositionem, quod Petrus ignoret Deum habere ab aeterno decretum de objectis futuris, solumque attendat dari in DEO decretum, quando actu existunt objecta: hoc posito, si Petrus hodie proferret hanc propositionem, *Paulus cras curret*: & accedente die crastina Paulus curreret, Petrus tunc diceret se heri pronulisse propositionem veram; ergo à Petro apprehenditur fuisse veram heri illam propositionem, quin apprehendat decretum Dei existisse heri; ergo &c. Conf. Decretum actuale nequit esse verificativum loquutionis de futuro absoluto libero; ergo tale decretum non constituit veritatem determinatam illius futuri. Probat. ant. quia per decretum affirmatur esse praesens, vel esse futurum? Si 1. ergo propositio non loquitur de futuro, sed de praesenti: si 2. ergo est falsa propositio, cum decretum sit praesens, & unicum constitutum futuri, ut ajunt adversarii.

455. Affero 5. Futura conditionata habent determinatam veritatem futuri independentem ab omni decreto libero actuali Dei, quam verè cognoscit Deus. Probat. facile, quia aliud decretum Dei non requiritur, nisi qualis requiritur concursus: sed in futuris conditionatis non requiritur actualis concursus; ergo neque actuale decretum. Probat. min. non requiritur Dei concursus, qui existat, sed solum concursus, qui existeret, si conditio poneretur; ergo &c. Confirm. Si creatura posset existere sine DEI concursu, etiam posset existere sine omni decreto: & ideo non potest existere sine omni decreto, quia non potest existere sine DEI concursu: adeoque decretum non requiritur nisi ratione concursus: atqui futurum conditionatum quò praecise conditionatum non requirit illum Dei actualem concursum, ut patet in Penitentia conditionata Tyriorum, quae per totam aeternitatem nunquam erit; ergo &c. Unde quòd futurum absolutum requirat actuale decretum Dei, exinde desumitur, quia Deus non potest habere ullum decretum in tempore, quòd non habuerit ab aeterno. Cum autem respectu futuri absoluti debeat habere concursum in tempore, arguitur decretum DEI in tempore respectu illius: & cum decretum DEI, quòd est in tempore, debeat esse ab aeterno, arguitur decretum DEI ab aeterno, ut latius constabit in Tractatu de Voluntate.

456. Respondent Thomistae Futura tum absoluta, tum conditionata constitui per decretum DEI praedeterminativum, ita nimirum, ut respectu futuri absoluti sit decretum subjective, & objective absolutum: respectu vero futuri conditionati sit subjective absolutum, & objective conditionatum. Dicitur

*R. P. Gorman Theolog. Tom. I.*

enim subjective absolutum, quia absolute, & per statum est in DEO: & dicitur objective absolutum; quia absolute vult illius effectum. Sic Penitentia D. Petri erat futura absolute; quia DEUS habebat decretum ab aeterno dandi Petro praedeterminationem, qua converteretur, & quo absolute volebat ejus conversionem. Tum Penitentia Tyriorum est conditionate futura; quia DEUS ab aeterno concepit decretum dandi illis praedeterminationem ad penitentiam, si Christus apud illos parasset miracula: adeoque tale decretum dicitur subjective absolutum. Caeterum, cum non voluisset penitentiam Tyriorum absolute, sed sub conditione praedicationis Christi, quae conditio apponenda non erat, ea de causa dicitur objective conditionatum. Illis namque decretis, ajunt Thomistae, stat formalis rerum futuricio; simulque illa sunt determinativum divini intellectus ad cognoscendum infallibiliter futura, sive absoluta, sive conditionata juxta naturam decretorum. Haec praedeterminativa decreta satis impugnata sunt in Philosophia, ex qua constat, & decreta praedeterminativa, & Praedeterminationem laedere libertatem. Nihilominus quando agemus de scientia media, opus erit rationibus Theologicis hujusmodi decreta impugnare, & ostendere esse Deo impossibilia. Interim rationibus Philosophicis eam breviter rejicimus: quapropter.

Contra 1. Voluntas humana ut se determinet absolute ad aliquem actum liberum, non requiritur, quòd praedeterminetur à DEO per decretum praedeterminans absolutum ex parte objecti, sive objective absolutum; ergo neque ut se determinet sub aliqua conditione, requiritur tale decretum objective conditionatum. Consequentia tenet, quia ut futurum liberum existat sub aliqua conditione, non requiruntur alia principia sub ea conditione, nisi ea, quibus absolute positus effectus absolute existit: ergo si, quando absolute existit, non requirit ex parte principii decretum praedeterminans, neque illud requirit, ut existat sub conditione. Probat igitur primum antecedens, in quo stat difficultas; quia physica praedeterminatio, adeoque & decretum praedeterminativum libertatem extinguit; est enim à voluntate inimpedibile per se requisitum ad existentiam effectus, simulque connexum cum altero libertatis extremo. Atqui tale principium inimpedibile libertatem evertit; ergo &c.

Contra secundo, & explicatur ulterius eadem ratio. Quando aliquis syllogismus est in modo, & figura recte dispositus, ille, qui non potest impedire praemissas, nequit impedire conclusionem. Sic in hoc syllogismo: Omnis homo est animal rationale: sed Petrus est homo; ergo Petrus est animal rationale, eo ipso, quòd ego non possum impedire veritatem praemissarum, neque

neque possum impedire veritatem conclusionis: atqui idem eventus respectu hujus conclusionis; ergo *Petrus non consentit*, si requiratur physica præmotio ad consensum; ergo &c. Prob. min. Ille est syllogismus rectus in Ferio nullus imprædeterminatus ad consensum consentit: sed Petrus est imprædeterminatus ad consensum; ergo non consentit: atqui in hoc syllogismo Petrus non potest evitare præmissas; ergo neque potest evitare hanc conclusionem; ergo *Petrus non consentit*, ac proinde non est liber ad consensum. Probat. min. Petrus non potest liberè evitare veritatem illius majoris; nam, ut docent Thomistæ: Deus non esset Deus, si Petrus consentiret sine prædeterminatione ad consensum. Deinde non potest liberè evitare veritatem illius minoris: etenim, ut docent Thomistæ, non est in libertate Petri habere, vel non habere, impedire, vel non impedire physicam præmotio- nem, sed in libertate solius Dei, præmotio enim, ut ipsi ajunt, non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis; ergo non potest Petrus evitare veritatem illarum præmissarum.

459. Eodem modo possunt efformari argumenta in quovis alio modo, & figura ex Aristotelicis. Quod ut facile percipiatur, supponamus omnes homines esse prædeterminatos ad consensum: quo in casu apparet, omnes esse necessitatos ad consensum, nullumque esse liberum ad dissen- sum, ut ostenditur in hoc Syllogismo in Barbara: omnes prædeterminati ad consensum consentiunt: sed omnes homines sunt prædeterminati ad consensum; ergo omnes homines consentiunt. En syllogismus, in quo, cum homines prædeterminati non possint evitare veritatem præmissarum, ut constat ex n. super. neque possunt evitare veritatem conclusionis, ac proinde necessariò consentiunt. Idem apparet in hoc syllogismo in Celarent, supponendo, quòd omnes homines sint imprædeterminati ad consensum. Sic enim efformatur: nullus imprædeterminatus ad consensum consentit: sed omnes homines sunt imprædeterminati ad consensum; ergo nullus homo consentit. Tandem eadem vi formatur syllogismus in Darii: Omnis prædeterminatus ad consensum consentit: sed Petrus est prædeterminatus ad consensum; ergo Petrus consentit. Petrus enim non potest evitare veritatem præmissarum, ut constat ex dictis; ergo neque veritatem conclusionis.

## SECTIO II.

### *Solvuntur opposita.*

460. Objic. 1. contra primam conclusionem: ut propositio de futuro contingente sit determinatè vera, debet salvari ex parte objecti aliquid præsens in instanti, in quo profertur propositio, ad hoc ut res ita eveniat, accedente tempore importato per copulam: sed hoc præsens non potest esse nisi decretum Dei efficax subjektivè, & objectivè absolutum; ergo &c. Confirm. nulla res potest denominari nunc co-

gnita alba, & amata, quin de præsentì detur cognitio, albedo, & amor, quando profertur propositio; ergo neque potest propositio denominari vera, quin detur de præsentì verificativum objectivum consistens in illo decreto Dei. Resp. neg. maj. quia ut propositio affirmans rem futuram sit de præsentì vera, satis est, quòd detur postea res affirmata: at ut detur postea, non requiritur, quòd detur nunc aliquid, quòd sit rei formalis futuritio, sed sat est, quòd res nunc non existat, & postea existat.

Ad Confirm. dist. ant. si ly cognita alba, & amata sumantur per statum conc. si sumantur per alienationem neg. ant. & conseq. Ratio est, quia, ut sit vera ista propositio, intra viginti annos Petrus erit cognitus à Paulo, amatus, & dealbatus, non requiritur de præsentì cognitio Pauli, albedo, aut amor; sed satis est, quòd istæ formæ, quæ nunc non existunt, postea pro suo tempore existant, illumque denominent. Idem ergo dicimus de objecto attracto à propositione affirmante futurum. Quòd si in argumento adsumant adversarii, ut asserere videntur, eas formas per statum, consequentia nulla est. Cum de requisito ad rem per statum ad requisitum rei per alienationem, consequentia non teneat, ut constat ex dictis à num. 310.

Objic. 2. Contra secundam Conclusionem. 461. Propositio de futuro libero absoluto non est determinatè vera antecedenter ad actuale decretum Dei, quòd actu existat; ergo neque propositio de futuro libero conditionato erit determinatè vera antecedenter ad actuale decretum Dei, quòd actu existat. Resp. Conc. ant. & neg. conseq. Quia futurum absolutum est, quòd absolute existit; cum autem non possit absolute existere absque decreto Dei, ut constat à n. 449. Exinde non potest ea propositio habere determinatam veritatem ante decretum Dei, actu existens: at verò ad futurum conditionatum non requiritur, quòd absolute existat, sed quòd existeret, si apponeretur conditio: ac proinde solùm requiritur, quòd daretur decretum Dei requisitum ad illius existentiam; non autem quòd actu detur.

Objic. 3. Contra tertiam Conclusionem, 463. Causæ secundæ pendent in operando ab omnipotentia; ergo ista de se sufficienter est applicata, & conditionatè necessitata ad concurrendum, si adsint alia comprincipia, & exclusio passiva impedimenti inevitabilis præcisim ab omni decreto: ac proinde poterit Deus cognoscere determinatam veritatem futuri independentem ab omni actuali decreto libero in essendo. Confirm. Immenitas divina est necessitas existendi, & correspondendi omni loco ex suppositione, quòd detur locus, præcisim ad omni decreto (idem esto de æternitate respectu temporis) ergo etià omnipotentia erit necessitas concurrendi ex suppositione passiva exclusionis omnis impedimenti inaufertibilis à voluntate, præcisim à Dei decreto. Resp. Conc. ant. & neg.

neg. conseq. Ratio est, quia licet causæ secundæ pendeant ab omnipotentia in operando, non pendent nisi ab omnipotentia volente concurrere ita liberè, ut possit dari causa ex se potens producere, quin omnipotentia concurrere velit, ut patet in igne Babylonico, qui non comburebat ex defectu applicationis omnipotentia. Qua de causa omnipotentia dicitur virtus moraliter operativa ad extra, à qua pendent contingentia creaturarum: adeoque nunquam datur exclusio omnis impedimenti, si deur carencia omnis decreti.

444. Ad confirm. Retorqueo argumentum: immentitas est necessitas coexistendi omni loco non solum præcisim ab omni volitione divina, sed etiam præcisim ab omni exclusione nolitionis, ita ut non possit Deus nolle, quòd, si deur locus, immentitas coexistat loco; ergo etiam omnipotentia erit necessitas concurrenti cum causa secunda præcisim ab exclusione nolitionis concurrenti. Respondeo deinde neg. conf. Ratio est, quia immentitas quæ talis non est executiva ejus, quòd divina voluntas liberè vult, sed est essentialis exigentia ubique existendi, quæ nullum divinæ voluntatis actum ad hoc munus requirit, sicut nullo potest impediri, ut existat ubique: at vero omnipotentia quæ talis, ut ex Scriptura, Patribus, & ratione constat à n. 449. est potentia executiva ejus, quòd Deus liberè vult: adeoque sicut potest impediri per nolitionem ad opus, ita requirit volitionem, ut operetur.

445. Objic. 4. Contra quartam conclusionem, implicat res transire à statu possibilitatis ad statum futuritionis infallibiliter, nisi per decretum efficacem cum ea veritate connexam: sed futura sive absoluta sive conditionata transeunt à statu possibilitatis ad statum futuritionis infallibiliter; ergo futuritio infallibilis stat in decreto efficaci. Confirm. Res indifferens ad existendum eger aliquo determinativo distincto, quo determinetur ad existendum: sed res, quæ dicitur futura, est indifferens ad existendum; ergo &c. Resp. dist. maj. Res transire liberè & per alienationem neg. necessariò, & per statum omitto maj. & dist. min. Transeunt sumptò ly transeunt per alienationem conc. per statum neg. min. & conf. ut constat ex n. 313. Ad confirm. dist. maj. Res indifferens modo, quo est indifferens conc. modo, quo est determinata, neg. maj. & dist. min. est indifferens in causa, & antecedenter conc. in se ipsa, & consequenter neg. min. & conf. Ratio est, quia nulla res prout est, est indifferens, ut non sit: adeoque ex suppositione, quòd sit à causa, prout est, necessariò est. ceterum cum ea suppositio, quòd sit, non se habeat ex parte causæ ad utrumque indifferens, sed ex parte effectus procedentis à causa, ea ratione est suppositio consequens causam.

446. Objic. 5. Contra quintam conclusionem. Rem esse futuram sub conditione est aliquid reale, cū verè à Deo cognoscatur: atqui nihil reale assignari potest, in quo consistat, nisi in actuali de-

creto Dei subjective absoluto, & objective conditionato; ergo in illo consistit. Prob. min. Futuritio conditionata non consistit, sicut consistit absoluta, in actuali existentia seu duratione rei pro suo tempore; Plura quippe sunt conditionate futura, quorum existentia pro nullo tempore verificabitur: sed præter existentiam ipsius rei, nihil restat in quo consistat, nisi in actuali decreto Dei; ergo &c. Resp. dist. maj. aliquid reale per statum neg. per alienationem conc. maj. & dist. mi. neg. conf. Ad probat. dist. maj. non consistit in actuali existentia, quæ erit, omitto, quæ foret neg. maj. & dist. min. neg. conf. Ratio est, quia existentia, quæ foret, si poneretur conditio, est existentia realis; cum sit existentia ipsius rei realis, quæ existeret. Cùm autem illud reale non sit modò actu, sed foret, non est reale per statum, sed per alienationem. Reliqua, quæ ab auctoritate vel ratione objici possunt ex D. Th. constant ex tota disputatione præcedenti; ubi D. Thomam pro nobis stare satis ostensum est. vide à n. 540.

### SECTIO III.

#### De Infallibilitate, & Immutabilitate Scientiæ visionis.

A Ssero 1. Fide certum est, Deum certissimè, & perfectissimè cognoscere ab æterno futura contingentia absoluta. Prob. 1. Deus cognoscit veritates contingentes in se ipsis, quæ erunt, vel non erunt; licet enim contingens sit, quòd res existat, vel non existat: at prout exitura est, necesse est, ut consequenter existat, ut habet D. Thomas distinct. 39. art. 1. dicens: Ad 3. dicendum, quòd illud, quòd est, necesse est esse, dum est: absolute tamen loquendo non necesse est esse: ita & Deo scire necesse est scire, dum scit: non tamen necesse est eum scire, nisi necessitate immobilitatis, quæ voluntatis libertatem non excludit: & hæc libertas significatur, cùm dicitur, quòd Deus potest hoc non scire, vel non velle, sed quidquid scibile est, certissimè, & perfectissimè à Deo scitur; ergo futura contingentia in se ipsis certissimè, & perfectissimè à Deo sciuntur.

Prob. 2. ex Eccl. 39. *Opera omnis carnis coram illo, & non est quidquam absconditum ab oculis ejus. à seculo usque in seculum respicit, & nihil est mirabile in conspectu ejus. Cujus ratio ex perfectione divini intellectus, sive intuitus divini ibidem redditur cap. 23. Oculi Domini multò plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes. Tum etiam Pl. 138. Intellexisti cogitationes meas de longe, semitam meam, & funiculum meum investicasti, & omnes vias meas prævidisti; quia non est sermo in lingua mea. Ecce Domine tu cognovisti omnia novissima, & antiqua. Quem in sensum Hieron. Ambrosius, & August. aliique Patres interpretantur illud ad Rom. 4. *vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt*, nempe cognoscit*

cognoscit, quæ nondum sunt, non secus ac ea, quæ jam sunt. Eodem etiam pertinent revelationes omnes & Prophetiæ, quæ in sacris litteris habentur frequentes circa futura contingentia. Unde Tertull. lib. 2. contra Marci c. 5. accuratè dixit: *Præscientia namque Dei tot habet testes, quot fecit Prophetas.* videatur Montoya *disp. 22. de scientia Dei sect. 1.* & Petavius *tom. 1. dogmatica Theologica lib. 4. c. 6.* plura alia testimonia afferentes; ergo &c.

469. Veritas ista tam manifesta, & conformis naturæ lumini visa est Aug. ut ipso teste, non nisi ab infano negari possit. Dum enim contra errorem Ciceronis, qui, ut faceret homines liberos, faciebat sacrilegos, negando hanc Dei præscientiam, arguit Augustinus lib. 5. de civit. cap. 4. in hunc modum: Nam & confiteri esse Deum, & negare præscientiâ futurorum, aperitissima insania est. Ratio autem Augustini est clara; quia sublata ista scientia eo ipso auferetur Deo providentia compensativa bonorum, & malorum operum, distributio præmiorum, & suppliciorum, potestas prædicendi certè futura contingentia, & disponendi de præsentibus res omnes, & singulas, prout congruit respectu eorum, quæ exitura sunt tempore sequenti. Insuper negatur Deo notitia circa actus liberos singulorum hominum, æqualis illi notitiæ, quam homines de suis actibus habent, cum ipsi eos actus in se ipsis cognoscant, secus autem Deus: ergo, ne ita sentiat de Deo, concedenda illi est præscientia futurorum.

470. Affero 2. Futura absoluta libera præsciuntur à Deo in se ipsis, ita S. Thomas, quem omnes nostri Doctores sequuntur: tum etiam Scotus & alij citati n. 331. Prob. 1. ex D. Th. id sæpe & expresse docente præcipue à n. 340. & 382. ubi ait non posse cognosci in proximis eorum causis, sed in se ipsis; ergo &c. Confirm. 1. Nullum est prædicatum, nec causa, aut mediū per se præsuppositum ad actum liberum, in quo infallibiliter possit cognosci actus liber, aliter esset connexum cum ipso futuro libero, & inimpedibile à libertate, adeoque non constituens, sed evertens libertatem, ut constat à n. 457. ergo &c. Confirm. 2. Ut Deus futura absoluta cognoscat, sufficit, quòd derur determinativum ex parte Dei, hoc est subjectivum: & insuper determinativum ex parte objecti, sive objectivum: atqui ex parte Dei virtus divina simpliciter infinita in linea intelligendi est determinativum subjectivum ad cognoscendum omnia ex suppositione quòd sint cognoscibilia. Determinativum autem objectivum est veritas objecti, quod pro sua temporis differentia erit: Implicat enim, quòd, si objectum in tempore sit, non cognoscatur ab æterno à Deo, ut tali tempore exiturum; ergo &c.

471. Prob. 2. Ratione Ex. Doctoris: Deus nunc, quando actus liber meæ voluntatis est præsens, cognoscit illū in se ipso præsciendendo ab omni alio medio; ergo etiam ab æterno cognovit

hunc meum actum in se ipso. Ant. patet, quia nunc, quando actus meus existit, jam habet in se veritatem determinatam, ratione cujus est cognoscibilis in se ipso, & distinguitur à purè possibili & futuro. Conseq. verò prob. Omnis cognitio, quæ in tempore est in Deo, fuit in Deo ab æterno: sed nunc in tempore est in Deo cognitio cognoscens meum actum in se ipso; ergo ab æterno fuit in Deo hæc cognitio cognoscens meum actum in se ipso. Ab æterno cognoscit Deus meum actum non extitisse usque ad hoc instans, nec potuit cognoscere, quòd in hoc instanti non existeret, cum in hoc instanti existat, & divina cognitio nō possit esse falsa; ergo ab æterno cognoscit quòd in hoc instanti erat verè cognoscibilis, adeoque actus meus liber terminavit ab æterno cognitionem divinam affirmantem illum in se ipso exiturum in hoc instanti. Responsiones communes adversariorum præoccupatæ sunt n. 343. & 457.

Affero 3. Divina scientia futurorum contingentium in se ipsis est infallibilis, & immutabilis. Prob. 1. ex dictis à n. 283. ibi enim scriptura docet scientiam divinam evidentissimam, & certissimam esse: atqui si non esset infallibilis, & immutabilis, neque esset certissima, neque evidentissima, cum non haberet metaphysicam connexionem cum objecto, ut ab ipsa affirmatur; ergo &c. Confirm. 1. Si scientia Dei non esset infallibilis, Deus posset ignorare, & falli: si non esset immutabilis, Deus transire posset de sciente in non scientem: sed istæ imperfectiones naturæ lumine divinæ scientiæ repugnant; ergo &c. Confirm. 2. Licet objectum transire posset de non actuali in actuale, vel de non præterito in præteritum; adeoque in hoc sensu mutari: at divina scientia non potest affirmare illud objectum præsens, nisi pro tempore, pro quo est præsens: sicuti neque potest affirmare illud futurum, aut præteritum nisi pro tempore, pro quo tale est, sed exinde quamvis mutetur objectum, divina scientia nunquam mutatur, ergo &c.

Probat. 2. Si esset divina scientia fallibilis, & mutabilis, vel procederet ex parte intellectus divini cognoscens objectum, vel ex parte objecti cogniti: sed nullo modo potest esse fallibilis, & mutabilis; ergo &c. Probat. min. intellectus divinus si ex parte sui posset decipi, non esset divinus, cum non haberet omnem perfectionem possibilem in linea cognoscendi; deceptio enim & omnimoda perfectio cognoscitiva sunt termini implicatorij. Mutatio autem objecti non mutat scientiâ eam variationem affirmantem, imò conformatur cum scientia; ergo ex nullo capite potest divina scientia pari fallibilitatem, aut mutationem; adeoque ex essentia sua est infallibilis, & immutabilis. Unde determinatio subjectiva divini intellectus ad hæc futura, cum non sit absoluta, ut actu cognoscat, sed ex suppositione, quòd res sint futuræ, ea de causa, si res futura est respectivè ad

ad hoc tempus, & non ad illud, nequit divina scientia affirmare rem futuram respectivè ad aliud tempus, sed ad istud; ac proinde infallibiliter, & immutabiliter attingit sua objecta, & futura libera. Ex dictis.

474. Fit 1. Quando Anselmus *cap. 1. de Concord. Præscientiæ, & Libertatis* S. Thomas, aliique Patres ajunt ad præteritum nullam dari potentiam, bene verò ad præsens, & futurum, id esse intelligendum non quidem de potentia impedibilitatis, sed de potentia immutabilitatis. Ratio est, quia si loquamur de impedibilitate, sicut præsens, & futurum antecedenter natura, possunt impediri à suis causis, ita & præteritum. Rursus sicut ex suppositione, quòd præteritum sit præteritum, non potest impediri, ita etiam & præsens, & futurum. Nihilominus præsens, & futurum differunt à præterito in potentia mutabilitatis; nam ex suppositione, quòd res sit præterita, nulla est potentia, quæ possit facere saltem juxta communem operandi modum, rem desinere esse præteritam: etenim quòd semel est præteritum, fieri nõ potest, ut non sit præteritum: at quamvis res sit præsens, fieri potest juxta communem operandi modum, ut desinat esse præsens, transiendo in præteritam: Tum etiam ex suppositione, quòd sit futura, potest transire in non futuram, transiendo in præsentem, aut præteritam.

475. Fit 2. Cognitionem futurorum in se ipsis esse propriam divini intellectus: Ratio est, quia cognoscere rem in se ipsa, antequam sit, non potest competere nisi intellectui infinito, & infinite perspicaci; Iste quippe est modus cognoscendi per cognitionem, ad quam non datur aliud determinativum extra intellectum, nisi veritas ipsius objecti: sed veritas objecti, quæ de facto nihil est, sed solum erit, non potest determinare intellectum alium, nisi intellectum, qui sit determinatus ad cognoscendum omne verum ex suppositione, quòd verum sit. Quòd solum competit intellectui infinito; ergo &c. Minor, & consequentia tenent. Major autem patet; quia si aliud determinativum daretur, vel esset objective, vel physicum? Si objective, jam non cognosceretur res futura in se ipsa: si physicum; vel esset illi necessarium, vel contingens? necessarium esse non potest; nam cognitio futuri esset simpliciter necessaria, cum à nulla contingente conditione penderet. Contingens esse non potest; quia ad hoc determinativum querendum esset aliud determinativum; & sic abiremus in infinitum. Qua de causa attendendo ad cognitionem harum rerum in se ipsis, dixit Augustinus n. 345. Deum non cognoscere ut hominem, neque ut Angelum.

476. Fit 3. Adversarios negantes intellectui divino cognitionem futurorum in se ipsis, denegare ex uno capite Deo magnam perfectionem, & ex alio aperto Marte pugnare contra S. Thomam. Hoc ultimum patet ex tot locis, in

R. P. Gormanæ Theolog. Tom. I.

quibus Angel. Doctor suam aperit mentem, ut constat à n. 340. & ex tota disp. 7. Insuper egere determinativo objective de præsentem existente ad cognoscendum futurum, non est tanta perfectio intellectus, quam non egere tali determinativo; nam modus cognoscendi futura in decretis, vel alio determinante ab æterno existente, etiam competere Angelis, & hominibus, si ab æterno existissent, & agnosceret ea præsentia decreta. Unde, quando S. Thomas ait, DEUM cognoscere futura in se ipsis, & in suis causis, satis explicat eam cognitionem divinam assertivam, & infallibilem esse, prout attingit futura in se ipsis: prout verò attingit ea in suis causis, non esse enunciativam, sed apprehensivam, vel quasi suspensivam, cum affirmari non possit in suis causis, nisi conjecturaliter, & fallibiliter, ut expressè habet num. 340. Quæ affirmatio conjecturalis, cum subesse possit falsitati, rejicienda est à divino intellectu.

477. Fit 4. Scientiam futurorum contingentium in se ipsis, quæ nobis libera sunt, esse posteriorem natura consensu nostro libero, non ea sola posterioritate, quæ stat in lata dependentia ab independenti, seu connexione ab inconnexo, sed posterioritate naturæ, quæ simul est quasi Posterioritas à quo; subsequitur enim scientia futurum tanquam prærequisitum ad ipsam, seu conditionem, non quidem physicam, sed objective constituentem actum primum proximum intellectus divini ad habendam scientiam: Futurum verò non dependet à tali scientia tanquam à causa, neque prærequisito constituyente actum primum proximum: atque adeo scientia subsequitur futurum tanquam quid se habens ex parte principii saltem denominativè. Nam quidquid constituit actum primum proximum, denominatur principium: at verò futurum non ita dependet à scientia; ideòq; S. Justinus mart. in lib. *Quest. quest. 58.* Hæc præclarissima habet verba: *Et non est præscientia causa ejus, quod futurum est, sed id, quod futurum est, causa præscientiæ; siquidem non præscientiam consequitur futurum, sed futurum consequitur præscientiam: sed haud quaquam præscius causa est futuri. Quo circa non Christus causa est proditiõis Judæ &c. verum Proditio est causa Domini præscientiæ: atque de Diabolo, & primo homine eadem est ratio.* Hæc Just.

478. Fit 5. Existentiam futuri liberi in tempore esse conditionem, vel prærequisitum constituens actum primum proximum ad scientiam ipsius futuri nobis liberi. Ratio est, quia illud est prærequisitum constituens actum primum proximum potentia, sine quo ex uno capite non datur actus primus proximus, & ex altero nequit acquiri per exercitium suum à potentia; sed sine veritate futuri nequit intellectus divinus habere cognitionem, neque per suum actum potest acquirere existentiam futuri: eo autemposito potest;

ergo veritas ipsa futuri absoluti, sive ejus existentia pro suo tempore expedit intellectum divinum ad cognitionem, ut innuimus n. 267. Rursus actus primus proximus ad cognitionem existentiae futuri pro instanti a nequit dari sine existentia futuri pro instanti a; ergo vel debet constitui, vel debet essentialiter connecti cum existentia futuri pro instanti a: sed nihil datur connexum cum existentia futuri pro instanti a, quod possit constituere intellectum divinum in actu primo proximo, cum praeter existentiam futuri nihil detur ultra entitatem intellectus divini, quae nulla ratione; connectitur cum existentia futuri pro instanti a; ergo debet constitui in actu primo proximo per existentiam futuri pro instanti a.

### SECTIO IV.

*Solvuntur Opposita,*

*Et*

*Conciliatur humana Libertas cum Praescientia.*

479. **C**ontra divinam praescientiam futurorum contingentium nobis liberorum pugnarunt plures Ethnici, & Haeretici, consentes eam cum libertate nostra non posse conciliari. E converso alii cum Cicerone negarunt praescientiam, ut concederent libertatem, quos late impugnat Suarez *Proleg. 1. de Gratia c. 2. & disp. 1. de Voluntario sect. 2.* ubi quatuor distinguit errores circa modum, quo necessitari possit voluntas. Tum etiam Bellarminus *de Gratia, & Lib. arbit. cap. 1. & 4.* pluresque alii. Caeterum, ut appareat, quam stulte Gentiles, & Haeretici in hos errores prolapsi sint, operae pretium erit in hac sectione eorum argumenta dissolvere. Pro majori autem claritate supponendum est, triplicem esse libertatem, nempe a servitute, a coactione, & a necessitate. Libertas a servitute est libertas gratiae, ratione cujus extrahimur a servitute peccati: etenim, ut ait Christus Joan. 4. omnis, qui facit peccatum, servus est peccati, unde, qui justificatur ratione gratiae sanctificantis, extrahitur ab hac servitute, & reducitur ad libertatem Filiorum Dei, quam libertatem amisimus per peccatum; & de ea intelligendi sunt SS. PP. dum dicunt, peccando amisimus esse libertatem. Libertas a coactione est spontaneitas, & voluntarietas, quae cum absoluta necessitate componitur. Sic Pater aeternus amat Filium spontaneè, & non coactè, licet non sit indifferens ad illum amandum, vel non amandum: adeoque ille amor dicitur liber a coactione, secus autem a necessitate. Libertas a necessitate est libertas indifferentiae, qua potentia libera est proximè potens ad eliciendum actum, vel illum omitendum, ad merendum, vel demerendum, qua gaudemus nos etiam post peccatum. His positis

480. **Objic. 1.** contra primam Conclusionem ex

Haereticis. Plura loca Scripturae, & SS. PP. quae videri possunt apud Bellarm. loc. cit. sunt, in quibus Liberas soli Deo tribuitur, non nobis; ergo cum divina praescientia non manet in nobis libertas indifferentiae. Resp. neg. conseq. Quia plura ex his testimoniis intelligenda sunt respectu aliquarum actionum exter-narum, quae nobis neque ad laudem, neque ad vituperium sunt imputabiles, eo quod ad eas nullam libertatem indifferentiae habeamus, ut bene explicat Arriaga. Alia verò testimonia intelligenda sunt de libertate suprema, qua Deus nos liberè produxit, & liberè potest destruere, seu de libertate principalis Auctoris, ut explicat Suarez, non verò de libertate indifferentiae ad utrumque, sive ad bene, vel malè operandum, de qua loquimur. Alia verò intelligenda sunt de libertate a servitute peccati, vel a miseria, qualem libertatem habuit primus homo in Paradiso, quae non remanet in nobis post peccatum; nunquam autem loquuntur SS. PP. de libertate indifferentiae, cum dicunt non esse in nobis libertatem ad bene operandum. Hanc distinctionem notavit optimè Augustinus *lib. 1. contra duas Epistolas Pelagianorum c. 2.* ubi haec habet: *Quis nostrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem perit per peccatum, sed ea, qua in Paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate iustitiam. Nam liberum arbitrium usque adeo in peccatore non perit, ut per illud peccent maxime omnes, qui cum delectatione peccant.* Haec ille. Unde Libertas indifferentiae ad peccandum, vel non peccandum manet in nobis, ideoque alii sunt majores peccatores, quam alii.

**Objic. 2.** Deus ab aeterno praescit, quid nos simus facturi; ergo cum nos non possimus 481. eam scientiam reddere falsam, non habemus libertatem ad non faciendum id, quod DEUS praevидit. Hoc argumentum tetigere olim Aristoteles, & Tullius, qui non valentes utramque veritatem conciliare, judicaverunt fatius esse dicere, non esse liberos, quam Deum praescire futura. Unde ne negarent nostram libertatem, negaverunt Deo hujusmodi praescientiam, immeritò tamen; veritas enim veritati non opponitur, neque neganda est una, ut asseratur alia. Quinimò haec utraque veritas facillimo negotio componitur, si principia hucusque a nobis stabilita recolantur, ex quibus Resp. dist. ant. Praescit Deus praescientia subsequente actus nostros liberos conc. antecedente prioritate naturae neg. ant. & conseq. Quia praescientia Dei de nostris actibus liberis licet sit ab aeterno, ita illos subsequitur, ut haec sit vera propositio: Ideo DEUS praescit me contenturum; quia ego consentio. Nec valet a priori è converso: Ideo ego consentio, quia DEUS praescit.

Quare

42. Quare præscientia illa licet tempore prior, non minus subsequitur actus meos liberos posterioritate naturæ, quam visio Petri; quæ videt me liberè moventem; subsequatur meum liberum motum. Etenim non est verum à priori, me liberè moveri in eo instanti, quia datur ea visio Petri: sed econtra ideo dari eam visionem Petri de meo motu libero; quia ego liberè me moveo. Unde sicut, quod ea visio falli nequeat; non efficit, ut ego necessariò movear: ita etiam, quod Deus ab æterno viderit me movendum; non infert eam necessitatem illi morui. Etenim si ego ex mea libertate non fuisset movendus, Deus id non præcivisset; sed contrarium; ut acutè dixit Just. Mar. n. 477. Exinde sicut visio alterius non me necessitat ad motum, ex eo, quod ego non me moveo; quia illè videt, sed potius ille videt, quia ego me moveo: ita Præscientia Dei non me necessitat ad meum liberum motum; nam etiam ego non ideo moveor, quia Deus præcivit; sed ideo Deus præcivit, quia ego moveor. Quod idem apparet in speculo representante me ad ejus aspectum liberè moventem: non enim ideo me liberè moveo, quia speculum me representat: sed econtra ideo speculum representat me liberè moventem, quia liberè me moveo.

43. Objic. 3. Deus prædestinat homines ab æterno: sed posita prædestinatione non potest homo non salvari: & è converso ea non posita, non potest salvari; ergo homo non habet libertatem indifferentiæ ad salutem. Hæc difficultas adeò magna visa fuit Cajetano 1. Part. quest. 22. art. 8: ut eam dicat inexplicabilem, & intelligibilem in hac vita: Ariagæ verò disp. 6. de Act. Hum. adeò facilis visa est ista conciliatio Prædestinationis cum libertate admissa scientiâ mediâ, ut eam planè judicet de facilitatibus Theologiæ. Resp. igitur, ut supra dist. maj. Prædestinat per aliquid independens à nostris actibus liberis neg. dependens conc. maj. & dist. min. non potest non salvari ea potentia, quæ potest evitare prædestinationem neg. quæ non potest conc. min. & neg. conseq. Ratio est, quia Prædestinatio, sive sit in Prædestinatione DEI intentiva; sive in collatione auxilii indifferentis prælucenti scientiâ mediâ, sive in quovis alio, de quo dicemus in Disputationibus de Prædestinatione, cum dependeat à nostris actibus liberis, nequit libertatem nostram evertire; ut constat ex n. superiori: ea enim dependentiâ supra explicata; facit ut ex parte nostra præcedat actus primus indifferens ad utrumque libertatis extremum: aliter non esset dependentiâ inferens, sed destruens libertatem; ut Disput. de Providentiâ & Gratia latè dicentur.

44. Objic. 4. Contra secundam assertionem. Si Deus prævidere futura absoluta in se ipsis; non possemus evitare illam Dei scientiam: ea enim actualiter est antequam actu sit peccatum meum; nec datur potentia ad evitandum, quod

R. P. Gormanæ Theolog. Tom. 1.

jam est positum: ergo non maneret in nobis libertas. Confirm. 1. Deus non solum præcivisset futura in se ipsis, sed etiam cognosceret suam præscientiam esse necessariò veram: sed non possumus impedire ne scientia Dei sit necessariò vera: ergo &c. Confirm. 2. Si voluntas humana non peccaret tunc, quando prævisa est à Deo peccatura, redderet falsam Dei scientiam: sed eam non potest reddere falsam; ergo neque potest non peccare. Confirm. 3. Scientia visionis est causa, quod futura sint futura: sed non possumus evitare causam; ergo neque possumus evitare peccatum futurum. Min. & conseq. tenent. Maj. patet ex Augustino Tom. 3. lib. 6. de Trin. c. 1. dicente: *Non enim hæc, quæ creata sunt, ideo sciuntur à Deo, quia facta sunt: ac non potius ideo facta sunt, vel immutabilia; quia immortaliter à Deo sciuntur.* Et lib. 15. cap. 13. *Universas autem creaturas suas, & spirituales, & corporales, non, quia sunt, ideo sunt, quia novit: non enim nescivit, quid fuerat creaturus. Quia ergo scivit, creavit: non quia creavit, scivit: nec aliter ea scivit creata, quam creanda; ergo &c.*

Resp. Neg. ant. Quia cum ea scientiâ, etsi ab æterno existens subsequatur posterioritate naturæ operationes liberas; eadem libertate, quæ tales operationes sunt evitabiles; est etiam evitabilis ea scientiâ: ac proinde si creatura nollet ad hunc actum, sed ad oppositum se determinare, non fuisset in Deo ab æterno scientiâ de hoc actu, sed de opposito. Divina namque scientia futurorum contingentium; etsi nõ possit falsificari, dum est; potest tamen impediri, ne sit. Ad primam confirmationem dist. maj. esset necessariò vera necessitate per se subsequente operationem liberam conc. per se antecedente neg. maj. & dist. min. non possumus impedire impediendo scientiam neg. non impediendo scientiam conc. min. & neg. conseq. Quia, dum adest scientiâ Dei; adest & certissima, & verissima: at dum non adest; neque est vera; neque falsa: cum non entis nullæ sint qualitates. Unde licet creatura non possit facere; quod scientiâ Dei sit falsa; potest tamen efficere, ne scientiâ DEI sit: etenim si nolit se determinare ad actum liberum; non erit scientiâ visionis de eo actu libero. Ad secundam confirmationem dist. maj. si non peccaret componendo omissionem peccati cum scientiâ visionis de peccato conc. impediendo scientiam visionis de peccato per omissionem peccati neg. maj. & concessa min. neg. conseq. ut constat ex dictis.

Ad tertiam confirmationem dist. maj. ad probationem conc. ant. sive ea testimonia in sensu Augustini & neg. conseq. Quia Augustinus ibi non loquitur de scientiâ visionis; sed de scientiâ simplicis intelligentiæ, quæ adjuncto diviniæ voluntatis actu, sive efficaci; sive indifferenti juxta naturam causæ secundæ est causa rerum. Hæc enim scientiâ est, quæ attingit omnia; & creata, & creanda; & creabilia: ita ut eo-

dem modo attingat illa, sive sint, sive non sint producta, & creata. Nec aliter ea attingit creata, quàm creanda. Cùm autem Augustinus de hac scientia loquatur, ut ex citatis ipsius verbis manifestè apparet: exinde patet evidenter Augustinum loqui de scientia simplicis intelligentiæ, quæ neque se sola, neque cum decreto indifferente ex parte actûs primi ullam infert necessitatem. Nempe Augustinus rem indécisam reliquit, sed mentem suam clarissimè aperuit, quod facile comprobabunt aduersarii, si legant Augustinum. Quando enim agit de scientia visionis, clarè ait, non esse causam rerum, neque dari peccatum, quia datur præscientia illius: sed econtra: Legatur tom. 5. lib. 1. de Civitate DEI cap. 1. Ubi hæc: *Neque enim ideo peccat homo, quia Deus illum peccatum præscivit: imo ideo non dubitatur ipsum peccare, dum peccat; quia ille, cujus præscientia falli non potest, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, sed ipsum peccatum esse præscivit, qui si nolit, omnino non peccat: sed si peccare noluerit, etiam hoc ille præscivit.* Hæc Augustinus. Sed de his latius sectione seq. Vide à num. 352. ubi soluta sent alia, quæ contra hanc assertionem possent opponi.

487. Objic. 5. Contra tertiam conclusionem. Sunt modi cognoscendi, quos de novo Deus habet in tempore, & quos ab æterno habere non potuit: & sunt, quos habuit, & de facto non habet; ergo divina scientia quoad denominationem sic vel aliter scientis, variabilis, vel mutabilis est. Probat. antecedens. Eo quòd Antichristus existat in instanti B. & non in instanti A. Antecedenti, neque in instanti C. subsequenti, accedente instanti A cognoscit Deus hoc modo: nunc existit Antichristus. Atqui hanc cognitionem non potuit habere ab æterno, neque in instanti A. Antecedenti, neque potest illam conservare in instanti B. subsequenti; ergo &c. Probat. min. Si Deus haberet eam cognitionem in instanti A. antecedente, vel in instanti C. subsequenti, falsificaretur cognitio dicens: Antichristus nunc existit, sicut falsificaretur divina revelatio dicens: nunc existit Antichristus, si proferretur in instanti, in quo non existit; ergo &c. Confirm. In instanti A. antecedente dicit DEUS: Antichristus nunc est futurus, quod non affirmat in instanti B. quando jam existit: Deinde in instanti C. subsequente affirmat: nunc est præteritus, quod non affirmabat in instanti A. nec B. ergo habet in uno instanti cognitionem, quam non habet in alio.

488. Resp. Neg. antecedens. Ad probationem dist. maj. *nunc existit* significando purè indifferentiam objecti, & confusè tempus illud, quod respondeat cognitioni neg. significando clarè, & comprehensivè, & objectum, & tempus pro quo divina cognitio affirmat objectum illud futurum conc. maj. & dist. eodem

modo minori, cum probatione neg. conseq. Explico solutionem. Deus accedente instanti B. in quo Antichristus existit, non habet hanc cognitionem, Antichristus nunc existit, quæ correspondeat illi nunc juxta significationem confusam, & indifferentem, quam apud nos habet, ut ait Augustinus num. 493. Hunc enim modum judicandi nunquam habet Deus, cùm non sit comprehensivus, nec penetrativus instantis B. etenim particula nunc juxta significationem, quam hæc vox habet apud homines, est æquivoca, & confusa, denotans modo unum tempus, postea aliud. Deus autem accedente instanti B. hanc habet cognitionem: Petrus existit in instanti B. & non in præcedentibus, nec in subsequenti, clarissimè penetrans differentias instantium, quam cognitionem habet ab æterno, quin falsificetur. Itaque voces istæ nunc, hodie, manè, dies crastinus, &c. sunt confusæ, & æquivocæ, cùm modo significant unum tempus, & modo aliud. Juxta quam significationem nos utimur, & ita hodie dicimus: Petrus existit nunc, & cras jam dicemus Petrus non existit nunc: ubi Iy nunc non sumitur determinatum, sed indifferens; & capax significandi ex se diversa tempora, Deus autem non ita, sed per suam cognitionem attingit Petrum affirmando illum existentem pro hoc instanti, quæ affirmatio semper est vera, nec variatur per temporum variationem. Qua de causa D. Th. *Tract. de Præsc. & Præd. c. quando ad 3.* Hæc habet: *Non enim Deus videt tantum hanc rem respectu præcedentis temporis esse futuram, & respectu futuri esse præteritam: sed videt id tempus, in quo est præsens, & rem esse presentem in hoc tempore.*

Exinde fit, quòd in instanti C. subsequente non est falsa hæc cognitio, Antichristus existit; quia hoc non dicit per conceptum confusum, sicut nos dicimus per hanc vocem nunc: sed conceptu claro penetrativo instantis B. & relatè ad illud. Idem dico de Revelatione externa, qua nobis Deus revelat existentiam Petri in instanti B. quæ revelatio, in quocunque instanti proferatur, est vera; quia semper loquitur Deus quoad se de existentia Petri relatè ad instans B. licet quoad nos utatur Deus aliquando nostris vocibus imperfectis nunc, tunc &c. Ad confirmationem dist. ant. affirmat, quòd est futurus, & quòd est præteritus conceptibus confusis, & æquivocis neg. claris, & penetrativis instantium. Conc. ant. & neg. conseq. Ratio est, quia Deus unico intuitu dicit, & ut habet D. Tomas num. super. cognoscit hoc pacto Antichristus est præsens in instanti B. & est futurus in instanti A, in quo nondum erat, & est præteritus pro instanti C. in quo jam existit, quæ omnia vera sunt, & verè affirmantur cum hac claritate in quovis instanti: adeoque solum potest dari mutatio ex parte objecti affirmati: secus autem

autem ex parte divinæ scientiæ, ut affirmantis objectum quoad omnes suas mutationes.

490. Objic. 6. Instando simul solutionem. Deus ab æterno dicebat nunc non existit instans A. quod postea existit: veniente verò instanti A jam dicit: nunc existit, & postea non existit; ergo variatur scientia. Confirmatur. Futurum absolutum contingens est verum variabile; ergo non cognoscitur invariabiliter. Resp. dist. sicut supra ant. & neg. conseq. Ratio est, quia DEUS nunquam dicit nunc conceptu confuso, sed conceptu claro ita asserente: instans A exercitè existit in se ipso post omnia instantia priora, & ante omnia posteriora, discernens inter differentias omnium instantium, quod semper est verum. Ad confirmationem dist. ant. est variabile antecederet conc. conseq. & ex suppositione neg. ant. & consequentiam; nam ex suppositione, quod existat in instanti B. jam ab æterno est verum invariabiliter, quod existit in instanti B. & scientia Dei hoc affirmat invariabiliter in quocunque instanti: sicut & affirmat quoad omnes status contingentes objecto, qui ex suppositione quod sint, necessariò sunt; unde est datur ea statum variatio, non datur variatio in scientia representante objectum omni modo, quo se habet in quovis statu. Ex dictis.

491. Fit 1. Nullatenùs componi invariabiliter divinam scientiam per Thomisticam sententiam de Reali, & physica præsentia futurorum coexistentium æternitati DEI ab æterno tanquam in aliena mensura. Ratio est, quia hæc sententia. ut dicemus à num. 513. prout à Thomistis proponitur est imperceptibilis; nam quod non supponitur adhuc productum, neque existens, nequit esse alteri physice præsens: Rursus, ut hæc sententia possit habere aliquem sensum minùs confusum, res deberet habere duplicem præsentiam: unam quidem intrinsecam, quæ temporalis est, & extrinsecam alteram, quæ est æterna: sed implicat ista dualitas præsentiarum; ergo & opinio Thomistica. Minor probat. Quia ut ista dualitas præsentiarum cadere posset in eandem rem, præsentia extrinseca creaturæ, quæ est æternitas DEI, præstare deberet formale effectum præsentis: sed hoc implicat, cum effectus formalis rei physice præsentis, requirat in subiecto pro capacitate existentiam; ergo &c.

492. Fit 2. Neque componi eam immutabilitatem ex mitiori discursu, quo sententiam Thomisticam temperant nostri Doctores, Quiras, Errera, & alii asserentes æternitatem DEI per semetipsam, utpote sibi indivisibiliter identificantem omnes differentias durandi esse physice præsentem futuris, licet futura non sint ipsi pro tota æternitate præsentia. Ratio est, quia Deus sine successione

durandi est præsens successivis: successiva verò durandi limitate per successivas durationes. Unde inferunt verè haberi à Deo etiam ab æterno modum affirmandi de præsentia, qualis est hic; iste mundus nunc existit; quia nunc quod Deus affirmans significat, est nunc suum. Nunc autem Dei est æternitas, quæ cum sit ratione sui physice omnibus præsens differentiis temporum, & rebus omnibus, quantumvis successivè durantibus, sufficit verificare affirmationem de præsentia.

493. Cæterum, quidquid sit de Veritate hujus doctrinæ, de qua modò non curo, cum nunc Dei ita explicatum non significet confusionem, sicut ly nunc à nobis assumptum, ut supra diximus, & notavit Augustinus tom. 1. lib. 11. de Civitat. cap. 21. dicens: *Non more nostro DEUS, vel quod futurum est, prospicit, vel quod præsens est aspicit, v. l. quod præteritum est, respicit: sed alio modo quodam a modo nostrarum cogitationum longè, lateque diverso. Nec aliter nunc, & aliter antea, & aliter postea: Quoniam non sicut nostra, ita & ejus quoque scientia, trium temporum præsentis videlicet, & præteriti, vel futuri varietate mutatur.* Ex hoc autem discursu nequaquam componitur scientiæ divinæ immutabilitas; nam correspondentia actualis temporum ad æternitatem solum accidit in propriis differentiis temporum: eaque est verè de præsentia affirmabilis ita, ut unice verificari possit per ipsam successivam correspondentiam; atqui apud istos Auctores, licet æternitas DEI correspondeat indivisibiliter omni tempore, non est id, quo singula tempora sibi correspondent; ergo se sola non sufficit ad verificandum eos modos affirmandi.

## SECTIO V.

### *An scientia visionis sit causa rerum præscitarum?*

Supp. 1. Omnia DEUM operari per intellectum, & voluntatem. Ratio est, quia, ut constat à num. 449. DEUS nihil producit, nisi volendo, aut permitiendo, quòd fiat: Quapropter certum est, scientiam simplicis intelligentiæ prærequiri ad productionem effectus saltem ut dirigentem DEUM ad creaturam producendam. 494

Supp. 2. Scientiam conditionatam posse præsupponi per accidens ad effectus productionis dirigendo voluntatem divinam, & proponendo ei media, quibus obtineri possit effectus, ut constabit, quando agemus de Providentia, ubi dicemus, quomodo docere in Schola nostra omnia decreta connexa esse cum scientia media dmnatum sit in Societate, anno 1682. D. 18. n. 877.

Sapp. 3. Scientiam visionis unius objecti posse movere Deum ad productionem alterius effectus; qua ratione scientia visionis de finali impenitentia potest movere Deum ad decernendam, & infligendam pœnam æternam: & ideo omnes istæ scientiæ possunt esse causæ modo prædicto eorum omnium effectuum: nam eo modo, quo ad eum dirigiunt, vel movent, dicuntur concurrere ut causæ: sic scientia & cognitio nostra dicitur causa actionis nostræ, ad quam movet, vel dirigit. Difficultas ergo solum est, an scientia visionis sit causa per se rerum omnium; adeoque se teneat ex parte actus primi per se requisiti ad productionem omnium effectuum præsertim liberorum. Prima sententia affirmat: ita recentiores Thomistæ. Secunda negat: ita S. Augustinus, S. Thomas, & Reliqui PP. qui de hoc puncto egerunt. Quos sequuntur DD. nostri.

495. *Assero cum secunda sententia. Scientia visionis non est causa per se; sive constitutiva actus primi proximi per se requisiti ad productionem omnium effectuum præsertim liberorum. Probat. 1. Auctoritate S. Thomæ q. 14. art. 8. ubi quaerit, utrum scientia DEI sit causa rerum: licet enim non exprimat ibi, de qua scientia loquatur, attamen satis se explicat in corpore dicens: Scientia Dei est causa rerum: sic enim scientia Dei se habet ad omnes res creatas, sicut scientia artificis se habet ad artificata: scientia autem artificis est causa artificatorum, eo quod artifex operatur per suum intellectum, & infra. Similiter forma intelligibilis non nominat principium actionis, secundum quod est tantum in intelligente, nisi adiungatur ei inclinatio ad effectum, quæ est per voluntatem. Cum enim forma intelligibilis ad opposita se habeat (cum sit eadem scientia oppositorum) non producat determinatum effectum, nisi determinaretur ad unum per appetitum, ut dicitur in 9. metaph. Manifestum est autem, quod Deus per intellectum suum causat res, cum suum esse sit suum intelligere. Unde necesse est, quod sua scientia sit causa rerum, secundum quod habet voluntatem conjunctam. Hæc S. Thomas. Quo in testimonio docet D. Thomas scientiam Dei, quæ est causa rerum, se habere ad opposita, & determinari ad unum per voluntatem, atqui scientia visionis non se habet ad opposita, sed est ad unum determinata: scientia autem, quæ se habet ad opposita, est scientia simplicis intelligentiæ representans rerum omnium factibilitatem, & modum, quo fieri debent, ut recte fiant, quæ representatio componi debet cum utroque extremo, quantum est ex se, nisi coniungatur voluntas eam ad unum determinans: ergo ex D. Thom. scientia simplicis intelligentiæ, & non scientia visionis est causa rerum.*

496. *Confirmatur & explicatur simul hæc ratio ex D. Thom. 1. Part. quest. 19, art. 4. ubi cum proposuisset hanc questionem, utrum voluntas DEI sit causa rerum? Eam affirmativè resolvit. Cum autem pro parte negante hanc*

quartam objectionem sibi proposuisset; *Unius rei una est causa: sed rerum creatarum est causa scientia Dei, ut supra dictum est; ergo voluntas Dei non debet poni causa rerum. Hinc objectioni ita responderet: ad quartam dicendum, quod unius, & ejusdem effectus etiam in nobis est causa scientia ut dirigens, qua concipitur forma operis, & voluntas, ut imperans: quia forma ut est in intellectu tantum, non determinatur ad hoc, quod sit vel non sit in effectu nisi per voluntatem. Unde intellectus speculationis nihil dicit de operando. Hæc D. Thomas, qui in his testimoniis quatuor dicit consideratione digna. Primum est, quod scientia Dei se habet sicuti scientia artificis ad artificata, ut constat ex n. super. Secundum, quod hæc scientia est indifferens, ut sit, vel non sit in effectu, & quod ad opposita se habet. Tertium, quod hæc scientia non producit determinatum effectum propter hanc indifferentiæ, nisi determinetur ab appetitu, & voluntate. Quartum, quod hæc scientia non est principium actionis, nisi adiungatur inclinatio ad effectum, quæ est actus voluntatis. Quod etiam habet in 1. dist. 38. artic. 2. dicens: Ex scientia Dei non procedit opus, nisi mediante voluntate imperante. Sed hæc omnia non possunt intelligi de scientia visionis, nisi solè de scientia simplicis intelligentiæ, ergo juxta S. Th. sola scientia simplicis intelligentiæ est causa per se rerum omnium: secus autem scientia visionis.*

Minor, in qua est difficultas probat, quia in primis scientia artificis ad artefacta, est scientia, qua cognoscit factibilitatem, non autem quæ cognoscit opus jam factum: sed hoc solum competit scientiæ simplicis intelligentiæ: non autem scientiæ visionis, ergo &c. Rursus scientia visionis non est indifferens, ut forma operis sit in effectu, vel non sit, sed est determinata, ut sit in effectu, cum illa cognoscat ut existente in effectu. Scientia verò simplicis intelligentiæ est indifferens; quia posita scientia simplicis intelligentiæ de opere, adhuc opus potest fieri, vel non fieri; ergo &c. Deinde scientiæ visionis non adiungitur appetitus voluntatis, sed potius talis scientia adiungitur appetitui: scientiæ verò simplicis intelligentiæ bene adiungitur appetitus voluntatis, quia hic est posterior illa; & quod adiungitur alteri, debet præsupponere aliud, cui adiungitur. Tandem quamvis scientiæ visionis coniungatur decretum, non tamen scientia visionis causat medio decreto; cum non dirigat voluntate ad illud concipiendum, sed conceptum supponat; ergo &c.

498. *Quamobrem in via D. Thomæ scientia simplicis intelligentiæ quoad munus representandi non subicitur voluntati, cum sit scientia necessaria, & necessario representet: subicitur autem quoad munus cauendi; cum in munere cauendi includat ipsam voluntatem, per quam liberè operatur, & à qua determinatur. Unde cum scientia simplicis intelligentiæ in via D. Thomæ aliorumque SS. PP. aliquando dicatur *Viso*, ut habet D. Thomas quest. 2. dist. 1. art. 1.*

art. 9. ad 3. dicens: *Nihil prohibet aliquando omnem scientiam divinam visionem dici: aliquando vero solum illam, quae est praesentium, praeteritorum, & futurorum.* Exinde quando dicit scientiam visionis esse causam rerum, solum potest colligi ex contextu, de qua scientia loquatur: an de ea, quae est determinata ad unum, & communiter vocatur scientia visionis: an de ea, quae est indifferens ad opposita: & rigorose loquendo vocatur scientia simplicis intelligentiae. Cum autem D. Thomas, quando dicit scientiam divinam esse causam per se rerum omnium, semper loquatur de scientia indifferenti ad utrumque, manifeste patet, loqui de ea, quae proprie est scientia simplicis intelligentiae, ut ex contextu semper apparebit, & expressè ipse D. Thom. alibi docet dicens: *Si scientia Dei sumatur pro simplici notitia futurorum: certum est, quod ipsa non est causa rerum praescitarum. Et ideo licet praesciat res futuras: non tamen eis necessitatem imponit. Et Opusc. de Praescientia, & Praedestinatione art. 3. ad 1. Si vera scientia sit adjuncta voluntas (quae dicitur scientia beneplaciti) tunc est causa omnium, quae fecit Deus.* Quae verba clarissima sunt.

499. Prob. 2. Ratione indicata à D. Thoma, scientia Dei in ordine ad rerum effectiorem comparatur cum idea artificis, qua dirigitur ad efficiendum opus artificiosum, ut constat ex n. 495. Modò sic. Scientia, qua artifex dirigitur ad effectiorem operis artificiosi, non est scientia, qua videt opus jam à se factum, aut absolute faciendum: sed illa, qua cognoscit opus à se factibile, & quomodo sit à se factibile; ergo similiter scientia, qua Deus dirigitur ad operis effectiorem, non est scientia, qua videt opus à se jam factum, vel absolute faciendum, sed illa, qua videt operis factibilitatem, & possibilitatem: atqui haec est scientia simplicis intelligentiae, & illa est scientia visionis; ergo Deus solum dirigitur à scientia simplicis intelligentiae, tanquam à causa per se, & non à scientia visionis ad rerum effectiorem. Minor, & consequentia tenent: quia non est adstruendum in Deo id, quod, si in artifice creato contingeret, esset summa imprudentia, & dignum risu. Major verò patet; quia sola illa scientia dirigere potest artificem, quae ei proponit opus exequibile: ita ut ea scientia illustratus possit deinde moveri ad exequendum opus eo modo, quo cognovit sibi factibile: sed sola scientia factibilitatis potest id praestare in artifice creato: non autem scientia, qua videt opus jam factum: nullus enim artifex potest à scientia, qua videt opus jam factum, moveri ad volendum exequi illud, nisi per summam imprudentiam, & stultitiam: nosq; rideremus artificem, qui vellet exequi aliquod artefactum, quia videt illud jam factum; ergo &c.

500. Prob. 3. à priori: scientia visionis ut visionis praesupponit opus jam factum tam in artifice creato, quam divino; ergo jam non potest dirigere ad opus ipsum, quod videt factum. Prob. consequentia. Scientiam dirigere ad opus

factum, est praesupponi ad opus factum: sed ex eo, quod praesupponat opus factum, jam non potest praesupponi ad opus factum: etenim scientiam praesupponere opus factum, est scientiam non esse pro signo priori, sed pro posteriori ad opus: praesupponi autem ad opus, est esse in signo priori, & non in posteriori ad opus: esse autem, & non esse in signo priori, est manifesta implicantia; ergo &c. Confirm. 1. Si scientia visionis esset in signo priori ad opus nobis liberum, esset à nobis inevitabilis: adeoque inevitabile esset à nobis opus liberum: sed quod est inevitabile à nobis, non est liberum nobis; ergo opus nobis liberum non esset nobis liberum, quae est summa implicantia. Confirm. 2. Opus nobis liberum potest pro libito à nobis omitti: adeoque potest per omissionem impediti scientia visionis de tali opere. Sed si illa scientia visionis per se praesupponeretur ad opus, non esset à nobis impedibilis; ergo &c. Confirm. 3. Quia ex titulo nostrae libertatis docent constanter SS. PP. non fieri opera libera à nobis, quia à Deo praevidentur, sed e contra praevideri à Deo, quia à nobis liberè sunt; ergo &c. Cæterum, quia haec est ratio fundamentalis nostrae doctrinae, probanda est expressis SS. PP. testimoniis.

501. Probatur igitur 4. Conclusio, & roborantur simul rationes adductae ex testimoniis SS. PP. qui omnes ad ostendendum contra hereticos scientiam visionis non tollere libertatem, uno ore ajunt, Deum ideo scire futura, quia futura sunt: non autem futura esse, quia Deus scit; ergo apud SS. PP. Scientia visionis non est causa rerum. Prob. ant. ex Orig. lib. 7. in illud Rom. 8. quas praescivit, & praedestinavit, ita dicente: *In praescientia Dei neque salutis, neque perditionis nostra causa consistit: non propterea erit aliquid, quia id scit Deus futurum; sed quia futurum est, scitur à Deo, antequam fiat.* Nam etsi fingamus Deum non praecognoscere aliquid futurum, sine dubio erit. Sic etiam Hieronymus in Cap. 26. Hierem. *Non enim ex eo, quod Deus scit futurum aliquid, idcirco futurum est: sed quia est futurum, Deus novit.* Damascenus lib. contra Manicheos versus finem: *Dei praescientia nequaquam est causa, ut omnino fiat, quod futurum est: quin potius, quia hoc, vel illud facturi sumus, Deus praescit.* S. Justinus Mart. c. n. 477. *Et non est praescientia causa ejus, quod futurum est: sed id, quod futurum est, causa praescientiae. Siquidem non praescientiam consequitur futurum, sed futurum consequitur praescientiam.* Eusebius de Preparatione Evangelica, postquam dixit Deum non efficere uniuscujusque voluntatem, quamvis praevideat, sicut qui videt aliquem temerarium publica itinera aggredientem, in quibus miserè labetur, non efficit temerarium hominis lapsum, sic infert: *non ergo praecognitio futurorum causa.* Et post pauca addit: *id, quod futurum est, causa est, quod Deus eventurum illud praevideat: non ergo ideo sit, quia praescivit: sed quia futurum erat, praescitur.* Pari-

502. Pariter Beda Tom. 8. Var. Quæst. quæst. 13. Quid ergo coegit nos Deus, ut mali sibi videremur ab eterno? absit; nam potius nos coegimus eum, ut nos malos videret. Quam Bedæ doctrinam affert Prosper super capita Gallo- rum, in ejusque confirmationem affert exemplum, quo ad idem intentum utitur Boëtius 5. de Consolatione propositione 6. Si video jacentem aliquem, necessitas ei non inferitur à visu meo, sed potius à jacente inferitur mihi necessitas, ut videam. Eodem exemplo utitur S. Th. q. 16. de malo art. 7. ad 15. dicens: Sicut enim se habet divina scientia ad futura contingentia, sic se habet oculus noster ad contingentia, quæ in presenti sunt, ut dictum est. Unde sicut certissime videmus Socratem sedere, cum sedet: nec tamen per hoc sequitur, quod sit simpliciter necessarium: Ita etiam ex hoc, quod Deus videt omnia, quæ eveniunt, in se ipsis, non tollitur contingentia rerum. Augustin. Tom. 5. lib. 5. de Civit. cap. 10. Neque enim ideo peccat homo, quia Deus illum peccaturum præcivit: imò ideo non dubitatur ipsum peccare, dum peccat, quia ille, cujus præscientia falli non potest, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, sed ipsum peccaturum esse præcivit; qui, si noluit, omnino non peccat: sed si peccare noluerit, etiam hoc ille præcivit. Et utitur iisdem exemplis scientiæ, & memoriæ creatæ, quæ nullam rebus necessitatem imponunt, ut videri potest tom. 1. lib. 3. de lib. arb. c. 3.

503. Eundem modum conciliandi libertatem creatam cum præscientia Dei docent alii PP. Scholastici, & etiam antiquiores omnes Thomistæ, & aliqui ex recentioribus. Unde patet, quanta veritate Rev. P. Franciscus Romæus Generalis Ordinis Prædicatorum, qui Tridentino interfuit, lib. de Libertate Operum veritate 8. hæc prætulit: Si ad antiquos PP. te convertas, reperies serè omnes in hanc unam consentire sententiam, non ex eo, quod Deus scit aliquid, ideo futurum est: sed quia futurum est, Deus novit. Sic enim loquitur Hieronymus, Augustinus, Chrysostomus, alique orthodoxi auctores. Hæc ille. Ex quo patet, quàm manifesta sit sententia nostra, & quàm stabilita tum ex ratione, tamen ex testimoniis SS. PP. contra Hæreticos arguentium ad conciliandam libertatem nostram cum Præscientia divina. Et exinde inferes quàm irrectè moderni aliqui PP. auctoritates detorqueant eas explicando de scientia simplicis intelligentiæ. Quàm autem incongruè, & contra SS. PP. mentem, facile constat; nam SS. PP. hanc doctrinam stabilunt ad dissolvenda argumenta Ethnicorum, & Hæreticorum, qui negabant præscientiam Dei, judicantes ex illa everti libertatem creatam, ut constat à n. 480. Cum autem nunquam negaverint, neque timuerint everfionem libertatis ex titulo scientiæ simplicis intelligentiæ, sed ex titulo scientiæ visionis, manifestum est SS. PP. nunquam loqui in his testimoniis de scientia simplicis intelligentiæ,

sed de scientia visionis. Unde non aliter possunt melius explicari testimonia SS. PP. nisi eorum mentem comprobando ex contextu, uti ad aliqua testimonia, quæ in contrarium objici solent, statim dicemus.

## SECTIO VI.

### Solvuntur Opposita.

Objic. 1. Ex Gregor. lib. 20. Moral. cap. 23. 504. Ubi ait: Quæcumque sunt, non ab æternitate ejus ideo videntur, quia sunt, sed ideo sunt, quia videntur. Et lib. 32. c. 6. Non existentia videndo creat: existentia videndo continet; ergo ex Gregor. Scientia visionis est causa rerum. Resp. Neg. confeq. Quia S. Gregorius ibi loquitur de Visione, quæ convenit scientiæ simplicis intelligentiæ juxta Doctrinam D. Thomæ cit. n. 498. vel de scientia visionis, quæ est in Deo posterior natura, est prior tempore re creata, ut habet eodem capite 23. dicens: Præscire dicitur, qui unamquamq; rem, antequam veniat, videt, & id, quod futurum est, prius quàm futurum est, prævidet. Prævidere autem futurum, antequam sit futurum, solum convenit scientiæ simplicis intelligentiæ; non autem scientiæ visionis, nisi prioritare temporis, sumpto ly est per statum. Quod autem ea divina scientia sit prior tempore quàm res creata, omnes fatemur; cū res creata sit in tempore, & scientia Dei sit ab æterno. Difficultas autem præsens est, utrum illa scientia, quæ scientia visionis, sit per se natura prior, quod negamus, & negant omnes SS. PP. nec ideo possunt adversarii interpretari testimonia à nobis adducta, ea intelligendo de scientia simplicis intelligentiæ; sicut nos hæc interpretamur propter triplicem rationem. Prima est, quia S. Thomas ait, nomine visionis posse intelligi aliquando omnem scientiam Dei, & aliquando scientiam futurorum, ut constat ex eo n. 498. Deinde dicit, quod si scientia Dei sumatur pro scientia futurorum, certum est, quod non est causa rerum; ut ex eodem n. constat. Unde qui noluit sententiam D. Thomæ deferere, teneatur dicere in testimoniis objectis à Thomistis nomine visionis intelligi scientiam simplicis intelligentiæ.

505. Secunda Ratio est, quia Auctoritates SS. non sunt interpretandæ ita, ut falsum sensum habeant, aut ad intentum PP. inutiles reddantur. At si Thomistæ interpretentur nostras auctoritates de scientia simplicis intelligentiæ, redduntur falsæ; quia de hac scientia falsum est dicere, Deum cognoscere futura, quia futura sunt, & non esse futura, quia sciuntur à Deo; nam scientia simplicis intelligentiæ est causa rerum, & res non sunt ejus causa. Deinde inutiles etiam redduntur ad intentum PP. dissolventium argumenta Hæreticorum, cum Hæretici non loqui fuerint de scientia simplicis intelligentiæ, sed de scientia visionis, ut constat num. 503. At ex nostra interpretatione nec falsæ

falsæ redduntur autoritates, nec inutiles, sed omnino utiles ad intentum, cum SS. Patres in ijs locis nihil aliud intendant, nisi quod scientia Dei non est in tempore habita, aut per species causata ab objectis, aut cum libertate nostra incompossibilis. Tertia ratio est, quia in locis à nobis adductis agunt Patres de scientia ex qua necessarîo sequitur determinatè, quod eventus existat; cum autem ex hac scientia hoc modo sumpta appareret Gentilibus lædi libertatem, SS. Patres huic difficultati occurrunt, dicendo, quod non est causa rerum, sed quod res consequitur: ac proinde interpretari non possunt de scientia simplicis intelligentiæ. At in testimonijs contra nos adductis ea ratio non militat; adeoque interpretari debent Patres in vero & genuino sensu, qui etiam patet ex contextu, ut constat ex dictis.

306. *Objic. 2. S. Thomas in primum dist. 29. q. 1. art. 1. ad 5. ait: Licet esse & scire sint idem secundum rem, tamen scire sequitur voluntatem ut imperatum ab ipsa: esse autem non: & ideo esse suum non subiacet libertati voluntatis, sicut scire operativum creature. & art. 2. ad 1. de scientia divina futurorum ait, ipsum scire est subiectum libertati voluntatis. Unde sic arguunt: scire divinum operativum creature subiacet libertati voluntatis: sed scire, quod subiacet voluntatis libertati, est scientia visionis, & non simplicis intelligentiæ; ergo scientia, quæ est causa rerum, est scientia visionis, non verò simplicis intelligentiæ. Adeo difficile est adversarijs invenire in D. Thomæ testimonium contra nos, ut per has circulationes velint arguere, & ad gustum suum verba componere, sed immeritò; quia, ut vidimus, aperitè ait D. Thomas, scientiam visionis non esse causam rerum. Tum quia n. 502. ait scientiam futurorum se habere, sicut visio oculi nostri respectu eorum, quæ intruemur. Tum quia, 1. P. q. 14. art. 8. & in primum dist. 38. art. 1. ubi quaerit, utrùm scientia Dei sit causa rerum, eas conditiones, & qualitates supponit in scientia, quæ est causa rerum, ut nisi per summam detorsionem, non possint intelligi de scientia visionis, sed de sola scientia simplicis intelligentiæ, ut legenti constabit. Cæterum ut procedamus in forma*

307. *Resp. conc. autoritates, quarum secunda nec verbum habet, unde possint arguere contra nos, ut ex dictis patet. Nihilominus ad argumentum, quod ex illis efformant dist. maj. non est scientia simplicis intelligentiæ ea, quæ subijcitur divinæ voluntati quoad munus causandi neg. quæ subijcitur quoad munus representandi conc. maj. & dist. min. scientia operativa in via D. Thomæ est subiecta voluntati, quoad munus operandi conc. quoad munus representandi neg. min. & conseq. ut constat ex n. 498. Itaque scientia simplicis intelligentiæ duo habet, scilicet representare rei factibilitatem, & insuper in actu secundo rem causare. Quoad primum non est subiecta voluntati, quia*

*R. P. Gorman Theolog. Tom. 1.*

sic est necessaria, quoad secundum est subiecta voluntati, quia ipsa per se est indifferens ad causandum, & non causandum, & ad hoc determinatur per actum voluntatis, nec causat aliquid nisi habeat voluntatem adjunctam. Alia argumenta ex autoritate S. Augustini soluta jam sunt n. 486.

*Objic. 3. Impossibile est scientiam ullam esse causam rei, quam non cognoscit, atqui scientia simplicis intelligentiæ non versatur circa res futuras, aut existentes, nec illas cognoscit: sed sola scientia visionis; ergo hæc, & non illa, est causa per se omnium rerum. Major patet exemplo medicinæ, inquit Gonet, artis fabrilis, & futuriæ, quæ non efficiunt ea, quæ non cognoscunt. Minor verò probatur; quia scientia simplicis intelligentiæ definitur à Theologis cognitio eorum, quæ nec sunt, nec fuerunt, nec erunt unquam; e contra scientia visionis dicitur esse cognitio eorum, quæ sunt, fuerunt, vel erunt: & ita expresse docet S. Thomas in hac quaestione art. 9. ubi sic habet: quædam licet non sint nunc actu, tamen vel fuerunt, vel erunt, & omnia ista dicitur Deus scire scientia visionis. Quædam verò sunt, quæ sunt in potentia Dei, vel creature, quæ tamen nec sunt, nec erunt, nec fuerunt: & respectu horum non habet scientiam visionis, sed simplicis intelligentiæ. Ex quibus verbis patet, secundum D. Thomam scientiam simplicis intelligentiæ non se extendere ad præsentia, vel futura, sed tantum ad possibilia; ergo &c. Quantum distet ab eo iste arguendi modus statim constabit; etenim idem est, ac dicere, juxta D. Thomam Leo est animal & non est homo; ergo Petrus, qui est homo, non est animal. Nam D. Thomas solum ait ea, quæ nec sunt, nec erunt, nec fuerunt, non attingi scientia visionis, sed simplicis intelligentiæ. Nunquam autem docet, quod scientia simplicis intelligentiæ non extendatur etiam ad ea, quæ sunt, fuerunt, vel erunt; extenditur enim ad omnia possibilia, ea autem, quæ sunt, verè possibilia sunt, nisi dicamus, quod in Logica Gonet ex actu ad potentiam non valeat consequentia. Cæterum n pro majori claritate*

*Retorqueo argumentum: Deus nihil potest decernere efficaciter, quin præcognoscat, quod decernat; adeoque nullo decreto effici potest decernere existentia Petri, quin præcognoscat existentiam Petri: sed scientia, quæ cognoscit existentiam Petri, per se debet esse scientia visionis; ergo antecedenter ad omne decretum efficax Dei debet dari in Deo scientia visionis existentie Petri. Ecce adversarium sua demonstratone irretitum. Resp. in forma conc. maj. & neg. min. nulla enim ratione poterunt adversarij unquam probare, aut defendere scientiam simplicis intelligentiæ non cognoscere rerum existentiam quæ factibilem. Non enim distinguitur à scientia visionis penes objecta, quia objectum utriusque idem est; simplex enim intelligentia cognoscit, quæ d. si existat Petrus, non implicabit: scientia*

*verò*

verò visionis cognoscit, quòd existit Petrus, qui nò implicat; ubi objectum idè est, & solum modus tendendi diversus. Ad minoris probationem concessa auctoritate D. Thomæ, neg. rationem assumptam, & conseq. quia dicere, quòd Deus cognoscit scientia simplicis intelligentiæ quædam, quæ nec sunt, nec erunt, nec fuerunt, nò est dicere, quòd scientia simplicis intelligentiæ non cognoscit quæ sunt, erunt vel fuerunt. Scientia enim simplicis intelligentiæ ad omnia se extendit etiam ad præsentia, præterita, & futura, cum omnia sint possibile: aliter neque existissent, neque possent existere, unde neg. eas definitiones. Etenim Theologi tales definitiones nunquam tradiderunt.

310. Objic. 4. Ratione, ut Gonettus ait, fundamentali: Deus producit creaturas per actum Imperij: atqui imperium pertinet ad scientiam visionis; ergo scientia visionis est causa omnium rerum. Confirm. Deo tribuenda est Perfectio, & directio excogitabilis; si repugnantiam non involvat: sed perfectior directio est per scientiam visionis; quia clariùs distinguit, & cognoscit objectum, & ex alio capite repugnantiam non involvit, ut constat ex eo, quòd argumenta contraria solubilia sunt; ergo &c. Resp. dist. maj. Producit creaturas per imperium, quòd sit actus efficax voluntatis, si creaturæ sint necessariae, transeat, si sint liberae neg. maj. & dist. min. neg. conseq. nam si sint liberae, solum applicatur scientia simplicis intelligentiæ; ut per se requiritur per decretum indifferens; aliter libertas corrueret, ut constat ex dictis. Si autem sint necessariae, ut Deus eliciat decretum efficax productivum talium effectuum, debet eos effectus factibiles præcognoscere per scientiam simplicis intelligentiæ, quæ adjuncto eo actu voluntatis erit in actu secundo operativa. Ad confirmationem conc. maj. & neg. min. Quia implicat, quòd scientia supponens rei existentiam ad eam dirigat, tum etiam, quia, quidquid sit de hoc, effectus liber non potest liberè fieri, si per se causetur per scientiam visionis; nam, ut ait D. Thomas citatus n. 498. *Scientia futurorum non est causa rerum: & ideo licet præsciat res futuras, non ideo eis necessitatem imponit.*

311. Objic. 5. Scientia, quæ est causa rerum, debet esse libera, alioquin res necessariò, & non liberè producerentur à Deo: item scientia, quæ non virtute tantum, sed actu est causa rerum, debet esse determinata, & præsupponere determinationem liberam voluntatis divinæ. Nam ut ait S. Thomas, cum forma intelligibilis ad opposita se habeat, non produceret determinatum effectum, nisi determinaretur ad unum per appetitum: sed scientia simplicis intelligentiæ, utpote præcedens decretum divinum, non est libera, neque determinata, sed indifferens ad productionem rerum; ergo non est illarum causa in actu secundo. Respondeo dist. maj. quoad primam partem: debet esse in se libera, & quoad munus repræsentandi neg.

quoad munus producendi in actu secundo conc. & eodem modo dist. secundam partem: debet esse determinata ex se neg. per decretum, quod ei accedit conc. hoc enim est, quod docet D. Thomas, & dist. min. non est libera quoad munus producendi neg. secundum se, & quoad munus repræsentandi conc. min. & neg. conseq. Quinimò exinde deberet inferri in argumento oppositum; nam scientia, quæ est causa rerum, est ex se indifferens, & solum determinatur per decretum: sed scientia simplicis intelligentiæ est ex se indifferens, & solum determinatur per decretum, non autem scientia visionis, ergo non hæc, sed illa est causa rerum. 512.

Objic. 6. Ex D. Thoma, qui quærens, an scientia Dei sit causa rerum, postquam proposuit hoc argumentum Origenis: *Non propterea aliquid erit, quia id scit Deus futurum; sed quia futurum est, ideo scitur à Deo, antequam fiat.* Cui sic respondit q. 2. de ver. art. 14. ad ad 1. *Ad primum ergo dicendum, quòd intentio origenis est dicere, quòd scientia Dei non est causa, quæ inducit necessitatem in scito, ut ex hoc cogatur aliquid evenire, quia Deus illud scit.* ergo S. Thomas non negat scientiam futurorum esse causam futuri, sed solum esse causam necessitantem. Respondeo conc. auctoritatem D. Thomæ & neg. conseq. Nam hoc est dicere, quòd Origenes negat rationem scientiæ, quæ necessitaret, & tolleret libertatem, quod perinde est, ac dicere, intentum Origenis fuisse negare scientiæ visionis rationem causæ, non autem scientiæ simplicis intelligentiæ, de qua sola defendit S. Thomas esse causam rerum omnium: ideòque ait *scientiam visionis non imponere necessitatem rebus scitis; quia non est earum causa:* quod clariùs explicat hac 1. p. q. 14. art. 8. ubi S. Thomas proponit contra se idem ipsissimum argumentum, pro cuius solutione hæc habet: *dicendum, quòd Origenes loquutus est attendens rationem scientiæ, cui non competit ratio causalitatis, nisi adjuncta voluntate, ut dictum est. Sed quòd dicit, ideo præscire Deum aliqua, quia sunt futura, intelligendum est secundum causam consequendi, non secundum causam essendi, ex quo patet, quàm clarè pro nobis respondeat D. Thomas.*

## SECTIO VII.

*Utrum Deus cognoscat futura absoluta in eorum physica presentia in æternitate?*

Cum ex Cajetano negent adversarij virtutem in intellectu divino ad cognoscenda futura in se ipsis, & negare non possint ea ab æterno à Deo cognosci, ad hoc conciliandum subscribunt Cajetano, qui excogitavit quandam præsentiam physicam futurorum in æternitate, qua Deo ab æterno coexistenter, & essent physicè præsentia. Hanc sententiam

12. *tentiam sequuntur Juniores Thomistæ, tribuunt D. Thomæ, 1. Part. q. 14. art. 13. Contrariam sententiam tuentur antiqui discipuli D. Thomæ, ut Ægydius Romanus D. Thomæ auditor, qui, cum quidam corruptor Doctrinæ D. Thomæ hanc præsentiam physicam D. Thomæ tribueret; S. Thomam ab hac impostura liberavit: Tum etiam Franciscus Sylvester Ferrariensis Dominicanus Mag. S. Pal. D. Thomæ interpres, qui tempore Cajetani scripsit, intelligit hunc locum D. Thomæ de præsentia objectiva, quia hic sensus, inquit ille, est necessarius: alius autem est inexcogitabilis, quem nullus Thomistarum, præter hunc Cajetanum ausus est affirmare; quia ex illo videtur sequi contra Fidem. Præterea Teza Dominicanus Arch. Hispalensis, qui etiam circa illud tempus scripsit, ait ab adversariis male intelligi S. Thomam. Contrariam sententiam sequuntur etiam Scotus, Ocamus, & omnes nostri Doctores. Licet enim aliqui, ut Quirós, & Ribadineira, videantur aliter æternitatem Dei coexistere futuris, eorum tamen sententia toto cælo distat à Thomistis, ut constat à num. 492.*

13. *Antequam sententiam Cajetani impugnemus, notare oportet, quòd æternitas dupliciter potest sumi. Primò, pro æternitate Deo intrinseca, quæ est prædicatum divinum ab ipso Deo indistinctum, ratione cujus exigit correspondere omni tempori imaginario, ut cum eo, ut successivè fluente essentialiter connectitur: & hæc æternitas est realiter indivisibilis tota simul existens in quolibet instanti temporis. Secundò, sumitur pro æternitate Deo extrinseca, quæ stat in aggregato omnium instantium possibilitum successivè fluentium sine principio, & sine: & hæc æternitas indivisibilis non est, nec tota simul existit: nunquam enim existit nisi unicum instans, & hoc abeunte succedit aliud, & post hoc aliud, & sic in infinitum. Exinde certum est primò ex fide, creaturas non esse ab æterno præsentem in suo esse reali, & existentia physica, quam habent in sua differentia temporis: modò enim non habet Antichristus illam existentiam, quam in sua differentia temporis habebit extractam extra causas: vel, ut ajunt Thomistæ, creaturæ modò non habent esse in sua propria mensura, quòd habebunt in sua differentia temporis: ideoque non existunt ab æterno in propria mensura.*

14. *Certum est secundò, creaturas, quando existunt in propria mensura; coexistere toti æternitati Dei intrinseca, quia tota æternitas intrinseca existit in eo instanti, in quo qualibet creatura existit, & ideo illi toti coexistit. Unde præsentia physica futurorum in æternitate tribus modis concipi potest, vel imaginari. Primò per quandam anticipatam productionem eorum in æternitate, distinctam ab illa, qua producuntur in tempore. Ita, ut Antichristus v. g. concipiatur ut præsens in æternitate, quia in illa jam productus est, & post-*

*R. P. Gormaz, Theolog. Tom. 4.*

*rus extra causas. Secundò, per coextensionem ipsius rei temporalis ad totam æternitatem, eo ferè modo, quo illi coextenderetur tempus infinitum, si daretur. Tertio, per coextensionem æternitatis ad illam differentiam temporis, in qua futura contingencia existant. Certum autem est de fide non esse futura contingencia Deo physicè realiter præsentia primo & secundo modo: adeoque tota difficultas est de tertio modo. Quamobrem quaeritur, an æternitas expectare debeat ipsam existentiam, transitum, & fluxum rerum temporalium, ut illas in se contineat, & mensuret: eo ferè modo, quo fons in medio fluminis existens, vel arbor ad ripam illius plantata expectat ipsum transitum, & fluxum aquæ, ad hoc, ut illam possideat, & mensuret? An verò illa ratione suæ infinitatis se virtualiter coextendat non solum ad res præsentem, sed etiam ad præteritas, & futuras; nec expectet, quòd illæ existant in propria mensura, ut illas complectatur, & mensuret; sed præveniat, & præoccupet ratione suæ extensionis infinitæ illarum præsentiam, & existentiam temporalem, & ratione suæ indivisibilitatis modo quodam indivisibili, & immutabili ex parte sui eas contineat tota successivè, & mutatione ex parte rerum temporalium se habente?*

*Assero cum secunda sententia, contra Modernos Thomistas. Futura non coexistunt realiter, & physicè æternitati Dei ab æterno. Probat. 1. Futurum, v. g. Antichristum coexistere physicè, & realiter æternitati Dei ab æterno vel solum stat in hoc, quòd Antichristus coexistat toti æternitati intrinseca Dei in eo solum instanti, in quo Antichristus existit; vel insuper dicit, quòd Antichristus non solum in ea differentia temporis, sed etiam quòd nunc, hodiè, heri, nudius tertius, & sic de omnibus aliis instantibus æternitatis, quæ præcesserunt, coexistebat æternitati Dei ab æterno: sed quidquid dicatur, est contra adversarios; ergo &c. Minor quoad primam partem patet, quia si hoc solum intenderent, nullam aliam præsentiam admitterent, præter objectivam, quam omnes fatemur. Si autem dicant secundum; subsistere nequit, quia hodie nõ coexistit realiter, & physicè Antichristus æternitati intrinseca Dei, ergo &c. Prob. ant. quoad hanc secundam partem: Implicat Antichristum hodie physicè coexistere æternitati Dei, nisi prius in se physicè existat: Physica enim coexistentia nihil aliud est, quàm simultanea duorum præsentia physica, ut per se notum est: sed Antichristus hodie non existit realiter, & physicè; ergo hodie non coexistit realiter, & physicè æternitati intrinseca Dei.*

*Resp. Adv. Ut Antichristus hodie coexistat æternitati, sufficere, quòd existat eo modo, quo coexistit: nunc autem non coexistit Deo in mensura durationis propriæ, sed in mensura communi æternitatis, in qua Antichristus jam existit hodie physicè. Contra tamen*

men: vel Antichristum existere hodie in mensura æternitatis dicit hodie physicè existentem solam æternitatem intrinsecam, & increatam DEI; vel præter existentiam increatam æternitatis dicit existentiam Antichristi hodie existentem; & distinctam ab existentia increata æternitatis: sed quidquid dicatur est contra adversarios; ergo &c. Probat. min. quoad primam partem; quia si sola æternitas Dei existit, Antichristus nullo modo hodie physicè existit; nam non existit per suam existentiam, quæ nulla datur; ac proinde non potest dici coexistere hodie physicè æternitati: unde fit, quòd Antichristus, ut existens per propriam existentiam, non coexistit hodie æternitati, sed incipiet coexistere, quando in se coeperit existere per suam existentiam. Probat. etiam minor quoad secundam partem. Quia si præter existentiam æternitatis, datur physicè hodie existentia Antichristi distincta ab existentia æternitatis, manifestè sequitur, quòd Antichristus est hodie, & ab æterno productus, & extractus à causis, quod est contra Fidem. In eo namque casu existentia illa Antichristi nunc, & hodie non esset merum nihil, & in statu præcisæ possibilitatis, & præsentia purè objectivæ, sed esset aliquid physicè existens, & ad statum actualitatis reductum: atqui nihil distinctum à Deo reducitur de statu possibilitatis ad statum actualitatis, nisi per productionem, per quam extrahitur à causis, cum non sit ens à se, sed ab alio essentialiter; ergo &c.

518. Prob. 2. Eadè secunda pars minoris: si hodie, heri, & sic de omnibus aliis instantibus præcedentibus, daretur physicè existentia Antichristi distincta ab existentia increata æternitatis, instantia hodierna, hesternæ, & sic de aliis essent propria mensura mensurans existentiam physicam Antichristi: sed hoc non potest dici, cum per vos existentia Antichristi nunc non mensuretur alia, nisi mensura æternitatis. Quinimò Antichristus existeret ab æterno, ut mensuratus à propria mensura, quòd est manifestè contra Fidem: Fides enim nulla alia ratione docet Antichristum non fuisse ab æterno, nisi quatenus docet, existentiam Antichristi non esse mensuram ab omnibus instantibus æternitatis præcedentibus; ergo &c. Major verò probatur. Si hodie, heri, & sic de aliis instantibus, daretur physicè existentia Antichristi, hæc existentia coexisteret physicè, & corresponderet instantibus hodiernis, hesternis &c. atqui si ita corresponderet, & coexisteret physicè, illa esset propria mensura Antichristi; ergo &c. Major patet; quia implicat, quòd nunc in presenti instanti derur existentia physica Antichristi, quin nunc correspondeat physicè, & coexistat instanti presenti: correspondere enim instanti presenti nihil aliud est, quàm in hoc instanti dari physicè existentiam Antichristi; sicut Petrum nunc

existentem correspondere huic instanti, nihil aliud est, quàm dari Petrum existentem in hoc instanti. Confirmatur, & explicatur hæc ratio. Aliqua instantia esse mensuram propriam alicujus rei, nihil aliud est, quàm exercitè durationem mensurare, & esse regulam designantem ejus durationem: atqui si existentia Antichristi corresponderet physicè his instantibus præsentibus, & omnibus aliis præteritis, hæc omnia instantia exercitè mensurarent durationem existentia Antichristi, & essent regula designans, quamdiu durer existentia Antichristi, cum eis correspondendo designaretur Antichristi duratio; ergo &c.

519. Probat. secundò Conclusio. Si futura coexisterent toti æternitati Dei ab æterno in aliena mensura, etiam coexisterent ab æterno in propria mensura, ut exercitè eam mensurante: sed per vos hoc est fallum; ergo &c. Probat. maj. ab æterno extitisset hoc, quòd est Antichristum existere in propria mensura, ut exercitè eam mensurante; ergo ab æterno existeret Antichristus in propria mensura ut exercitè eum mensurante. Probat. ant. quia ab æterno existit physicè realiter, & plusquam objectivè juxta vos, quidquid est futurum: atqui totum hoc, quòd est Antichristum existere in propria mensura, ut exercitè eum mensurante, est futurum: ergo ab æterno existit physicè, & realiter totum hoc, quòd est Antichristum existere in propria mensura, ut exercitè eum mensurante.

520. Respondebis. Non existere ab æterno in propria mensura, primò, quia non existit mensura Antichristi in propria mensura. Secundò, quia existere Antichristum in propria mensura non existit ab æterno in propria, sed in mensura aliena. Terriò, quia ab æterno Antichristus non est productus; nam licet ab æterno existat ejus productio in mensura æternitatis, non tamen denominat Antichristum productum ab æterno. Contra tamen primò, quia ab æterno existit physicè, & realiter productio Antichristi ut producens Antichristum, & ut illud denominans productum; ergo &c. Probat. ant. Actio ut producens, & ut denominans Antichristum productum est futura: sed per vos quidquid est futurum, existit ab æterno; ergo &c. Contra secundò. Productio Antichristi existit in aliena mensura æternitatis per vos; ergo ut existens in aliena æternitatis mensura denominat Antichristum productum. Probat. consequentia. Non potest existere constitutum actionis ut producentis, & ut denominantis productum, quin producat, & denominet productum: sed nunc existit totum hoc constitutum; ergo nunc denominat Antichristum productum, ac proinde non solum in aliena, sed etiam in propria mensura existit nunc Antichristus; cum per vos existere in propria mensura sit, quòd existat ut productus. Pro-

Probat. 3. Ex eo, quòd Petrus existat in loco A, & correspondeat toti immensitati indivisibili DEI, non sequitur, quòd Petrus sit immensus, neque quòd existat physicè in omni loco in aliena mensura immensitatis; ergo quòd Petrus nunc in instanti A correspondeat toti æternitati indivisibili DEI, non est, quòd Petrus debeat ab æterno existere: neque quòd in omni instanti debeat coexistere æternitati in aliena mensura æternitatis. Confirm. ex S. Thoma *quest. 1. de Veritat. artic. 5.* ubi defendit nullam veritatem esse æternam nisi primam, & quòd veritas futura non fuit ab æterno, nisi in mente, & intellectu divino, ut constat ex num. 315. Tum etiam in 1. *dist. 38. quest. 1. art. 4. ad 2.* ubi ait: *Dicendum, quòd secundum quòd non entia habent veritatem, sic DEUS ea scit: quæ enim erunt post mille annos, non scit ea DEUS esse nunc; quoniam non est verum, ea esse nunc: sed scit ea futura esse tunc, quando verum erit ea esse.* Ergo ex D. Thoma futura nullam habent physicam præsentiam in æternitate.

## SECTIO VIII.

## Solvuntur opposita.

Objic. 1. Plures SS. PP. auctoritates, in quibus dicunt æternitatem DEI nihil habere mutabile, nihilque ei esse præteritum, quasi jam non sit, nihil futurum, quasi nondum sit: sed omnia ei esse præsentia, & nihil futurum, vel præteritum. Ergo ex SS. PP. futura sunt præsentia toti æternitati DEI ab æterno. Resp. conc. ant. & neg. consequ. Quia, ut creaturæ non sint futuræ, aut præteritæ respectu DEI, satis est, quòd DEUS non habeat ullam præteritam intrinsecam durationem, aut futuram; cum per eandem durationem indivisibilem duret ab æterno, & in æternum. Cum autem res creatæ respectu nostri dicuntur præsentis, præteritæ, & futuræ, tales appellantur respectu durationum nostrarum: Duratio enim, per quam durabimus heri, non est hodierna duratio, neque hodierna est, qua imposterum durabimus. Exinde autem, quid inferitur ad asserendam physicam futurorum præsentiam ab æterno? Quinimo testimonia SS. Patrum facile intelliguntur de præsentia objectiva intentionali, non de physica, cum solus DEUS omnia ab æterno cognoscat: adeoque omnia sunt objective præsentia æternitati DEI ab æterno: secus autem physicè, & realiter; neque alia est in præsentia mens SS. PP.

Objic. 2. ex D. Thoma 1. *Part. quest. 14. artic. 13.* dicente: *Æternitas autem tota simul existens ambit totum tempus, ut supra*

*dictum est: Unde omnia, qua sunt in tempore, sunt DEO ab æterno præsentia non solum ea ratione, qua habet rationes rerum apud se præsentis, ut quidam dicunt: sed quia ejus intuitus fertur ab æterno supra omnia prout sunt in sua præsentialitate; ergo &c.* Hæc verba adeo clara putat Gonet pro sua sententia, ut dubitare de mente D. Thomæ sit tenebras, ac caliginem soli offundere, ac in meridie cæcutire. Sed audiat quæso Cajetanum sic ibi dicentem: *Iste locus ab adversariis judicatur plenus contradictionis, & erroris. A sequentibus tamen doctrinam S. Thomæ reputatur adeo obscurus, ut neminem hætenus viderim, si ve scripto, si ve verbo assertivè tueri hoc dictum.* Et me jam annis ferè quindecim, fateor latuisse: sed nudiùs tertius, dum super commemoratione hujus articuli meditarer, illuxit ut arbitror D. Thomæ opus veritas plana. Si ergo iste locus visus est tam obscurus ipsis Thomistis, ipsùmque Cajetanum latuit veritas in eo contenta, ut longa meditatione, & nova luce D. Thomæ opus fuerit ad hanc præsentiam physicam in eo inveniendam, quomodo Gonetus asserit tam clarum, & evidentem, ut de mente D. Thomæ dubitare sit soli tenebras offundere, & in meridiana luce cæcutire? Si gravissimi Thomistæ, ut Reverendissimus Sylvester de Prierio Magist. Sac. Palatii, Dera Hispalensis, Ægydius Romanus, & uno verbo omnes antiqui Thomistæ arbitrentur hanc præsentiam physicam astruere, esse imposturam irrogare S. Thomæ, corrumpere ejus doctrinam, & eum non intelligere, qua fronte hoc asserit adversarius? Sed audiat responsum.

Resp. Igitur conc. antecedens, & neg. consequent. Quia S. Thomas hic non loquitur de præsentia reali, & physica, sed de intentionali ab æterno, ut auctoritas, & rationes factæ convincunt. Neque credibile est, quòd S. Thomas fundare voluerit uno solo verbo, aut testimonio sententiam adeo difficilem. Audiamus M. Sylvestrum de Trierio Dominicanum volumine 1: conflatum ex D. Thoma, impresso Perusie anno 1519. ibi enim quæst. 14. artic. 16. ita scribit: *Est autem mirabile quòd D. Thomas voluerit uno verbo talem opinionem fundare, quam quisque experitur, se non posse imaginari, & intelligere, quòd res scilicet coexistant, antequam existant, aut quòd sint præsentis, antequam fiant.* Et dico quòd ista opinio non potest stare cum verbis S. Thomæ, postquam autem stabilivit, D. Thomam in adducto testimonio solum adstruere præsentiam intentionalem objectivam futurorum ab æterno, subjungit, quòd sic senserit S. Thomas, & non quòd omnia

fuerint praesentia in esse reali ab aeterno ipsi Deo patet primo, quia S. Thomas non con-  
fuevit fundare positiones difficiles, & multo  
minus ea, quae sunt contra omnium opinio-  
nem, unico verbo, ut hic facit. Secundo, quia  
hic sensus in se non solum est verus, & ratio-  
nabilis, sed necessarius, ut patet ex forma suae  
ratiocinationis, qua in primo puncto firmavit.  
Alias autem est inexcogitabilis, & nullus Tho-  
mistae praeter unum ausus est eum affirmare, & me-  
rito; quia sic affirmando videtur sequi unum  
contra Fidem, scilicet quod mundus fuisse ab  
aeterno. Si ergo Thomistae omnes praeter unum  
usque ad annum 1619. negarunt, quod futura  
coexistant realiter, & physice aeternitati Dei  
ab aeterno, quae ab adversario, an illi omnes  
praeter unum tenebras soli confuderint?

525. *Objic. 3.* Instando nostram solutionem: S.  
Thomas ait, quod res futurae non solum sunt  
Deo ab aeterno praesentes, quatenus sunt in suis  
Idaeis, quas appellat rationes rerum; sed etiam  
quia ejus intuitus fertur ab aeterno super om-  
nia, prout sunt in sua praesentialitate: atqui in  
suis Idaeis jam sunt ab aeterno objective praesen-  
tes; ergo in secunda parte adstruit aliam praesen-  
tiam distinctam, nempe realem, & physicam.  
Resp. Omitto praemissas, & neg. consequent.  
Quia intentum S. Thomae est non solum futura  
esse objective in mente divina, prout cogno-  
scuntur per Idaeas ut possibile, & factibilia:  
sed etiam pro ut cognoscuntur per scientiam vi-  
sionis, qua divinus intuitus fertur super res  
ipsas intuendo earum existentiam in sua dif-  
ferentia temporis, quae est sua earum praesen-  
tialitas. Hunc autem esse verum S. Thomae sen-  
sum intelliget, ut testantur antiqui Thomistae,  
qui D. Thomam legendo non caecutiunt. Et  
patet ratione; nam S. Thomas in his ultimis  
verbis de ea praesentialitate loquitur, quam ha-  
bent res, quia divinus intuitus fertur super illas  
eas cognoscendo: sed praesentia, qua res habent,  
quia divinus intuitus fertur super illas eas co-  
gnoscendo, non est physica, sed solum obje-  
ctiva, & intentionalis; ergo &c.

526. *Objic. 4.* Instando iterum solutionem.  
Praesentialitas objectiva non est illa, qua  
unumquodque est actu in se ipso, aut in  
suo esse, sed qua est in intellectu, nec praesen-  
tia objectiva est sua cujusque praesentialitas:  
atqui S. Thomas ait, quod divinus intellectus  
fertur ab aeterno super omnia, prout sunt in sua  
praesentialitate, & prout unumquodque eorum  
est actu in se ipso; ergo non loquitur de praesen-  
tia objectiva intentionali. Confirm. Si de  
praesentialitate objectiva loqueretur, non opus  
esset ad aeternitatem recurrere, qua men-  
suratur divina cognitio; nam cognitio, quae  
mensuratur tempore, & fertur in realiter ab-  
sentem, habet illam objective praesentem; ergo  
&c. Confirm. secundo. D. Thomas infert om-  
nia, quae sunt in tempore, esse Deo ab aeter-  
no praesentia; quia aeternitas tota simul exi-

stens ambit totum tempus; ergo ea, quae sunt  
futura, verè, & realiter sunt praesentia, & non  
solum objective. Confirm. 3. Quia aeternitas  
non est attributum pertinens ad cognitionem,  
sed ad durationem; ergo non causat praesen-  
tiam objectivam, sed realem, & physica-  
m.

Resp. dist. maj. non est illa eodem modo  
sumpta conc. diverso modo accepta neg. maj.  
& dist. min. neg. consequent. Ratio est, quia haec  
praesentialitas est praesentialitas rerum in sua  
propria mensura, quae erit in sua differentia  
temporis, & existet realiter, & physice: cum  
autem haec à Deo cognoscatur ab aeterno, in or-  
dine ad talem cognitionem, vocatur praesen-  
tialitas objectiva: in ordine ad productionem,  
qua pro sua differentia temporis extrahetur ex-  
tra causas, vocatur praesentia physica, & realis:  
adeoque sunt eadem praedicata diverso modo  
sumpta, modo quidem per alienationem, &  
postea per statum. Ad primam confirmatio-  
nem neg. ant. quia licet cognitio temporalis  
habeat res objective praesentes, non tamen eas  
habet objective ab aeterno praesentes: Deus  
autem eas habet ab aeterno praesentes obje-  
ctive, quia aeternitatem habet cognitionis. Ete-  
nim vis argumenti S. Thomae haec est: Deus  
contingentia, cum actu jam existunt, certo co-  
gnoscit ut in tali tempore, & in propria men-  
sura existentia; ergo ab aeterno cognoscit ea ut  
sic praesentia, quia cognitio ejus est aeterna,  
& immutabilis: nec potest habere cognitio-  
nem in tempore, quam ab aeterno non habuerit.  
Exinde

Ad secundam confirm. conc. ant. & neg. 528.  
consequ. Quia D. Thomas ideo infert Deum  
futura ab aeterno cognoscere; quia aeternitas  
tota simul existens ambit totum tempus. Si  
enim ambit totum tempus, in hoc tempore  
cognoscit, quidquid est in hoc tempore, & si in  
hoc tempore cognoscit, ab aeterno cognoscit;  
quia aeternitas secundum Dei intrinsicum tota  
simul, & ab aeterno existit, quin existat ab a-  
eterno quoad unum praedicatum, & in tempo-  
re quoad aliud. Ad tertiam confirmationem  
dist. ant. Aeternitas producendi rem creatam  
conc. cognoscendi neg. ant. & consequent. Ratio  
est, quia aeternitas non causat praesentiam in-  
tentionalem physice ut talem, sed quae causa-  
bitur in tempore, jam cognoscitur à Deo ab  
aeterno: adeoque praesentia physica, quae erit  
in tempore, existit objective in intellectu Dei  
ab aeterno: Hanc esse mentem S. Thomae, &  
ipsa ratio manifestè convincit, & ejus aucto-  
ritas ostendit; nam in *primum dist. 38. quest. 1. art. 3.*  
Post multa ad rem dicta ita concludit:  
*Omnia ut praesentia uno intuitu procul videt,  
quasi ab aeternitatis speculâ.* Ubi per particu-  
lam procul realem, & physicam eorum praesen-  
tiam ab aeterno excludit: Tum etiam *1. 2. quest. 91. art. 1. ad 1.* ait: *Ea, quae in se ipsis  
non sunt, apud Deum existunt; in quantum ta-  
men sunt ab ipso cognita, & praordinata.* Et  
1. P.

1. P. 9. 62. art. 2. ait: *solus Deus est ab aeterno, hoc enim fides catholica indubitanter tenet: & omne contrarium sicut hereticum refutandum.* Quibus in verbis tota nostra doctrina manifestè continetur. Vide D. Thomam n. 414.

529. Objic. 5. Ratione, ut ait Gonetius fundamentaliter. Quando aliquid est infinitum intra aliquam lineam, omnes ejus perfectiones in se continet vel formaliter, vel eminenter: atqui aeternitas est infinita in ratione durationis; ergo in se complectitur durationes omnes rerum inferiorum, nimirum ævum & tempus secundum omnes ejus differentias: scilicet secundum præsens, præteritum, & futurum. Respondeo conc. ant. & neg. conf. Nam duratio, sive aeternitas intrinseca Dei solum est ratio durandi in omni ævo, tempore, & instanti, in quo quilibet res durat, aut possibile est durare, in quo stat contentia eminentialis totius hujus lineæ: at aeternitas Dei non durat simul in omni ævo, & tempore extrinseco; non enim potest nunc durare de præsentia in tempore post mille annos futuros; cum tale tempus nunc non sit, nec possit esse. Unde aeternitas non coexistit simul omni tempori, cum tempora non sint ei præsentia.

530. Exinde ut bene ait Isidorus *lib. de summo bono c. 8.* si tempora semper essent ei præsentia, tempora non essent tempora, sed aeternitas, quia non mutarent, sed starent. Si ergo tempora semper non sunt, non potest aeternitas eis semper coexistere, sed solum quando sunt, & successive fluunt. Ex quo nulla provenit mutatio in Deo, sed solum in creaturis successive fluentibus. Sic arbor plantata ad ripam fluminis modo correspondet his aquis, postea alijs, sicut etiam & pons: & tamen nec arbor, nec pons mutatur, sed solum aquæ. Cæterum ut adversarius videat, quàm falsa sit ejus ratio fundamentalis, sic ipsum redarguo: quod est infinitum in sua linea, continet omnes perfectiones suæ lineæ, non solum actuales, sed etiam possibles: atqui aeternitas est infinita in linea durationis; ergo continet durationes non solum rerum actualium futurarum, & præteritarum, sed etiam possibilem; adeoque possible physice, & realiter coexistunt aeternitati Dei ab aeterno. 2. ergo aeternitas continet durationes rerum in propria earum mensura: adeoque in propria earum mensura ei coexistunt. 3. Immenitas continet omnes mensuras locorum, utpote simpliciter infinita in sua linea; ergo omnia loca præsentia, præterita, futura, & possible correspondent physice, & realiter immensitati Dei ab aeterno.

531. Objic. 6. Corpus infinitum in ratione extensionis omnibus alijs quantumcunque distantibus inter se simul adest; ergo aeternitas, quæ est infinita in duratione omnibus durationibus quantumcunque distantibus inter se simul, & absque ulla successione etiam extrinseca coexistere debent. Confirm. 1. Hæc inferiora mensurantur ab aeternitate, quatenus

continentur in illa: sed quod continetur in alio, continetur ad modum illius; ergo cum aeternitas successione intrinseca careat, quæ in illa continetur, licet inter se succedentia sint, indivisibiliter tamen ab ipsa mensurabuntur. Confirm. 2. Ex eo quod præsentia præterita, & futura sibi succedant, malè arguitur, quod aeternitas non coexistat omnibus simul: anima enim rationalis licet inextensa & indivisibilis, omnibus tamè partibus corporis, quamvis divisibilibus, & inter se distantibus coexistit. Unde sicut distinctio, & divisibilitas partium corporis non impedit, quod anima tota simul coexistat: ita nec successio temporis impedit, quod aeternitas indivisibilis modo indivisibili ex parte sui rebus temporalibus, & successivis ab aeterno coexistat. Retorqueo argumentum: corpus infinite extensum, omnibus alijs quantumcunque distantibus, ut præsentibus in propria sui loci mensura simul adest; ergo & aeternitas in propria mensura rerum.

532. Respondeo deinde neg. conseq. nam corpora, quibus corpus infinite extensum responderet: simul essent, & ideo simul tempore corpus infinitum etiam responderet, at verò partes temporis nunquam sunt simul; adeoque aeternitas non potest simul eis correspondere. Addo, quod si corpus infinite extensum, non responderet omnibus simul simultate loci in omni loco, sed uni in uno loco, & alteri in alio, ut patet de immensitate, quia non omnia sunt in uno loco: ita aeternitas non responderet omnibus simultate temporis; quia non omnia sunt in eodem tempore: sed unum in uno, & aliud in alio; ex quo potius roboratur nostra doctrina. Ad primam confirmationem neg. maj. min. & conseq. Major enim est falsa; nam duratio creaturæ non mensuratur per aeternitatem nudè sumptam, sed per ævum, vel tempus: Minor est falsa; non enim debent creaturæ mensurari ad modum continentis intentionaliter, sed ad modum ipsarum rerum physicarum contentarum: cum solum mensuretur realiter, quando existunt, & non quando non existunt. Ad secundam confirmationem neg. ant. & paritatem; nam anima rationalis correspondet diversis partibus corporis per diversas, & indivisibiles uniones, & præsentias, nec correspondet illis simul simultate loci, sed uni in uno loco, & alteri in altero. Unde exinde malè inferitur, quod aeternitas indivisibilis Dei simul respondeat physice rebus physice successivis.

533. Objic. 7. Aeternitas non solum est infinita, & immutabilis in ratione durationis, sed etiam in ratione mensuræ, & continentia inferiorum durationum, ita ut simul infinito, & immutabili modo attingat omnia sua mensurata, & mensuret illa; ergo neque intrinsece in ordine ad se, neque extrinsece & in ordine ad mensurata admittit successione, & coexistentiam successivam. Antecedens quoad secundam partem probatur. Aeternitas in ratione mensuræ

suræ, & per ordinem ad mensurata se habet ut mensura perfecta, & summæ uniformitatis; ergo in ratione mensuræ, & per respectum ad mensurata debet habere summam immutabilitatem, cum uniformitas tanto major sit, quanto magis recedit à mutabilitate. Confirm. Id, quod in ratione mensuræ habet omnimodam immutabilitatem in mensurando, non admittit successionem: ita ut totum mensuratum exhauriat unica mensuratione: aliàs si modò incipit mensurare, & antea non mensurabat, & postea desinat mensurare: illa mensuratio secum importat aliquam mutabilitatem; quia non exhaurit totum mensuratum unica mensuratione, sed conformiter ad existentiam, & successionem mensurati illud mensurat: cum autem hoc non exhauriatur unica indivisibili mensuratione, sed successivè transeundo coexistat illi mensuræ, si talis mensura se accommodat in mensurando ipsi mensurato, oportet, quòd replicando mensurationes, & non per ullam indivisibile illud adæquet, & consequenter debet habere mutabilitatem in mensurato: sed hoc implicat; ergo &c.

534. Resp. dist. ant. quoad secundam partem: æternitas immutabilis est in ratione mensuræ sumptæ specificativè, & quasi in actu primo mensurandi conc. reduplicativè, & ut in actu secundo includit rem mensuratam neg. ant. & conseq. quæ hæresim sapit, ut docebat D. Thomas n. 528. dicere enim, quòd æternitas non admittit successionem ex parte rei mensuratæ est dicere, quòd res contingentes non sunt successivæ, quæ manifesta hæresis est. Ad confirmationem distinctis eodem modo præmissis neg. conseq. Ratio est, quia æternitas intrinsecè, & secundum se solum est mensura specificativè, quod quidem idem est, ac esse in actu primo vel quoad sufficientiã mensurandi: & sic nihil dicit mutabilitatis, aut successivis: at verò æternitas ut mensurans in actu secundo præter existentiam, & esse intrinsecum æternitatis, dicit existentiam, & esse creaturarum ipsi extrinsecum: etenim in actu secundo mensurare creaturas, est illis coexistere, atque adeò sic sumpta secundum extrinsecum, quod ipsis superadditur, jam dicit aliquid successivum, cum existentia creaturarum superaddita successiva sit.

535. Objic. 8. Mensura creata v.g. ulna, quamvis in se sit fixa, & immobilis; tamen quia non adæquat totum mensuratum, v.g. pannum una mensuratione, sed opus est, quòd ei iterum applicetur pannus, & replicetur mensuratio, ut pannum adæquet, est imperfecta in ratione mensuræ; ergo similiter imperfecta esset æternitas, si non mensuraret totum tempus unica, & simultanea mensuratione, sed successivis mensurationibus. Confirm. æternitas mensurat res creatas non solum eis coexistendo, sicut aliæ mensuræ creatæ, sed eas perfectè possidendo; quare in definitione

æternitatis dicitur, quòd est tota simul, & perfecta possessio: ac proinde, quamvis mensuræ creatæ expectare debeant existentiam rerum, ut illas mensurent, hoc tamen æternitati repugnat; aliter non esset tota simul & perfecta possessio rei: ex quacunque enim parte succedat deur, sive ex parte mensuranti, quod applicatur, sive ex parte mensurantis, cessat simultanea, & perfecta possessio illius; ergo repugnat illi aliqua successio non solum intrinsecæ, & ex parte sui, sed etiam extrinsecæ, & per comparisonem ad ea, quæ mensurat.

536. Resp. dist. ant. Ulna est mensura imperfecta, quia non adæquat pannum unica mensuratione, ex defectu & insufficientia ipsius ulnæ conc. quia non adæquat ex defectu panni neg. ant. & conseq. Ratio est, quia æternitatem non mensurare unica mensuratione omnia instantia, non sumitur ex defectu æternitatis; sed ex defectu, & incapacitate instantium ad correspondendum ei simul. Ad confirmationem dist. ant. mensurat res perfectè eas possidendo, quando mensurat conc. quando non mensurat, neque sunt mensurabiles neg. ant. & conseq. Ratio est, quia ut patet ex ipsa definitione æternitatis, quæ dicitur interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio. æternitatis Dei, eò quòd sit æternitas viventis sine principio, & sine fine, est interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio: non tamen est tota simul possessio creaturarum, cum non semper & simul existant creaturæ, neque istæ sunt vitæ interminabilis, neque vitæ. Quamobrem adversarius mutilavit definitionem æternitatis, relinquendo *ly interminabilis vitæ*, ne in ipso argumento appareat jam falsitas. Exinde constat, æternitatem non esse mensuram, qua mensuratur duratio creaturæ, quoad quamdiu duret, nec quoad quando duret. Non enim est verum dicere: Creatura coexistit toti æternitati Dei; ergo existit hoc anno. Solum ergo est mensura latitudinis, intra quam potest existere creatura, quatenus est verum dicere: creaturam non posse existere nisi in tempore, vel intra tempus, aut durationem, qua duret æternitas. Unde mensura creaturæ quoad quamdiu, & quoad quando duret, sunt tempus, vel instantia successiva, quibus correspondet.

537. Objic. 9. Deus ab æterno habet perfectissimam intuitionem futurorum: sed intuitio est visio rei physicè præsentis intuiti ut tali: ergo futura physicè sunt Deo præsentia ab æterno in mensura æternitatis. Confirm. Quidquid coexistit integræ durationi carenti principio, & sine, eo ipso ab æterno & in æternum absque principio, & sine coexistit: sed creatura coexistit integrè æternitati Dei, quæ est duratio carens principio, & sine; ergo &c. min. & cons. tener. Major verò prob. Supponatur Angelus productus ab æterno, & in æternum duraturus: modò sic: Res, quæ coexi-

coëxisteret integræ durationi hujus angeli, necessariò coëxisteret illi ab æterno, & in æternum absque principio & fine: sed non ob aliam rationem, nisi quia illius angeli duratio caret principio, & fine; ergo &c. Resp. Conc. maj. & neg. min. quia de conceptu visionis, seu intuitionis perfectissimæ solum est attingere clarissimè objectum prout existens à parte rei, in sua temporis differentia, quamvis istud non sit physicè coëxistens intuitioni, vel intuitui pro alia temporis differentia. Sic Deus intuetur modò Antichristum pro sua temporis differentia exiturum, quamvis non intuetur illum existentem in ista temporis differentia.

538. Ad confirmationem dist. maj. Quidquid coëxistit durationi integræ divisibili carenti principio, & fine, non habet primam & ultimam durationem concedo. Quidquid coëxistit durationi integræ indivisibili carenti principio, & fine, non habet primam, & ultimam durationem subdit. Si ei coëxistat ut in actu secundo adimplente omnia instantia conc. si solum coëxistat illi, ut correspondenti aliquibus solum instantibus neg. maj. & dist. eodem modo min. neg. conseq. Ad probationem conc. maj. & dist. eodem modo min. neg. conseq. Ratio est, quia cum æternitas intrinseca sit tota in unico instanti, potest aliqua res illi toti coëxistere correspondens ei solum in unico instanti: at verò illa æternitas angeli, cum non existat tota, & integra in minori, quàm in totius temporis æterni mensura, ut res aliqua illi integrè respondeat, necesse est, ut toto eo tempore, atque adeò ab æterno, & in æternum illi coëxistat. Discrimen autem inter intrinsecam, & extrinsecam æternitatem est satis grande: si autem tale non esset, res quæcunque in propria mensura existeret ab æterno, eo præcisè, quòd in propria mensura coëxistat toti æternitati indivisibili Dei in aliquo instanti. Cum etiam quælibet res esset immentia, & sine principio, & sine omni loco responderet ex eo præcisè, quòd in aliquo loco responderet toti intrinsecæ immentitati Dei, quòd est manifestè fallum, & contra Fidem.

539. Objic. ultimò. Creaturæ coëxistunt æternitati Dei ut habenti suam essentiam: sed de essentia æternitatis Dei est existere ab æterno, & semper, ergo creaturæ coëxistunt illi prout existenti ab æterno, & semper, atque adeò coëxistunt ab æterno. Probatur consequentia. Repugnat creaturam coëxistere æternitati Dei prout existenti hodie, quin creatura existat hodie; ergo repugnabit pariter creaturam coëxistere æternitati Dei, ut existenti ab æterno, & semper, quin creatura existat ab æterno, & semper. Resp. Argumentum in creatura coëxistente immensitati ut habenti suam essentiam: atque adeò ut existenti in omni loco. Tum etiam in creatura, quæ in propria sua mensura coëxistit æternitati ut ha-

R. P. Gor. maz. Theolog. Tom. I.

benti suam essentiam. Resp. Deinde dist. maj. ut habentem suam essentiam intrinsecè durantem conc. extrinsecè durantem per omnia instantia successiva neg. maj. & dist. min. neg. consequent. Nam æternitas non existit in hoc, & in illo instanti intrinsecè, & per suam essentiam præcisè, sed per coëxistentiam cum hoc, & illo instanti, quæ coëxistentia includit aliquid extrinsecum Deo, nimirum existentiam hujus, & illius instantis. Etenim de ratione æternitatis intrinsecæ solum est exigere correspondere cuicumque tempore, quando existat; non autem quando non existat. Neque exigit coëxistere instanti A post instans C, si ve alia ante instantia priora ad instans A. Ex dictis

540. Fit 1. Præsentiam physicam futurorum in æternitate non esse medium, ut Deus ea ab æterno cognosceret: aliter illa cognosceret in medio chimerico. Fit 2. Adhuc ea præsentia admittit non satis esse ad salvandum immutabilitatem scientiæ divinæ, ut constat à n. 491. Fit 3. Futura absoluta cognosci invariabiliter à Deo ab æterno in se ipsis, cum objectivè sint præsentia ab æterno visioni divinæ. Fit 4. Futura absoluta nobis libera non posse cognosci immutabiliter ab æterno in proximis eorum causis. Ratio est, quia causa libera secundum totum, quod includit in actu primo proximo expedito, adeoque includente decretum Dei per se applicativum omnipotentia, & colativum auxilii est ad utrumque indifferens: in medio autem ad utrumque indifferente nequit cognosci effectus determinatè certò, & infallibiliter, si ve immutabiliter. ut latè constat ex dictis. Sic etiam D. Thomas Tract. de Præsc. & Præd. cap. 5. Ad quartum dicendum, quod contingens futurum, ut motus liberi arbitrii, quamvis non sit determinatum in causa sua, est tamen determinatum in esse suo, secundum quod est in actu, & sic subjacet certitudini Præscientiæ, sicut supra dictum est de futuris contingentibus in supra dicto capite.

541. Fit 5. Decreta omnia subsequentiæ scientiam mediam prænitiva, si ve efficaciter inrentiva & compossibilia cum libertate esse causam per accidens effectuum, secus autem per se; cum per se non requirantur ad productionem effectus, sed sit ipso effectu conditionatè prævisò, adeoque, & causis conditionatè prævisis naturà posteriora ad eum modum, quo scientia visionis effectus in se ipso est naturà posterior effectu libero absoluto; adeoque & causis per se absolutis talis effectus, ut ex tota Disputatione latè constat, & ex dicendis de Providentia latius constabit: ac proinde non esse medium se tenens ex parte actus primi per se requisiti ad cognitionem effectus. Quinimò illa decreta, licet non sint scientiæ visionis effectus in se ipso; cum scientiæ visionis effectus in se ipso; pendeat ab hoc, vel illo determinato decreto: nihilominus sunt scientia

P

visio.


visionis effectus in decreto. Ratio est, quia tale decretum metaphysicè connectitur cum effectu absolute futuro: neque potest convenire aliquod predicatum scientiæ visionis effectus in decreto, quod non conveniat decreto, ut constat à n. 173. Unde eodem modo, quo il-

lud decretum est causa per accidens effectus, ita illa scientia erit causa per accidens effectus. Scientia autem effectus in se ipso, ut ex dictis constat, nequaquam potest effectum illum causare.

## DISPUTATIO VIII.

### DE NOTITIIS PRÆVIIS AD SCIENTIAM MEDIAM, QUÆ EST DE FUTURIS LIBERIS, CONDITIONATIS.

342. Duplex distingui solet scientia conditionata, altera conditionata ex parte actus, & absoluta ex parte objecti: altera verò conditionata ex parte objecti, & absoluta ex parte actus. Conditionata ex parte actus est absoluta aliqua affirmatio, quæ daretur, si aliqua conditio poneretur: v. g. Si Deus prædestinasset Judam, daretur absoluta affirmatio talis prædestinationis. Absoluta ex parte actus, & conditionata ex parte objecti est, quæ absolute existit, sed non affirmat suum objectum absolute, sed conditionate: v. gr. si Judas fuisset prædestinatus, salutem obtinisset. Eodem duplici modo potest dici aliquod decretum conditionatum, scilicet conditionatum ex parte actus: si nimirum conditio apponatur, tanquam conditio ad existentiam decreti, & conditionatum ex parte objecti; quando nempe conditio apponitur tanquam conditio, sub qua decretum vult suum objectum. Insuper scientia conditionatorum est duplex: alia conditionatorum contingentium: & alia necessariorum: illa, est quæ cognoscit futura conditionata sub aliqua conditione conducente, & indifferente ad id, quod affirmat futurum, vel ad ejus oppositum. v. gr. Si Petrus vocetur auxilio A sufficienti, consentiet. Scientia verò futurorum conditionatorum necessariorum est illa, quæ futura necessaria cognoscit sub conditione non quidem indifferente, sed infallibiliter connexa cum futuro. v. gr. Si productio existat, existet effectus: etenim omnino necessarium est, & non contingens, quod, si detur aliquid essentialiter connexum cum effectu, existat effectus. Cæterum in præfenti non agimus de hac scientia conditionata, quæ cum sit de objecto necessario, est scientia simplicis intelligentiæ; sed de scientia conditionata, quæ non habet conditionem essentialiter cum termino connexam.



### SECTIO I.

#### De Statu Præfentis Controversiæ.

Vix nata est scientia media, cum delata est ad Lusitanos Inquisitores, ubi ab omni censura declarata est immunis. Procurante autem Dominicano Bannes Primario Salmanticensi, delata est iterum ad Supremum Inquisitionis Hispaniæ Tribunal. Hinc etiam triumphans delata demum est ad Sanctissimum, ubi discussa jussu Clementis VIII. tunc regnantis post diuturnas, & acres disputationes indemnis extitit, atque ex Decreto Pauli Quinti *permissa liberè doceri, e-vulgariq;e*, qui omnium maximus triumphus fuit. Quin imò non solum Doctores nostri, verum etiam ab eo tempore & ipse Bannes eam probabilem appellavit, qui, cum morti esset proximus, dixit, se valde probabilem reputare sententiam Societatis, & quod contra eam conatus fuerat, solo studio veritatis egisse. Tum etiam Joannes Lallemander ex ordine Minimorum, qui *Tom. 1. de Deo uno disp. 8. pag. 250.* dixerat: *Modica auctoritatis sui hæcenus in schola Theologica scientia media, & proinde exterminanda, neque ratione, neque auctoritate fulcitur: unde signum est, quod brevi corruet. Omnis enim novitas nulla valida ratione fulva, antiquitati aut citò, aut brevi cedit.* Postea tamen ipse palinodiam cecinit in cursu philosophico, ubi *Chyepo 3. pag. 369.* hæc habet: *Quanti clamoribus contra eruditissimum Molinam, quoad suam de gratia efficaci, & scientia media sententiam actum est: ita ut res ad sedis Apostolicæ Judicium fuerit delata. His tamen non obstantibus alias jecit radices Molinistica opinio. Thomistica verò prædeterminatio jam dormitat etiam in eorum scholis.* Quam profundas autem radices jecerit, tradunt accuratè superiores historici. Historiam enim latè prosequuntur, Possinus, Henaus, Ripalda, Annatus: nos autem

rem ad scholasticas solum contentiones attendimus.

544. Suppono 1. Omnia absolute futura esse etiam futura conditionata, & non e contra, ut constat ex n. 446. Quinimò objectum liberum contingens non solum se extendit ad futura, verum & ad præterita, & præsentia, ut constat ex eodem numero. Hæc autem sciëntia conditionata plura continet; Tria enim reperiuntur in propositione conditionali hypothetica. Primum *conditio sub qua*, quæ dicitur hypothesis, seu antecedens; quia præsupponitur ex parte causæ ad effectum. Secundum *Res, quæ affirmatur, vel negatur*, & dicitur consequens, & eventus, seu conditionatum. Consequens, quia comparatur ad conditionem præsuppositam: eventus, & conditionatum; quia attingitur ut affectum conditione. Tertium: *Habitudo conditionis ad rem sub illa conditione affirmatam, vel negatam*. Exemplum sit in hac propositione. *Si est ignis, calefacit*. *Ly si est ignis*, dicitur hypothesis, seu conditio, quæ neque affirmatur, neque negatur existere; sed concipitur præscindendo ab affirmatione, & negatione. *Ly calefacit*, explicat calefactionem, quæ est res affirmata sub illa conditione. Tandem *necessitas ipsa, quæ ignis existens purificata illa conditione infert calefactionem*, est habitudo prædictæ conditionis ad prædictum conditionatum. Exinde

545. Suppono 2. Habitudinem conditionis ad conditionatum juxta diversam naturam suam, diversas etiam inferre conditionales propositiones 1. enim si conditio identificatur realiter, vel connectitur essentialiter cum conditionato, resultat conditionalis necessaria, ut in istis: *Si est homo, est animal: si est actio productiva termini, est terminus productus*. 2. Si conditio repugnat termino, resultat conditionalis impossibilis. v.g. *si est homo, est equus*. Verum hæc omnia cum sint de veritate, aut falsitate necessaria sub ea conditione, non pertinent ad sciëntiam mediam, sed ad sciëntiam simplicis intelligentiæ, quæ ex dictis à n. 243. attingit omnes veritates necessarias, de quibus hic non agimus. 3. Si habitudo conditionis ad conditionatum non est necessitatis, neque repugnantia, sed indifferentiæ, quatenus conditio ex se potest componi cum conditionato, & cum illius carentia, tunc resultat conditionalis contingens.

546. Cæterum hæc conditionalis contingens duplex etiam est: altera, cujus conditio conducit aliquo modo ad conditionatum, & aliquo modo removet oppositum. v.g. Si Petrus per auxilium divinæ gratiæ vocetur, consentiet: si legat librum spiritualem, convertetur. Altera est, cujus conditio nullo modo conducit ad conditionatum potius quam ad oppositum. v.g. Si Petrus rideat, Turca dormiet. Unde hæc secunda vocatur conditionalis de conditione disparata, & melius, quam per sen-

R. P. Gorman Theolog. Tom. I.

sum hypotheticum explicaretur per particulam *quando* significativam casualis existentiæ, ut accuratè notavit Exim. Doctor in *Opusc. lib. 2. de sciëntia conditionata* c. 6. Sic exponitur illud, quod dixit Eliseus Regi Syriæ 4. Reg. 13. *Si percussisses quinquies, aut sexies, si ve septies, percussisses Syriam usque ad consummationem*; ubi non est connexio causalis, ut per se patet: sed est concomitantia ex voluntate Dei Prophetæ revelata: adeoque non de ista, sed de prima, quæ vocatur de conditione conducente, suam dicit Originem controversia nostra. Ac proinde de sola illa priori est diffidendum in præsentia, exinde

547. Suppono 3. Aliquas propositiones conditionales, quæ ad primam speciem apparent contingentes, seu habentes conditionem absque necessaria connexionione cum conditionato, reverà non esse tales, cum sæpe lateat connexio consistens in decreto efficaci libero Dei, infallibiliter connectente conditionem cum conditionato, quod maximè notandum est, ne controversia præfens in alienum sensum detorqueatur. Talis est propositio illa Christi *Joan. 16. Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos*. Ratio est, quia in ea conditione includitur decretum efficax Dei de non mittendo Spiritum Sanctum, antequam Christus ascenderet ad Patrem. Talis etiam est ista propositio de Fide: *Si Peccator è vita decesserit cum penitentia finali, salutem æternam consequetur*. Cum in ea conditione includatur decretum efficax Dei, dandi gloriam cuicumque peccatori ex vita discedenti cum penitentia finali. Quamobrem conditio antecedens in prima propositione, sub qua negatur adventus Spiritus Sancti, non est sola negatio Ascensionis Christi, sed ea simul cum prædicto decreto. Sic etiam in secunda propositione conditio antecedens, sub qua affirmatur consecutio gloriæ, non est sola penitentia finalis, sed illa prout affecta decreto de gloria danda tali penitenti.

548. Exinde prædictæ veritates non pertinent ad sciëntiam mediam, sed ad sciëntiam simplicis intelligentiæ, & ad sciëntiam visionis. Ratio est, quia per sciëntiam visionis videt Deus existentiam talis decreti, quo constituitur conditio earum veritatum; cum ad sciëntiam visionis spectet videre omnia existentia, ut constat à n. 243. Per sciëntiam autem simplicis intelligentiæ cognoscit Deus necessariam connexionem decreti promissivi cum effectu promisso: cum ad hanc sciëntiam pertineant omnes veritates necessariae, ut ex eodem n. constat. Propter eandem rationem pertinent ad sciëntiam simplicis intelligentiæ istæ, & similes conditionales veritates necessariae. Si detur in Deo decretum efficaciter prædefiniens liberam peccatoris conversionem, existet libera conversio. Unde de hujusmodi conditionalibus, quarum conditio necessariam habet connexionem cum conditionato, utpote

utpote ad scientiam mediam non pertinentibus, in præfenti non agimus, sed de illis, quæ ex parte actûs primi per se requisiti ad eventum nullam cum illo habent metaphysicam connexionem.

549. Supp. 4. Sententiam nostram de scientia media solum posse impugnari ab adversariis duplici via: nimirum, vel probando Deum non cognoscere infallibiliter, sed solum conjecturaliter futura libera conditionata: vel probando ea solum cognoscere in decreto subiectivè absoluto, & objectivè conditionato, de quo n. 456. Primam viam aggressi sunt initio exorta controversia antiqui Thomistæ docentes Deum solum cognoscere infallibiliter inclinationem voluntatis, ipsos autem actus non cognoscere, nisi probabiliter, & conjecturaliter. Verùm rationum pondere à nostris auctoribus convicti eam sententiam reliquerunt moderni Thomistæ, & jam nobiscum consentiunt docentes Deum etiam infallibiliter cognoscere ipsos actus conditionatè futuros. Quod autem Joannes à S. Thoma, Vives, & Gonetius suos exultare conantes dicunt antiquos Thomistas nunquam negasse scientiam Dei infallibilem circa futura conditionata, adeoque triumphos, quos tanta verborum pompa nostri decantant, leves foliorum sonitus, & inanes umbras esse, parum quidem refert; cum Thomistarum antiquorum opera extant, quæ triumphos nostros non inanes, sed veros esse facile comprobant. Sin autem, audiamus adversariorum fundamenta.

550. Respondet igitur primò Gonetius, Ledesmam, & alios Dominicanos, nunquam negasse scientiam certam futurorum conditionatorum fundatam in decretis divinis conditionatis ex parte objecti, de quibus postea, sed solum scientiam conditionatam certam conditionatorum in causis contingentibus. Contra tamen, quia Gonetius non legit Ledesmam, neque suos auctores; ergo nulla est responsio. Probat Antecedens, quia Ledesma Tractat. de Divinæ Gratiæ auxiliis Editionis Salm. ann. 1611. disp. 2. de Scientia Futurorum pag. 577. ita ait: *Secundus modus explicandi istam sententiam est aliorum, qui dicunt, quod Deus cognoscit hæc futura conditionata in prædeterminatione sua voluntatis, & in decreto illius, quo prædeterminavit, quid esset futurum non absolute, sed sub conditione: si hæc vel illa circumstantia poneretur.* Et pag. 582. agens de hac sententia ait: *Secunda Conclusio. Prima sententia juxta secundum modum declarata est falsa, & improbabilis. Hanc conclusionem docent omnes auctores secunde sententiae, & præcipue omnes illi, qui sequuntur doctrinam D. Thoma.*

551. Insuper eodem tom. pag. 574. ait: *In hac difficultate sunt duæ oppositæ sententiæ inter Do-*

*ctores: prima sententia est affirmativa videlicet, quod in Deo verè est scientia certa, & infallibilis futurorum conditionatorum. Hanc sententiam quidam moderni Theologi, qui non sunt ex schola D. Thoma, ut Molina, Valentia, Vasquez, Suarez, &c. Et pag. 519. ait: Secunda sententia est omnino huic opposita, quæ quidem docet, quod in Deo non reperitur talis scientia conditionata istorum futurorum conditionatorum. Docet enim ista sententia, quod potest Deus per conjecturas aliquo modo cognoscere, quid causa libera faceret, si in tali occasione cum istis, vel illis conditionibus constitueretur. Non tamen potest certa, & infallibili scientia id cognoscere: atque adeo potest quidem Deus judicare, quid foret verosimilius, vel probabilius in tali eventu; non tamen potest definitum judicium ferre, hoc esse, aut fieri, si illud fieret. Et subjungit: Hanc sententiam sequuntur omnes discipuli D. Thoma, qui in hac tempestate interpretantur illum, & omnes, qui sequuntur ejus doctrinam in materia de auxiliis Divinæ Gratiæ.*

Rurfus Mag. Joannes Gonzalez de Albelda, Dominicanus Primarius Complutensis tom. 1. in primam partem Editionis Complut. 1621. disp. 44. sect. 2. n. 8. hæc habet: *Prima sententia est aliquorum juniorum Thomistarum, qui dicunt ejusmodi futura solum cognosci à Deo conjecturaliter; vel certitudine quadam morali, non autem certitudine Logica, aut Metaphysica excludente omne dubium ex parte rei cognita: Existimant enim, quod solum cognoscuntur à Deo ex vi connexionis cum conditionibus præsuppositis, ac subinde, cum connexio ejusmodi non sit formalis, seu necessaria necessitate illationis, non cognoscuntur certo, & infallibiliter, sed solum conjecturaliter, vel quadam certitudine morali majori, aut minori juxta majorem, aut minorem connexionem cum conditionibus præsuppositis. Ex hac autem inferunt, quod, quando conditiones sunt disparatæ, aut omnino remotæ, talia futura conditionata nullatenus cognoscuntur à Deo. Hanc sententiam latè defendit M. Balathasar Abarete Dominicanus tom. 1. in primam partem editionis Valisoletanæ, anno 1605. contr. 56. §. 3. De decreto autem illo subiectivè absoluto, & objectivè conditionato, quod recentes Thomistæ necessarium judicant, ut Deus cognoscat infallibiliter futura conditionata, non est, quod dicamus; cum satis superque de illo dixerint antiqui Thomistæ; Legatur Zumel in Commentario supra primam partem D. Th. tom. 1. edit. Salmant. 1590. ibi enim quæst. 14. art. 13. disp. 8. concl. 3. hæc habet: *Respondent nonnulli, quod, licet Deus non prædeterminaverit illa, ut sint, vel ut forent aliquando, nihilominus prædeterminavit, ut essent; si tales apponerentur circumstantia. Ridicula sanè responsio, quæ Deum imperfectum reddit: Hæc illi.* Ergo Gonetius Auctores Thomistæ non legit: exit*

exinde non miror, quòd iste Auctor externos Doctores non legir: qua de causa dicit opus quoddam Anonymum, cui titulus, *de Ordine, de que Priori, & Posteriori*, in quo sententia antiquorum Thomistarum continetur, esse Claudii Tifani Jesuitæ. Cæterum ad dandum nomen Anonymo non satis est, quòd Gonet id asserat, sed probare, negamus enim, tale opus esse talis auctoris. Ratio est, quia in nova societatis Bibliotheca, in qua hujus Auctoris omnia opera recensentur, nulla, vel minima talis operis fit mentio.

553. Respondet secundo Gonet, quòd futurum dupliciter considerari potest, vel per ordinem ad causas creatas, vel per ordinem ad D E I decretum. Primo modo, ait, cognoscuntur à D E O futura conditionata cognitione objectivè conjecturali, & subjectivè infallibili. Secundo verò modo cognoscuntur à D E O cognitione tam objectivè, quam subjectivè infallibili. Hæc autem responsio non venit ad rem. Quia modò non querimus de medio, in quo DEUS cognoscat certissime, & infallibiliter futura conditionata: sed investigamus sensum antiquorum Thomistarum, quos recentes Thomistæ deserunt; & ad nostra castra confugiunt. Nihilominus gratulor Gonet, qui ex hac distinctione ostendit, quàm debilia sint argumenta, quæ demonstrationes appellabat probando non posse DEUM cognoscere possibilia in se ipsis. Argumentum enim ipsius appositum num. 360. hoc erat: In D E O nequit admitti duplex modus cognoscendi, quorum unus sit alio perfectior: adeoque cum cognitio possibilium in divina essentia sit perfectior modus cognoscendi, quàm modus cognoscendi illa in se ipsis, ex eo, quòd DEUS cognoscat possibilia in se ipso, nequit illa cognoscere in se ipsis. Modò sic: acqui etiam modus cognoscendi futura conditionata infallibiliter tam objectivè, quàm subjectivè est perfectior quàm modus cognoscendi conjecturaliter objectivè, ut ex terminis patet; ergo ex eo, quòd hunc duplicem modum non neget adversarius, sed asserat, pariter tenetur asserere illam suam demonstrationem inanem esse. His positis

554. Affero cum nostris, & Thomistis Junioribus, DEUS certò, & infallibiliter cognoscat futura contingentia conditionata. Probatum primò ex Scriptura 1. Reg. cap. 23. ubi David consuluit Dominum, an Ceilæ ipsi traderent Sauli, si Ceilæ maneret; & an si maneret ipse David Ceilæ, descensus esset Saul? Respondit Dominus: *Descendet, tradent.* Quibus in verbis revelavit DEUS duos eventus conditionatos: de descensu Saulis, & de Ceilæ traditio-

si David maneret Ceilæ; quos eventus evitavit David, tollens conditionem per fugam. Modò sic: Veritas revelata non solum est animus Saulis ad descensum: & Ceilæ traditio ad traditionem: sed traditio & descensus; si maneret ibi David, ut constat ex textu; ergo veritas à D E O præscita fuit eventus omnino contingens; & conditionatus; blasphemum enim est aut verum DEUM revelasse, quòd non præcognoverat; aut revelasse modò exposito falsitati; ergo infallibiliter fuit in cognitione D E I conditionatus descensus Saulis; & conditionata traditio Ceilæ: etenim; ut per se notum est, & tradit Augustinus *Tract. 37. in Joannem* divinitas non opinatur.

Probat. 2. ex 3. Reg. 11. Ubi ne Filii Israël ingrederentur ad Filias Gentium, ait Deus: *Non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredietur ad vestras: Certissime enim avertent corda vestra, ut sequamini Deos earum.* Ubi DEUS prædixit conditionatam aversionem cordis Filiorum Israël sub conditione, quòd ingrederentur ad Filias Gentium. Quòd cognovit non quidem conjecturaliter, sed certissime, ut patet ex textu; ergo &c. Confirm. 1. ex illo Christi, *Matth. 11. cit. num. 241.* ubi futura libera conditionata assertivè Christus pronunciat; ergo &c. Confirm. 2. *Ex Sap. 4.* ubi de iusto dicitur: *Raptus est, ne malitia ejus mutaret intellectum;* ubi ad tollendum è vivis iustum dirigitur DEUS ex prænotitia de malis operibus, quæ iustus faceret, si diutius viveret. Hic enim est verus hujus scripturæ sensus teste Augustino *cap. 8. de Correctione & gratia*, ubi hæc habet: *Respondent, si possunt, cur illos DEUS, cum fideliter, & pie viverent, non tunc de Vita hujus periculis rapuit; ne malitia mutaret intellectum eorum; & ne silitio detriperet animas eorum.* Utrum hoc in potestate non habuit, an eorum mala futura nescivit? nempe nihil horum, nisi perversissime atque insanissime dicitur; ergo &c.

Cæterum in hoc D. Augustini testimonio 556. valde notandum est, S. Doctorem non asserere DEUM moveri ex Operibus conditionate prævisis tanquam ex meritis dignis præmio: præmium enim solum correspondet meritis absolutis. Quis enim dicat, me teneri dare præmium Petro; ex eo, quòd, si vixisset certum annos, confecisset domum, quæ præmio & mercede esset digna? solum ergo ait Augustinus: DEUM ex præscientia operum conditionatorum in sua misericordia moveri ad rapiendum iustum è vivis, ne amittat Justitiam, quòd clarè explicat, & decidit ipse Augustinus *tom. 7. Lib. de Prædestinatione cap. 15.* ubi hoc hæreticorum argumentum sibi objicit per hæc verba: quòd si

forſitan dicunt pœnitentibus peccata dimitti, & imò ipſos non baptizari in parvula ætate morientes, quia præſciti ſunt pœnitentiam, ſi viverent, non acturos, eos autem, qui baptizantur, & parvuli de corporibus exeunt, DEUM præſcire, acturos pœnitentiam fuiſſe, ſi viverent. Reſp. Auguſtinus huic objectioni cap. 14. per hæc verba: *Raptus eſt ne malitiâ mutaret intellectum ejus, dictum eſt, enim ſecundum periculâ vitæ hujus, non ſecundum præſcientiam DEI, qui hoc præſcivit, quod futurum erat, non quod futurum non erat, id eſt, quod ei mortem immaturam fuerat largiturus, ut tentationum ſubtraheretur incerto, non quod peccaturus eſſet.* Unde Auguſtinus non negat ſcientiam conditionatam, ſed eam ſupponit, ſupponendo juſtum raptum immature, ne malitiâ mutaret intellectum ejus, negat autem præſcientiam de peccato abſolute futuro, quia tale peccatum abſolute futurum non erat, & DEUS non cognoviſſet futurum eſſe, quod futurum non eſt.

557. Quin imò, ut accuratè notavit Exim. Doctor in Opusculis libr. 2. de Scientia futurorum conditionatorum contingentium cap. 3. num. 8. hoc nomen præſcientia, eſt aliquando ſumatur pro omni ſcientia divina priori prioritate temporis ad quemcunque effectum creatum, aliquando verò apud SS. Patres ſolum ſumitur pro ſcientia illius rei, quæ poſtea abſolute erit, quatenus præſcientia dicit præcedentiam ad rem ſubſequentiam, ſicut ergo hic mundus non dicitur præcedere, ſeu antecedere alium, quia alius mundus nunquam erit, ita ſcientia DEI de illis futuris conditionatis, quæ nunquam erunt, non dicitur præſcientia, ſive præcedentia, ſumpta præſcientia, in hac ſecunda ſignificatione; ex quo componuntur varia SS. Patrum teſtimonia, quorum aliqua concedunt præſcientiam de futuris conditionatis, alia negant, componuntur quidem facile. Nam prima loquuntur de præſcientia ſumpta in prima ſignificatione, alia verò de præſcientia ſumpta in ſecunda ſignificatione. Sic Damascenus in Dialogo contra Manicheos: *Prænotio eſt, quæ futura ſunt, antequam in actum procedunt, noſſe.* Anſelmus libr. de Concordia præſcientiæ & prædeſtinat. *Quapropter cum dicimus, quia quod Deus præſcit futurum, neceſſe eſt eſſe futurum, non aſſerimus ſemper, eſſe rem neceſſitate futurum, non enim poteſt futurum ſimul eſſe non futurum. Idem ſenſus eſt, ſi ſic dicitur, ſi DEUS præſcit aliquid, non addendo futurum, quoniam in præſcire intelligitur futurum.* Hugo de S. Victore primo de Sacram. Part. 2. cap. 8. diſtinguens ſcientiam DEI à præſcientia, ait: *Si futura non eſſent, fore quidem in DEO ſcientiam, non*

tamen præſcientiam, & addit: *Illâ, quæ præſcientia eſt, ſcientia fuiſſet, etiamſi præſcientia non fuiſſet, ſi futurum aliquid non fuiſſet.* Idem etiam affirmant Magiſt. ſententiarum, & alii Theologi. Hoc ergo ſolum ſenſu negant PP. præſcientiam contingentium conditionatè tantum futurorum, ex quo ſoluta manent argumenta adverſariorum ab autoritate deſumpta.

Probat. 2. Ratione fundamentali: Deus 558. cognoviſſet certè & infallibiliter, quidquid eſt verum, affirmabile; aliter intellectus divinus non eſſet incapax omnis ignorantie: atqui unum eſt duobus, nempe Petrus conſentiet, ſi conſtitutus ſit proximè potens ad conſenſum, Petrus non conſentiet, ſi conſtitutus ſit proximè potens ad non conſenſum, eſt verum affirmabile, ergo Deus cognoviſſet unum ex his duobus, & conſequenter haberet aliquam ſcientiam conditionatâ certam. min. prob. quia poſito eo actu primo proximo, vel conſentiet Petrus, vel non conſentiet? Hæc enim eſt vis contradictoniorum, ut non poſſint ſimul exiſtere, neque ſimul deficere, adeoque poſito eo actu primo proximo, impoſſibile eſt non ſolum, quòd exiſtant ſimul conſenſus, & non conſenſus Petri, ſed etiam quòd ſimul deficient, ergo neceſſarium eſt unum eſt duobus, vel quòd exiſtat conſenſus, vel quòd non exiſtat; ergo una eſt duabus propoſitionibus debet eſſe vera, vel quòd conſentiet Petrus, ſi ponatur ea conditio, vel quòd non conſentiet. Unde unam ex his veritatibus debet DEUS certè cognoviſſe. Conſirm. variis PP. teſtimoniis videndis apud Henao à num. 59. & variis quaſtionibus, quas ſupponunt, de quibus infra agemus num. 577. Exinde

Fit primò. DEUM certè & infallibiliter 559. cognoviſſe futura contingentia conditionata, etiam non revelata, nec cum Univerſis rebus connexa. Ratio eſt, quia non minus unum eſt duobus contradictonis eſt verum, adeoque & cognoviſſet ab intellectu divino circa non revelata, quàm circa revelata, quin imò non poteſt Deus revelare actus noſtros liberos, qui erunt, niſi quia præcognoviſſet, ut conſtat ex dictis. Fit ſecundò. Solum manere controverſiam inter ſcholam noſtram, & Thomiſticam modernam, pro admittenda, vel rejicienda ſcientia media ex ſecunda via, quam aſſumebant, nimirum ex neceſſitate deſereri efficaciſſime ſubjectivè abſoluti, & objective conditionati per ſe requiſiti, ut DEUS cognoviſſet futura contingentia conditionata. Etenim ſi hoc requiratur, repugnabit ſcientia media, ſi autem hoc non requiratur, vel cum libertate repugnet, erit neceſſaria, & innegabilis ſcientia media, neque diſtant multum ab iſta Thomiſtarum via communiter Scotiſtæ, requirentes decretum efficaciſſimè

tax DEI, ut ipse cognoscat futura contingencia conditionata, cum hoc discrimine tantum, quod illi Scrituræ negant tale decretum, etsi per se prævium, inducere physicam præmotionem, purificata conditione, utpote superflua, ideòque appellant decretum prædefinitivum; quod Thomistæ vocant prædeterminativum; cæterum iisdem argumentis utrumque dicendi modum impugnabimus, & scientiam mediam stabilimus, postquam dissolverimus argumenta antiquorum Thomistarum, pro quo fit

## SECTIO II.

## Solvuntur opposita.

360. **Objic. 1.** Augustinus exponens illud Sapientia 4. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus*, ait: *Dicitur est enim secundum pericula vite hujus, non secundum præscientiam DEI, qui hoc præcavit, quod futurum erat, non quod futurum non erat*, ut ex num. 556. Ergo DEUS non habet scientiam infallibilem de futuris conditionatis. **Resp. Conc.** antecedens, & nego consequentiam, quia Augustinus negat ibi præscientiam sumptam præscientia pro scientia antecedente ad rem, quæ postea erit, ex dictis num. 557. Adeòque cum futura purè conditionata nunquam ponenda sint à parte rei; non habet in eo sensu Deus eorum præscientiam. Revera cum certò DEUS sciat, quod, si poneretur ea causa, poneretur etiam talis effectus, exinde habet infallibilem scientiam de talibus futuris; neque volumus contendere de Voce præscientia; cum hæc habeat duplicem significationem, ut eodem numero diximus, quarum una comprehendit omnem scientiam; secus alia, quoad scientiam autem dubitare non licet de mente Augusti ut ex num. 555.

361. **Objic. 2.** Scientia formaliter conditionata ratione particulari claudit plures imperfectiones, prima est compositio, & pluralitas conceptuum; quia componit conditionatum cum conditione; secunda est discursus, quia idem est, si sol oritur, dies est, atque sol oritur, ergo dies est. Tertia; quod sit simplex apprehensio conditionis, quia neque negat, neque affirmat conditionem. Quarta; quod est abstractio, & præcisio, quia, quando Petrus absolute tentatur, & peccat; scis entia dicens: Si Petrus tentetur, peccabit, præcindit peccatum, & tentationem ab existentia absoluta, quam in re habent. Ergo scientia est valde imperfecta, adeòque repugnat. **Respond. Neg. antecedens.** Nulla enim invenitur imperfectio ex enumeratis; non quidem prima, cum non invenitur compositio ex pluribus entibus realiter distinctis: nam scientia media est realiter indivisibilis, pluraque comprehendit simplici actu, sicut est scientia visionis, per quam

cognoscit DEUS absolutam existentiam tentationis, & peccati Petri, modo, quo in signo peccati cognoscibiles sunt. Secunda imperfectio; nempe discursus non reperitur in aliquo signo rei perfecte cognoscibilis, quin pro eo signo perfectissime à DEO cognoscatur, quod requirebatur ad discursum, ut ex n. 238.

Neque datur tertia imperfectio ratione apprehensionis conditionis: nam in signo hypothesis illa neque est affirmabilis, neque negabilis; adeòque attingit illam apprehensivè quoad existentiam affirmando simul, quod non repugnat, si pohatur. Cum hoc pro eo signo verè cognoscibile sit; neque reperitur 4. Imperfectio; cum scientia conditionata non præcindat unum prædicatum tentationis ab alio, sed attingat omnia omni modo, quo pro eo signo sunt verè attingibilia. Licet enim scientia conditionata abstrahat ab existentia absoluta objecti, nulla tamen est imperfectio; cum pro eo signo nondum sit objectum cognoscibile ut absolute futurum, & divina cognitio non possit cognoscere objectum aliter, ac est, qua de causa apud ipsos antiquos Thomistas scientia simplicis intelligentiæ non est imperfecta, quamvis non affirmet objectum ut absolute futurum, eo quod in signo scientiæ simplicis intelligentiæ objectum adhuc non sit absolute futurum; sed sit signum indifferens ad futurationem, & non futurationem; pariter ergo in casu nostro.

**Objic. 3.** DEUS ab æterno habet scientiam absolutam Vocationis D. Petri, & consensus illius; ergo nequit habere scientiam conditionatam consensus divi Petri, si vocetur. **Probat. consequentia.** Quia stulta est affirmatio conditionata de objecto, quando objectum est absolute futurum; nemo non prudens, dum cognoscit se scribere calamum, diceret, si haberem calamum, scriberem; ergo &c. **Resp. Conc. ant. & dist. consequ.** nequit habere scientiam conditionatam conceptam pro eo signo scientiæ visionis, vel pro posteriori ad illam conc. pro signo priori, & independente à scientia visionis neg. consequent. neque hoc est stultum, & Otiosum, quod pro signo priori, ac independente ab existentia absoluta consensus, pro quo signo nõdum est cognoscibilis ut absolute, sed solum ut conditionatè existens; cognoscatur solum per scientiam conditionatam; hæc enim est perfectio divini intellectus cognoscentis rem modo; quo est cognoscibilis. Exinde ad probationem dist. eodem modo antecedens, & neg. consequ. nam non repugnat, quod jungantur in Deo pro diversis signis illæ scientiæ, sicut in adversariorum sententia scientia simplicis intelligentiæ, quæ est pro signo priori, conjungitur cum scientia visionis, quæ est pro signo posteriori.

Neque ex eo, quod posita vocatione Petri ablo-

absolutè existat consensus, & cognoscatur per scientiam visionis, definit ex eo cognosci à scientia conditionata, seu media. Ratio est, quia si posito auxilio existit consensus, non solum est verum affirmabile, quòd existit absolutè, sed etiam quòd existet, si ponatur auxilium, adeòque utroque modo seu duplici illa scientia cognosci potest, cum hoc tamen discrimine, quòd consensus ut absolutè futurus determinat intellectum divinum ad scientiam visionis pro signo, in quo est purificata conditio. Ad scientiam verò mediam determinat consensus conditionatus pro signo independente à purificatione conditionis, quòd signum est independens à scientia visionis, neque modò curo, an sit prius, quàm scientia visionis signum illud, cum satis sit pro re sequenti, quòd in his modis cognoscendi plurimum implendeat infinita vis cognoscitiva Dei.

565. *Objic. 4.* Hæc propositio. Si Petrus vocetur, consentiet, æquivaleret huic. Casus vocationis, est casus consensus. Modò sic, vel ergo reddit sensum Universalem, nempe omnis casus possibilis vocationis est casus consensus, & hic sensus est fallax, quia casus vocationis dissensus est casus possibilis vocationis, & non est casus consensus, vel reddit hunc sensum particularem, nempe; aliquis casus possibilis vocationis est casus consensus, & hoc nequit dici, quia objectum scientiæ mediæ est veritas contingens, atqui aliquis casus vocationis est casus consensus, ut veritas necessaria, & non contingens, ergo &c. Probat. min. Casus vocationis, & consensus est aliquis casus possibilis vocationis, sed hic casus est necessariò casus consensus, ergo aliquis casus vocationis, & casus consensus est veritas necessaria.

566. *Resp.* Illam propositionem reddere sensum particularem quatenus omnis casus vocationis non est casus, in quo eveniet consensus, nego tamen, quòd sit veritas necessaria, & non contingens. Ad probationem min. conc. maj. & dist. min. hic casus necessariò est casus consensus, si sumatur, prout est casus includens vocationem, & consensus conc. si sumatur præcisè, prout dicit existentiam vocationis specificativè sumptæ neg. min. & dist. consequ. eodem modo. Itaque hæc scientia, si existit vocatione, existet consensus, solum habet pro conditione vocationem specificativè sumptam, quæ indifferens est ad consensus, & dissensus, & contingenter jungitur cum consensu, non autem habet pro hyporhesi tum vocatione, tum consensus. Unde attingit veritatem contingentem, quia contingens est, quòd sequatur consensus ex vocatione, & auxilio specificativè sumpto.

567. *Objic. 5.* Omne objectum vel est, vel fuit, vel erit, vel neque est, neque fuit, neque erit, si primum, jam attingitur à scientia visionis, si secundum, jam attingitur à scientia simplicis intelligentiæ, ergo est merè possibile, ergo

non datur, alia scientia media conditionata, *Resp.* Nego antecedens. Quia datur tertius modus essendi nempe essendi conditionatè, & secundum hunc modum essendi res est objectum hujus scientiæ conditionatæ, seu mediæ, neque ab alia, quàm à scientia media potest attingi, ut constat ex dictis num. 241. & latius constabit ex dicendis.

568. *Objic. 6.* Veritas propositionis conditionatæ consistit in illationis bonitate, & consequentiæ, ita, ut in conditione necessariò inferatur eventus, atqui hoc est esse futurum conditionatum necessarium, & non liberum, ergo circa futura libera non datur scientia conditionata. *Resp. neg. maj.* quia in omni propositione conditionata non requiritur bonitas illationis, seu connexio conditionis cum eventu, hoc enim solum est verum in futuris conditionatis necessariis. In hac enim propositione, si Petrus vocetur, consentiet, datur aliqua conducentia conditionis nempe auxilii ad consensus, & dependentia consensus ab auxilio. Cæterum, ea conducentia talis est, ut contingenter pro libito voluntatis conjungatur consensus cum auxilio, cum posset conjungi cum auxilio dissensus. Adeòque sensus conditionalis, quem exprimit scientia mediæ, non affirmat conditionem connexam cum eventu, sed supposità conditione ad utrumque indifferente ita affirmat. Si vocetur voluntas, conjunget liberè consensus cum auxilio ad illum conducentè.

569. *Objic. 7.* In multis revelationibus, & locutionibus divinis de futuris conditionatis contingentibus additur illa particula *fortè*, vel *forfitan*. Sic *Genes. 1.* DEUS ait Adamo. Nunc ergo ne fortè mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ. Et *Deut. 4.* ne fortè decepti faciatis vobis similitudinem sculptam, sed istæ particule fortè, & forfitan significant Deum non habere scientiam infallibilem, sed conjecturalem de futuris contingentibus ergo &c. *Resp. conc. maj. & neg. min.* quia illæ particule fortè, & forfitan, quando ita Deus hominibus loquitur, non significant dupliciter in mente divina, sed significant contingentiam in causa libera creata, supra quam cadunt, quo significatur servari liberum hominis arbitrium, ratione cujus non habetur cognitio infallibilis, sed in eventu cognito in se ipso à mente divina. Sic enim explicant SS. PP. hunc modum loquendi in scripturis: Hieron. cap. 8. Hierem. in illum verum noli subtrahere sermonem, si fortè audiant, ubi sic habet. Verbum ambiguum forfitan majestati divinæ non potest convenire, sed nostro loquitur affectu, ut liberum hominis servet arbitrium: sic etiam August. tract. 37. in Joann. forfitan dubitationis verbum est, quando dicitur ab homine ideo dubitante, quia nesciente, cum verò dicitur à Deo verbum dubitationis, cum nihil utique lateat, illa dubitatione arguitur infidelitas, non opinatur divinitas.

570. Pariter Abulenſis ſuper Caput 11. Matth. c. 52. *Adverbium forte importat hic dubium non quantum ad cognitionem Chriſti, ſed quantum ad volubilitatem creaturæ. Sciebat enim Chriſtus quid acturi eſſent Sodomitæ, ſi prædicaretur eis, quia tamen converti, & non converti pendebat ab eorum libertate, ideò dixi forte, ut non putetur cognitio Dei imponere rebus neceſſitatem.* Sic etiam apud homines, quando unus feciſſet alteri certiſſimè beneficium, niſi hoc malum perpeträſſet, dici ſolet, ſi hoc non feciſſes, forſan beneficium aliquid tibi feciſſem, ubi per *ly forte* non excluditur certitudo, ſed eſt peculiaris modus loquendi, non excludens certitudinem, quin imò in præſenti fatiſ conſtat de aliis ſcripturæ locis, Deum habere eam certitudinem, cum non dicat forte, ſed certiſſimè res eventuras, ut ex n. 555. Addunt alii particulam quæ in Latino vertitur *forte*, idem eſſe, quod græcè *án*, quæ vox idem ſonat, quod Latine *iniquè*. Unde eſt confirmativa ſermonis potius, quam nota dubitationis, ſicque videmus eam frequenter poni in ſcriptura, quando ſermo eſt de rebus omnino certiſſimis, ut Plal. 80. *Si populus meus audiviſſet me, forſitan inimicos eorum humiliſſem*, & Joan. 8. *Si me ſciretis, forſitan & Patrem meum ſciretis*, ex dictis

571. Fit præcluſa hæc via, ex qua initio controverſiæ noſtræ impugnabant adverſarii ſcientiã mediam, ſolum ſuperelle ſecundam viam, eam impugnandi, probando nimirum ea debere cognosci in decreto ſubjectivè abſoluto, & obſectivè conditionato, quod prædeterminationem vocant Thomiſtæ, eò quòd ſecum afferat prædeterminationem, idque Scotiſtæ communiter vocant prædefinitivum, quia quantumvis convenientiam cum Thomiſtis in eo, quòd ſit efficax & per ſe prævium ad actus noſtros liberos conditionatè futuros, negant tamen ſecum afferre appendicem prædeterminationis. Unde ut iſta etiam via adverſariis præcludatur ſit

### SECTIO III.

*An Scientia infallibilis futuri conditionati funderur in decretis efficacibus ſubjectivè abſolutis, & obſectivè conditionatis.*

572. Aſſero cum omnibus noſtris Doctõribus: Deus infallibiliter cognõſcit futura libera conditionata independentèr à decreto actuali ſubjectivè abſoluto, & obſectivè conditionato, adeòque ea cognõſcit per ſcientiam mediam. Prob. 1. ex ſcripturis ex illo Matth. 11. cit. n. ubi increpat Chriſtus Judæos comparativè ad Tyrios, eò quòd Judæi poenitentiam non egerint, cum Tyrii, & Sydones eam egiſſent, ſi Chriſtus eas virtutes, & miracula apud eos paträſſet: modò ſic: ſi Deus habuiſſet decretum conditionatè prædeterminans poenitentiam Tyriorum, (ſive, ut ajunt Scotiſtæ, R. P. Gormaz Theolog. Tom. 1.

prædefiniens ſufficiens ſub ea Chriſti conditione, hæc reprehensio foret iniqua & iuavis; ergo &c. Prob. antecedens. Tunc increpatio eſſet iniqua, & inanis, quando increpati poſſent reddere juſtam excuſationem, & rationabilem diſparitatem; atqui ſi Deus habuiſſet dictum decretum conditionatum Tyriorum, poſſent Beſſairæ, & Carozaini juſtam, & rationabilem reddere diſparitatem reſpondentes: Tyrii enim poenitentiam egiſſent, quia decreviſti conditionatè ſub conditione prædicationis Chriſti dare illis præmotionem ad poenitentiam (idem ſuo modo de decreto Scotiſtico;) quòd decretum non habuiſti erga noſtram poenitentiam, decreviſſes illam, & pariter nos ageremus poenitentiam, ſicut Tyrii; ergo &c.

Retorquent Thomiſtæ cum Albelda argumentum iſtud in ſchola Societatis in hunc modum. Juxta ſententiam Societatis incolæ Corozaim non conſtituuntur æquales cum Tyriis, ergo increpatio Chriſti comparativa inanis fuit juxta ſocietatis doctrinam. Prob. antecedens. Quia incolæ Corozaim non acceperunt à Deo auxilium efficax, id eſt, præviſum per ſcientiam mediam conjungendum cum poenitentia, quòd auxilium accepiſſent Tyrii; ergo non conſtituuntur æquales. Unde reſpondere poterant. Domine da nobis talia auxilia, quæ dediſſes Tyriis, nempe præviſa efficaciam per ſcientiam mediam, ut nos quoque poenitentiam egiſſemus. Reſorſio iſta, quam adhibent adverſarii in ſuis diſputationibus, exinde deſumitur, quia principia noſtra capere nolunt. Etenim juxta ſocietatis principia licet dare auxilia, quæ per ſcientiam mediam prævidentur efficaciam, ſit in manu ſolius Dei; tamen quòd hoc auxilium, vel non ſit efficax; vel ſit, & quòd exiſtat ſcientia media de bono opere, vel de malo, hoc eſt in manu libertatis creatæ; quæ per actum ſuum obſectivè verum determinat Deum ad habendam hanc ſcientiam prævia, ut diximus ſæpe n. 555. Unde Deus non increpat comparativè ad Tyrios, quia non acceperunt auxilia, quæ præviſa ſunt efficaciam per ſcientiam mediam, quia hoc pender à ſolito Dei, ſed quia Corozaini non reddidere ea auxilia per ſuam cooperationem efficaciam, & non determinaverunt Deum ad ſcientiam mediam efficaciam, ſicut Tyrii, quare nullam rationabilem excuſationem poſſunt præbere incolæ Corozaini, exinde ut clariorem habeas reſpoſionem in forma.

574. Reſp. diſt. ant. non conſtituuntur æquales æqualitate antecedente, & ſe habente ex parte actus primi, neg. nõ conſtituuntur æquales æqualitate ſubſequentè ſe habente ex parte actus ſecondi; & omnino dependente à voluntate Corozainorum conc. ant. & neg. conſeq. ad probationem diſt. eodem modo antecedens; nõ acceperunt auxilium efficax, quòd tale eſſet antecedenter ad conſenſum illorũ conditionatè præviſum conc. ant. quòd tale eſſet conſequenter, & per conſenſum illorum neg. ant. conſequenter.

sequentiam. Itaq; quòd auxilium sit efficax, vel inefficax, est quid consequens ad hypothefim scientiæ mediæ, & dependens à nostro consensu: nam efficacia auxilii consistit in aggregato ex entitate auxilii indifferentis, & nostro consensu, vel in aggregato ex entitate auxilii, & scientiæ mediæ consensu sub conditione auxilii, & tam consensu, quàm scientiæ mediæ consensu est quid consequens & pendens à nostra libertate. Unde auxilia antecederent sunt omnino æqualia, & habent æqualem virtutem, ut fierent efficacia à Corozainis, sicut facta sunt efficacia à Tyriis, & tota inæqualitas est consequens pro libito nostræ voluntatis, quare inefficacia auxiliorum fuit Corozainis culpabilis, & increpatio Christi iusta, quasi diceret Christus. Væ vobis Corozainis, quia auxilia ad penitentiam accepta fecistis inefficacia pro vestro libito, quæ si data fuissent Tyriis, facta fuissent efficacia pro libito suo, & penitentiam egissent. In sententia autem Thomistica iniusta est increpatio, quia auxiliorum efficacia in eorum sententia est omnino antecedens; & independens à libito nostræ voluntatis.

575. Respondent alii Thomistæ fuisse iustam reprehensionem comparativam Christi Domini, quia, licet Judæi non fuerint omnino æquales cum Tyriis, habuerunt tamen auxilium sufficiens. In primis, ut ait Exim. Doctor, percipi non potest; quomodo deficiente prærequisito necessario inaccessibili à Judæis, nempe deficiente physica præmotione, sine qua impossibile erat, penitentiam agere, habuerint auxilium sufficiens. Cæterum, quia de hoc latè agemus in Tractatu de auxiliis, aliter ræspensionem impugno, permitiendo illud auxilium sufficiens: sic enim arguo: licet, ut increpatio Christi absoluta esset iusta, solum requiratur sufficiens, ex quo titulo plures peccatores reprehenduntur iustè absolutè reprehensione, quia non convertuntur. At tamen increpatio comparativa non esset iusta, quia respectu Tyrriorum non solum dedisset Deus auxilium sufficiens, sed etiam infallibilem determinationem, si apud eos Christus ea miracula patrasset. Unde increpatio non esset à pari, imò in extremo iudicio non fiet increpatio reprobatorum comparativè ad Christum, & Apostolos, nisi quatenus ab exemplis Christi, & Apostolorum non fuerunt excitati, ut tantillum boni facerent, quando Apostoli magna subierunt tormenta; ergo &c. Vide Hennum num. 355. usque ad 464.

576. Prob. 2. Conclusio ex Sap. 4. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus.* Ubi supponitur in Deo scientia conditionata perverlionis iusti sub conditione longioris vitæ, & ideo fuit illi concessa præmatura mors, ut ex num. 555. atqui hæc scientia conditionata non fundatur in decreto prædeterminante subjectivè absoluto, & objectivè conditionato, ergo fuit scien-

tia independens ab actuali Dei decreto, & consequenter non libera, sed mediæ. Prob. min. quia, ut dicemus, Deus nequit prædeterminare ad peccata etiam secundum materiale peccati, ergo &c. Confirm. 1. quia præmatura mors fuit specialis gratia, & beneficium, quod Deus contulit iusto juxta omnes SS. PP. atqui non foret speciale Dei beneficium, si Deus habuisset decretum conditionatè prædeterminans iustum ad peccatum sub conditione longioris vitæ: sufficeret enim, quòd Deus non habuisset tale decretum conditionatè prædeterminans, & non opus foret rapere iustum de vita, & uti tam violentò remediò, quod est contra SS. PP. ergo &c. Confirm. 2. quia tale decretum subjectivè absolutum; & objectivè conditionatum pugnat cum creata libertate, ut constat à num. 457. ergo &c.

577. Probat. 3. Ex SS. PP. moventibus has & alias quæstiones, in quibus clarè supponunt scientiam conditionatam ante scientiam visionis, sive ante tale decretum subjectivè absolutum. Ita Damascenus, Chryostomus, Nilfenus, Basilus, Augustinus, & alii videndi apud Exim. Doctorem in opusculis lib. 20. de scientia futurorum conditionatorum c. 20. & apud nostrum R. P. Thyrsium Gonzalez disp. 44. sect. 1. n. 20. qui has quæstiones proponunt: cur Deus creavit Dæmones, quos fore malos præscivit? Cur Deus creavit eos, quos scit peccaturos? Cur Deus permisit tentari à Diabolo eos, quos sciebat esse casuros? Et cur Adamo imposuit præceptum, quod sciebat esse transgressurum? In quibus supponunt scientiam conditionatam, & non absolutam peccati, seu visionis, cum ea scientia supposita supponunt idem potuisse Deum eventus eos non permittere, adeoque eos impedire scientiam visionis, tum etiam quia forent inanes quæstiones SS. PP. si supponerent scientiam visionis peccati, quærerent enim cur creavit illos Deus, postquam vidit per scientiam visionis illos esse creatos, & peccaturos, quod quidem ridiculum est, unde loquuntur de scientia conditionata.

578. Nunc sic arguo: PP. supponebant scientiam conditionatam peccati futuri, sed non supponebant actuale decretum objectivè conditionatum; ergo scientia conditionata non fundatur in tali decreto, adeoque non est libera, sed mediæ. Probat. min. quia apud adversarios communis sententia docet Deum circa nostros actus aliquando existentes nullum habere decretum conditionatum, sed absolutum: Ita Alvarez de auxiliis, Albeda Franciscus Felix, & alii dicentes circa effectus absolute futuros videri ridiculum tale decretum objectivè conditionatum, cum sufficiat absolutum, & vincitur ex mente SS. Patrum, quia motivum Patrum ad movendas eas quæstiones erat, quia illis videbatur multum minui bonitatem, & benigni-

nignitatem Dei creando homines, & Angelos, quos peccaturos sciebat, atque magis minus videtur divina bonitas, si Deus decerneret eorum peccata sub conditione creationis, & quod eos creaverit efficaciter decernens conditionate eorum peccata, si crearentur, ergo & SS. PP. si supponerent tale decretum, potius quaererent, cur Deus tale decretum habuerit, cur illos creaverit, si tam arduum concepit decretum, cum autem has non moveant quaestiones, evidens est PP. talia decreta non cognovisse; ergo &c.

579. Confirmat. ex Augustino passim dicente: *Deum dirigi ad conferenda auxilia ex scientia conditionata bonae operationis.* Ita in Lib. expositionis quarundam propositionum D. Pauli propositione 55. ait: *Nec praedeterminavit aliquem, nisi quem praescivit crediturum, & sequenturum esse vocationem suam, & Lib. 1. ad Simplicianum quaest. 2. Quamvis multi uno modo vocati sint, tamen quia non omnes uno modo affecti sunt, illi soli sequuntur vocationem, qui illi capiende inveniuntur idonei, & illud non minus verum scit. Igitur non est volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, qui hoc modo creavit, quomodo aptum erat iis, qui sequuntur vocationem.* Ubi ait S. Doctor illos vocari, qui per scientiam conditionatam inveniuntur idonei, ad recipiendam vocationem, si vocentur, quod clarius declarat eodem libro his verbis: *Nullius DEUS frustra miseretur, cuius autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ne vocationem respuat, ergo ex mente Augustini antequam Deus conferat auxilium, praevidet per scientiam conditionatam, quod, si homo vocetur, vocationem non respuat, quod est ex mente Augustini, Deum dirigi ad vocandum electos, illosque praedestinandos.*

580. Modò sic: Atqui haec scientia conditionata, si via Augustini nequit fundari in decreto tali conditionato, ergo juxta Augustinum, non est Deo libera, sed media. Probat. min. Augustinus non cognoscit decretum subjective absolute, & objective conditionatum, ut ex Lib. de dono perseverantiae cap. 4. ubi de Tyriis & Sydoniis haec habet. *Quoniam, ut crederent, non erat eis datum, unde crederent, est negatum, ex quo apparet habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter minus intelligentia, quàm moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus, vel audiant verba, vel signa conspiciant, & tamen si Dei altiore iudicio a perditionis massa non sunt gratis praedestinatione discreti, nec ipsa eis adhibentur, vel dicta divina, vel facta, per quae possint credere, si audirent utique talia, vel viderent.* Haec Augustinus.

581. Quibus in verbis docet S. Doctor efficaciam auxilii reducendam esse in divinam praescientiam independentem à decreto objective conditionato, qua praescientia videt DEUS proportionem vocationis, varios vocandi modos, inclinationes vocatorum; Si ergo Augustinus

cognovisset decretum objective conditionatum, quivis homo duxissimi ingenii praevideretur à DEO conditionate consenturus, si ei conferretur gratia praedeterminans, & si non daretur tale decretum, quivis homo etiam docilis ingenii praevideretur dissenturus, unde Augustinus non reduceret efficaciam gratiae, vi cuius unus consentit, & alius non, ad praescientiam bonae operationis; sed ad decretum DEI. Imò non dixisset Deum vocare, quos praescivit consenturos, sed melius dixisset DEUM vocare eos, quibus DEUS decrevit conditionate opera bona sub conditione vocationis.

582. Probat. 4. Scriptura sacra tribuit Deo scientiam conditionatam plurium peccatorum, ut ex num. 554. ibi enim idololatria Judaeorum praevila fuit sub conditione ingressus ad uxores alienigenas, & occisio Davidis sub conditione descensus Saulis in Ceilam; atque talis scientia nequit fundari in eo decreto conditionate praedeterminante ad peccata, ergo datur scientia conditionata independentem ab omni decreto actuali; Prob. min. quia SS. PP. desistantur praedestinationem peccati: ait enim Augustinus de Praedestinatione Sanctorum: cap. 10. *Praedestinatio est, quae sine praescientia esse non potest, potest autem esse sine praedestinatione praescientiae. Praedestinatione quippe Deus ea praescivit, quae postea fuerat facturum, unde dictum est: fecit, quae futurae sunt: praescire autem potens est etiam, quae ipse non facit, sicut quaecunque peccata.* Ubi Augustinus ponit praescientiam peccati sine ulla praedestinatione, sive decreto efficaci; ergo &c.

583. Communis Thomistarum solutio est Deum praedeterminare entitatem materialem peccati, quae à malitia formali denominatur peccaminosa, non verò praedeterminare ad malitiam formalem, seu deformitatem, sed illam permittere mere. Unde non est auctor peccati. Contra; quia per vos decretum istud solum est permixtum malitiae formalis peccati, ergo scientia conditionata malitiae formalis peccati nequit fundari in tali decreto, tanquam in medio infallibili, adeoque erit scientia media. Probat. conseq. Permissio antecedens peccatum non est medium demonstrativum & infallibile, vi cuius certò & infallibiliter possit cognosci res permixta. Permissio enim apud Theologos est indifferens, & non metaphysicè potius determinata ad existentiam, quàm ad carentiam rei permissae, aliter vocari posset, etiam hoc decretum purè permixtum materialis peccati, ergo decretum permixtum malitiae formalis non est medium infallibile ad cognoscendum potius malitiam, quàm ejus carentiam; & consequenter in illo nequit fundari scientia conditionata infallibilis malitiae formalis.

584. Contra secundò, & explicatur haec ratio ex D. Thoma in primum distincti. 47. ubi postquam explicavit diversa signa voluntatis, quibus

correspondent diversi actus tum voluntatis antecedentis, tum consequentis, in corpore articuli ita concludit. Unde præter permissionem, nihil potest fieri nec contra, cum tamen potest fieri oppositum ejus, quod permissum est, quod tamen sit secundum permissionem, quia permissio respicit potentiam causa ad utrumque oppositorum se habentem. Unde neutrum oppositorum contra permissionem est, sed utrumque est secundum eam. Ergo juxta S. Thomam permissio malitiæ formalis est indifferens ad existentiam malitiæ, ejusque carentiam, & consequenter decretum permissivum non est medium infallibile ad cognoscendam potius malitiam, quam ejus carentiam. Contra tertio, si permissio esset determinata, & connexa cum re permissa, posset aliquis permittens, quamvis impelleret ad malas actiones turpes, eâ ratione manere inculpatus, quia permissivè se haberet in ordine ad malitiam proveniente ex aliena voluntate, at hoc est absurdum; ergo &c. Contra quarto, si claudicatio in hoc instanti esset peccatum, & aliquis determinaret claudum ad ambulandum, & diceret, se solum permittere claudicationem, omnes irriterent, quia postea deambulatione non manet indifferencia ad claudicandum; ergo &c.

585. Prob. 5. Impugnando simul decretum prædeterminans circa materiale peccati: quia Concilia passim loquuntur contra prædefinitionem efficacem circa entitatem materialem peccati: Arausicanum enim secundum Canon. 25. ita statuit: *Aliquos vero ad malum divina potestate prædestinatos esse non solum non credimus, sed etiam si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione in illos Anathema dicimus.* Deinde Tridentinum sess. 6. can. 6. contra Calvinum, & Philippum Melanchthon hoc fecit decretum. *Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera, ita ut bona, Deum operari non permissivè solum, sed etiam propriè, & per se, adeo ut sit proprium ejus opus non minus proditio Jude, quam vocatio Pauli, Anathema sit.* Nunc sic: In eo sensu damnat Concilium Deum esse causam per se peccati, in quo sensu affirmabant hæretici, sed hæretici non affirmabant Deum esse causam peccati quoad malitiam, sed solum quoad entitatem; ergo in hoc sensu damnatur à Concilio. Probat. min. ex verbis Calvinii Lib. de æterna Dei prædestinatione juxta Genevensem editionem anni 1552. pag. 444. *quatenus mala sunt, qua malo animo perpetrant homines, Deo minime placere fateor.* Ubi Calvinus solum vult, placere Deo entitatem peccati, non verò malitiam, & tamen anathematizatur; ergo &c.

586. Confirm. ex S. Prospero in responsione ad objectionem Vincentianam, sic ait: *Detestanda, & abolenda opinio est, qua Deum cujusque mala voluntatis, aut mala actionis credit Auctorem, cujus prædestinatio nunquam extra bonitatem, nunquam extra justitiam est: adulteria*

*enim maritorum, & corruptelas Virginum non instituisse novit Sancta Divinitas, sed damnare, non disponere, sed punire, non casus ruentium, nec malignitatem iniquorum, nec cupiditates peccantium Prædestinatio DEI aut excitavit, aut suavit, aut impulit, quibus in verbis S. Prospero rejicit à bonitate DEI prædefinitionem, quâ prædefiniet malas voluntates, malas actiones, casus ruentium &c. quæ omnia non solum denotant malitiam formalem, sed entitatem materialem, quæ denominatur mala, imò circa has actiones solum cognovit in Deo voluntatem prohibentem, & punientem.*

Prob. 6. Per vos, licet Deus prædeterminet efficaciter materiale peccati essentialiter 587. connexum cum formali, non exinde fit, quod indirectè prædeterminet ad malitiam formalem: ergo similiter poterit Deus præcipere materiale peccati, quoniam exinde fiat, quod indirectè præcipiat malitiam formalem; sed hoc difformum est: obligaret enim Deus ad aliquid, quod sine peccato homo non posset ponere, cum nequeat ponere materiale sine formali. Confirm. & explicatur hæc ratio: Deus prædeterminans ad materiale peccati in primis nequit prohibere malitiam peccati præcipiendo materiale peccati. Sequeretur enim, quod peccatum esset nobis inevitabile: nam daretur duplex lex, una quidem præcipiens materiale, alia verò prohibens malitiam, etiam si homo conformaretur primæ legi, ponendo materiale, eo ipso difformaretur secundæ legi prohibenti, cum homo ponens materiale prævidens malitiam, nequeat non ponere malitiam, si verò conformaretur secundæ legi evitando malitiam, quia non potest evitare malitiam nisi evitando materiale, quod præcipitur, ad eum modum, quo quis præcipere claudum, ut ambularet, & sub gravi prohiberet claudicationem; deinde nequirerit DEUS prohibere malitiam prohibendo simul materiale peccati, quia Deus prohiberet aliquid conforme suæ voluntati efficaci. Tandem non posset prohibere malitiam præscindendo ab eo, quod præcipiatur, vel prohibeat materiale peccati, quasi diceret Deus, prohibeo malitiam, quamvis ponatur materiale peccati, quia hoc est impossibile, quippe impossibile est homini, quod ponat materiale, quando præcognoscit essentialiter connexam malitiam, quin ponat malitiam; ergo nullatenus posset prohibere malitiam.

Prob. 7. ab absurdis: Primum est, quia 588. Deo tribueretur propriè, & simpliciter peccatum, non minus quam homini: Deus quippe pro suo libito determinaret ad materiale peccati in circumstantiis, in quibus cognoscit malum esse, & prohibitum. Respondebis hominem attingere materiale peccati reduplicativè, ut malum, seu prout fundat malitiam, Deum verò attingere materiale specificativè sumptum, quia, prout fundat malitiam, est extra sphaeram divinæ voluntatis, & contra Sanctitatem

tatem Dei. Contra tamen 1. quia sæpe homines peccant moti ex fragilitate, & delectatione, & non ex ipsa malitia, atqui tunc non determinant, nec attingunt materiale reduplicativè ut malum, & ut fundans malitiam, sed solum entitatem materiale cum cognitione malitiæ, & tamen illis ut causæ morali tribuitur peccatum: ergo idem esset de Deo. Contra 2. quia tota ratio formalis, ob quam homo vult interpretativè malitiam, & constituitur peccans, saltem ex fragilitate, est, quia vult materiale cum prævisione malitiæ, sed hoc ipsum vellet Deus; ergo &c. Contra 3. quia, quòd sit extra sphaeram divinæ voluntatis velle interpretativè malitiam, nemo negat, quod autem dicimus, est, quòd si Deus determinaret, & vellet materiale peccati cum prævisione malitiæ, jam non esset extra suam sphaeram, deinde quòd divina sanctitas pugnet cum voluntate interpretativa malitiæ peccati, nemo negat, quod autem dicimus, est, quòd si Deus determinaret ad materiale peccati cum prævisione malitiæ, non foret sanctus, & impeccabilis, quia vellet interpretativè sicut homo, sed hoc absurdum sequitur ex doctrina adversariorum; ergo &c.

587. Secundum absurdum est satis vulgare, quia DEUS prædeterminans ad materiale hic & nunc identificatum, vel connexum cum malitia formali, prædeterminaret quoque efficaciter malitiam, quod patet exemplis actionis, & unionis, qui enim vult efficaciter actionem connexam, & inductivam termini, indirectè vult existentiam termini. Tertium absurdum est, quia Deus injustè puniret homines: nam isti occidendo, furando &c. conformarentur rectissimæ voluntati Dei, vellet enim id ipsum, quod Deus vult, nempe entitatem homicidii cum prævisione malitiæ. Abstineo ab aliis absurdis. Respondent his diebus Thomistæ juniores, quos sæpe in disputationibus audiivi Deum nimirum bene posse prædeterminare, & causare materiale peccati connexum cum formali, quin causet formale peccati, quia hæc duo sunt in diversa linea: nam materiale est in linea physica, formale verò in morali pertinente ad regulas morum. Alii verò pulchrius dicunt Deum prædeterminare voluntatem prout causam efficientem, non autem prout causam deficientem, seu in ordine ad malitiam.

588. Contra tamen primò, pariter possemus defendere, Deum posse præcipere, & consulere materiale peccati, licet sit contextum cum malitia formali, non enim sequeretur Deum præcipere, & consulere indirectè malitiam, quia ista est in diversa linea morali, ad quam non extenditur voluntas Dei præcipiens, & consulens, sicut per vos non extenditur voluntas Dei prædeterminans, non enim est major ratio, cur prædeterminatio DEI possit gradum sistere in linea physica dicente connexionem cum linea morali, & non possit præceptum, & con-

silium in eadem linea sistere. Contra secundò, quia illud de causa efficiente est mutare phrasas, cum eadem maneant argumenta, quia Deus nequit prædeterminare voluntatem, ut causam efficientem odii Dei in circumstantiis, in quibus prævidet voluntatem esse deficientem, & odium esse à voluntate, ut à causa efficiente; ergo non solum prædeterminabit voluntatem, ut efficientem, sed etiam ut deficientem. Quin imò erit Deus causa deficiens sicut nostra voluntas. Ratio enim, ob quam nostra voluntas peccans ex fragilitate est causa deficiens (sive malitia peccati sit in positivo, sive in privativo) est, quia voluntas nostra vult malam actionem, quoad entitatem cum prævisione malitiæ: sed hoc ipsum vellet Deus; ergo esset causa deficiens.

### SECTIO IV.

#### Solvuntur opposita.

591. Obj. 1. Ex Gonett. tom. 2. disp. 6. de Concordia libertatis cū prædestinatione art. 7. §. 3. n. 158. licet physica præmotio sit à me inimpedibilis in essendo, & ex ista per necessariam consequentiam sequatur consensus, non ideo consensus est necessarius, sed liber; ergo neq; physica præmotio, neque decreta subjectivè absoluta, & objectivè conditionata evertunt libertatem; Prob. Ant. Gonettus: quia propositio contradictoria est damnata, ergo antecedens est verum. Prob. antecedens. quia ista propositio, quod ex inimpedibili per necessariam sequitur consequentiam, inimpedibile est, & necessarium. Est propositio damnata, atqui est illi contradictoria; ergo propositio illi alteri contradictoria est propositio damnata: probat minorem Gonett. ex duobus testibus, (ut ipse ait,) omni exceptione majoribus. Sylvius enim in opusculo de primo motore, & prima parte quest. 19. art. 8. testatur prædictam propositionem fuisse damnatam Romæ à Sixto IV. anno 1476. in quodam Petro de Rivo Doctore Lovaniensi, & ab eodem Rivo retractatam. Tum etiam idem asserunt Doctores Lovanienses in justificatione & defensione cujusdam censuræ suæ Parisiis expressa, anno 1641. ibi enim c. 4. n. 81. expressè dicitur, prædictam propositionem in civitate Lovaniensi fuisse olim ante 118. annos abjectam, & deinde Romæ ipso Rivo præsentate sub Sixto IV. damnatam, & ab eodem Rivo retractatam. Pro solutione hujus argumenti, multa sese offerebant, quæ ex industria omitto, Christianæ quippe charitati conformius est ea omittere.

592. Resp. Igitur in forma neg. ant. ad probationem neg. ant. ad probationem neg. maj. scilicet, quòd illa propositio sit damnata. Est etiam propositio vera: nec possum non mirari Gonettum, qui Card. de Lugo legit, ut ipse annuit, audere opponere eam propositionem contra nos: quandoquidem recentiores illi, quos pro testibus allegat, ut in quodam recentiore lego, erant

erant Jansenistæ, & Franc. Sylvius eam accepit ab aliis authoribus, qui rem hanc non discutunt, vel ab illis, qui pro sua defensione in Antipologia illa Parisiis impressa anno supradicto id affirmabant. Verumtamen ea Antipologia prohibita fuit primum à Sixto V. & deinde quando fuit impressa Parisiis ab Innocentio X. exinde vides, quantum vim habeat contra nos argumentum Gonetii.

593. Cæterum, ut de hac re clarior habeatur notitia, & certò appareat, quænam fuerit præpositio contra Petrum de Rivo damnata, oportet scire, quæ assert Card. de Lugo *disp. 26. de Incarn. sect. 6. num. 27.* qui post authores à Gouero citatos scripsit. Testatur enim Cardinalis de Lugo condemnationem factam contra Petrum de Rivo sæpius à multis diligenter quaesitam fuisse tam Romæ, quam Lovanii, & nusquam fuisse inventam. Imò eum prope illud tempus, in quo de Lugo scripsit, Illustrissimus, & Reverentissimus D. Didacus Alvarez Archiepiscopus Trancensis super hoc ipso Lovanienti Academiæ scripsisset, responsum habuit literis ad ipsum datis 6. Junii, anno 1631. in quibus Decanus, & facultas Theologica farèntur se illam censuram diligenter quaesitam in Archiviis Theologicæ, & Philosophicæ Facultatis non potuisse reperire, nisi solum vetustulam chartam manuscriptam à de Rivo subscriptam, cujus exemplar authenticum habebat apud se ipse Card. de Lugo.

594. Ad majorem tamen securitatem ipse de Lugo reperit diligentia curavit, quidquid in hoc lateret, in lucem produci. & tandem inventus fuit Lovanii liber quidam manuscriptus, ut appareret circa illud tempus, quem Cardin. de Lugo communicavit, & transcribendum dedit Reverend. D. Guilielmus Mercerus Decanus S. Petri, & Sacræ Theologiæ Doctor, & Professor primarius, in quo habentur primo octo propositiones Petri de Rivo, quæ latissime ibi oppugnantur ab aliquo, vel aliquibus ex eadem Universitate. Deinde tres aliarum propositiones ejusdem Petri de Rivo, insuper censura Lovanientis, & tandem sententia Romæ prolata à Vicario Generali Papæ, & revocatio ibidem facta: ex omnibus constat aperte, ut testatur de Lugo, propositionem in illo Doctore non fuisse illam, quæ ab adversariis refertur, nimirum: *quod ex inimpedibili sequitur per necessariam consequentiam, inimpedibile est.*

595. Propositio igitur damnata teste de Lugo fuit hæc: *quod ex precedenti ordine successivæ durationis sequitur per necessariam consequentiam, necessarium, & inimpedibile est.* Quæ quidem merito reprobata fuit, cum sit hæretica, vel erronea, quia ut illi Doctores contra Rivum bene objiciebant, revelatio divina de peccato Antichristi præcedit ordine successi-

væ durationis ipsum peccatum, quod ex illa per necessariam consequentiam inferitur, & tamen peccatum non est simpliciter necessarium, vel inimpedibile, revelatio enim non daretur, nisi Deus prævidisset, quòd Antichristus pro libito suo peccaturus esset, ut constat ex sæpe dictis, & ex SS. PP. cit. n. 501. Unde cum peccatum non datur, quia datur peccatum dabitur, exinde revelatio nullo modo obstat libertati; siquidem revelatio licet sit ordine successivæ durationis, sive prior tempore exercitio libertatis, est tamen natura posterior, & quod est natura posterius exercitio libertatis, impedire non potest libertatem, ut contra hæreticos diximus num. 481. Quomobrem hæc propositio damnata directè militat contra adversariorum doctrinam, & firmissimè roborat assertiones nostras, & principia fundamentalia scientiæ mediæ.

596. Illa verò altera propositio, quam adducebat Gonetus, adeò falsum est, quod fuerit damnata, ut non modò summus Pontifex, verum neque Rivi impugnatores ausi sint resistere, quin imò eam ut veram complexi sint, quod ut manifestè constat, apponam argumentum, quod ad suam sententiam stabilendam efformaverat Rivus, ut jacet in Lib. supradict. quem apud se servabat Card. de Lugo: Rivus igitur arguebat per hæc verba: *quoniam ex quo ad præteritum non est potentia, illud esset inimpedibile, sed ex inimpedibili per consequentiam necessariam non inferitur nisi inimpedibile, quare futurus eventus rei esset inimpedibilis.* Ad hoc argumentum ejus impugnatores respondent supponendo esse veram minorem propositionem, quæ à Gouero dicebatur damnata, & idè distinguunt majorem de duplici præterito, quorum unum est inimpedibile, aliud est ex parte inimpedibile, quia connotat rem contingenter futuram, quare, sicut ego possum cras non peccare, sic possum impedire, ne Deus sciverit, vel revelaverit meum peccatum crastinum.

597. Hæc sunt eorum verba: pro solutione hujus rationis distinguendum est de duplici præterito, sicut distinguit Petrus de Tarrantia super primum sententiarum dist. 38. videlicet quòd quoddam est præteritum, quod significatur ut purè præteritum, ut *Adam fuit*, quoddam, quod significatur cum connotatione vel inclusione futuri, ut *Antichristus fuit nasciturus*. Primum est inimpedibile, secundum verò contingens & impedibile, & hujusmodi sunt illa præterita, quæ inferunt per necessariam consequentiam eventum futuri contingentis quoad fore; & postea adducunt ad hoc ipsum doctrinam Alberti circa distinctionem 38. in primum sententiarum quaestione ultima in solutione penultimi argumenti, quod sic

fic fortavia. Hæc est vera de præterito: Deus præscivit illum peccaturum; ergo est necessarium hoc Deum præscivisse. Resp. dicit, quod illa quoad actum sciendi est de præterito, tamen quoad actum, qui significatur egressurus à seculo, dependet à futuro, & ideo ex parte illa absolute potest esse contingens, licet conditionatam habeat necessitatem. Hæc illi.

prope medium de Christo ait: *Non ignoramus, cum hoc ipso, quod Deus est, hominem quoque factum esse Deo subiectum, statimque se Concilium explicans addit: Igitur ut homo, & quantum exinanitionis mensuris convenit, sub Deo se nobiscum esse dicit, tamen legem ipse proloquitur sit, & legislator fuerit tanquam Deus.*

Huc etiam spectant illa verba Concilii Toletani 11. in Confessione fidei sub medium, ita de CHRISTO loquentis. *Igitur per hoc, quod DEUS est equalis Patri, per hoc homo minor est Patre, igitur & major & minor se ipso credendum est: in forma enim Dei etiam filius ipse se ipso major est propter humanitatem assumptam, quia divinitas major est. In forma autem servise ipso minor est, id est, in humanitate, qua minor divinitate accipitur: nam sicut per assumptam carnem non tantum Patre, sed se ipso minor accipitur, ita secundum divinitatem, qua est equalis Patri, & ipse, & Pater major est, homine, quem sola filii persona assumpsit. Igitur in eo, quod quaritur, utrum possit filius sic equalis, & ipse minor esse Spiritu Sancto, sicut Patri nunc equalis, nunc minor Patre dicitur esse. Respondemus secundum formam Dei equalis est Patri, & Spiritui Sancto, quia nec Spiritus, quia nec Pater, sed sola filii persona suscepit carnem, per quam minor esse creditur illis duabus personis. Si ergo ex Theologia, & Conciliis ad subjectionem requiritur minoritas, ac inferioritas, & omnipotentia, utpote realiter identificata cum Deo, nequit esse minor creaturis, sicut DEUS creaturis minor esse non potest. Exinde apparet evidenter omnipotentiam indifferenter applicatam creaturis, non esse creaturis subiectam; unde applicatio omnipotentiae nullam dicit subjectionem, sed summam, & maximam DEI erga nos dignationem, qua Deus, ut jura libertatis creaturæ servet illæsa, dignatur se nobiscum per indifferentem omnipotentiae applicationem concurrere, ut nos possimus opera nostra libera absque libertatis dispendio exercere.*

Ex quo etiam manifeste patet falsitas secundæ partis majoris assumptæ. Ratio est, quia licet Deus applicet nobis suam omnipotentiam per maximam sui dignationem, non donat nobis suam omnipotentiam; ut ea utamur, sicut aliquis donat alteri villam, vel librum, quod vel ipsis Cæcis manifestum est: nati ex vi donationis alienatur villa, vel liber à donante, sed Deus prædicata secum identificata à se ipso alienare non potest, cum non possit non esse Deus, & omnino perfectus, & cum non possit semper non esse idem scriptura testante; *Plal. 101. Initio tu Domine terram fundasti; & opera manuum tuarum sunt cali, ipsi peribunt, tu autem permanes; &c.* Et in Epistola Catholica Jacobi c. 1. *Apud quem non est transmutatio; nec vicissitudinis obumbratio;*

600.

601.

598. Ex dictis facile intelliges impugnatores Rivi judicasse tanquam certum, & indubitatum, suppositionem tempore antecedentem à nobis impedibilem, & dependentem à nostro libero consensu conditionato, nullatenus lædere libertatem arbitrii, quæ est ipsissima doctrina nostra. Contradictoria autem doctrina defendebatur à Rivo, quæ merito fuit damnata. Idem verò Rivi impugnatores etiam judicaverunt tanquam certum, & indubitatum suppositionem antecedentem à nobis inevitabilem, ex qua per necessariam consequentiam inferretur eventus, evertere libertatem arbitrii, ut manifestè constat ex num. 596. hæc referre placuit, ut videas, quomodo salutem ab inimicis consequamur, simulque intelligas, quo jure Gonetus objiciat contra nos illam alteram propositionem tanquam damnatam, & quod magis miror, quod audeat illam tanquam damnatam typis dare, citando in contrarium Card. de Lugo, & quid de historia Rivi nec verbum quidem afferat, quid exinde inferatur, tu cogita.

599. Obj. 2. Ex aliquibus junioribus post Irinocentium XI. si non daretur decretum prædeterminativum, in quo cognoscerentur nostri actus liberi, divina omnipotentia applicaretur nobis indifferenter ad liberè operandum; vel non operandum, hoc fieri nequit: ergo applicari debet per decretum prædeterminativum. Consequentia tenet, & major est sententia nostra. min. verò probatur: si applicaretur nobis indifferenter omnipotentia ad operandum; subiceretur nobis, ut nos ea uteremur, & donaretur nobis, modo, quo donat quis alteri villam, vel librum, sed istæ propositiones: *DEUS subicit nobis suam omnipotentiam; DEUS donat nobis omnipotentiam suam, ut ea utamur, sicut aliquis donat librum, vel villam, damnata fuerunt ab Innocentio XI. die 2. Martii, 1697. ergo &c.* Resp. Cont. maj. & neg. min. ad probationem neg. maj. quoad utramque partem, quoad primam; quia ex nostra sententia nullatenus inferri potest, quod divina omnipotentia nobis subiciatur. Ratio est, quia subiectio, ut ex Concilio, & SS. PP. notant Theologi in Tract. de perfectionibus Christi, dicit inferioritatem. Unde Christus, quia Deus, quia inferior Patre non est, nequit dici DEUS Patri subiectus; sed solum dicitur Deo subiectus ut homo, quia solum ut homo est Patre inferior. Sic Concilium Alexandrinum in Epistola Cyilli 10:

Si ergo qui alteri donat villam, vel librum, à se alienat villam &c. & Deus per indifferentem suæ omnipotentiae applicationem, ut creatura liberè operetur, nequit à se alienare suam omnipotentiam, quomodo ex indifferenti applicatione omnipotentiae inferre possunt adversarii, quòd Deus donat nobis omnipotentiam suam, ut ea utamur, sicut aliquis donat alteri librum, villam, &c. Certè nemo est, qui non videat, quàm inanis sit ejusmodi argumentatio.

602. Objic. 3. Ex Joann. cap. 6. dicente: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus, qui misit me, traxerit eum*, sed Pater nequit trahere nisi per decretum prædeterminativum, utpote antecedens infallibile, & connexum cum recta operatione, ergo &c. Confirm. ex SS. PP. dicentibus voluntati Dei non posse resisti, Deum habere vires validissimas, ut fortiter & suaviter omnia disponat, habere in sua potestate voluntates nostras, potius quàm nos ipsos: ut primum motorem trahere, movere, mutare, corda hominum pro suo libito, & facere, ut faciamus, & velimus, totum Deotribuendum in negotio nostræ salutis, & nihil nobis, Deum applicare causam secundam ex actu primo ad secundum, prius operari, quàm causam secundam; sed hæc intelligi non possunt absque decreto prædeterminativo; ergo &c.

603. Resp. Neg. min. quia Deus trahit per auxilia indifferentia, quibus allicit nostras voluntates ad bonum potius, quàm homines per prava consilia trahant ad malum, ut latius declarabitur, n. 605. Sic enim in toto rigore moraliter trahit juxta SS. PP. quod eleganter explicat Augustin. *trahit. 26. in Joann.* per hæc verba: *Ranum viridem ostendis ovi, & trahis illam, nucis puero demonstratur, & trahitur, & quod currit, trahitur, amando trahitur, sine lasione corporis trahitur, cordis vinculo trahitur, si ergo ista, que inter delicias, & voluptates terrenas revelantur amantibus, trahunt; quoniam verum est, trahit sua quemque voluptas, non trahit revelatus Christus à Patre? quid enim fortius desiderat anima, quàm veritatem? Videant nunc adversarii, si hoc est trahere per præmotionem, aut per decretum prædeterminans.*

604. Ad conf. conc. maj. & neg. min. quia voluntati Dei efficaci nõ possumus resistere, possumus tamen per dissensum eam evitare, si libertatem nostram subsequatur, cum possumus, impedire scientiam mediam, à qua talis Prædeterminatio dependet, exinde absque decreto prædeterminativo per se prævio ad libertatem habet Deus validissimas vires, cum habeat auxilia indifferentia, quibus per scientiam mediam prævidet, voluntatem nostram non restitutam: habet etiam in sua potestate voluntates nostras, quia potest pro libito suo de potentia absoluta impedire nostra opera prava, dare auxilia indifferentia, quibus per scientiam mediam prævidet nos consenturos, vel ea non dare. Quin

imò potest nostras voluntates necessitare ad bonum, licet non ad malum. Sic Augustin. *lib. 3. contra Julianum cap. 18.* *Potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est, non potest aliquos sine malis meritis damnare, quia justus est*, cum etiam trahit corda nostra moraliter juxta dicta num. superiori, & physice concurrente ex inclinatione sua ad nostra opera bona: quamobrem totum negotium nostræ salutis tribuendum est DEO tanquam causæ principali, in quo sensu loquuntur SS. PP. se-cus autem nobis. Unde cum Deus ut causa principalis concurrat prius, quàm nos operemur producendo nostras voluntates, illuminando & alliciendo ad bonum per sanctas illustrationes, & inspirationes, dicitur primus motor, & prius operans, quàm nos, hæc autem omnia valde aliena sunt à decreto prædeterminante, atque à physica præmotione.

Cæterum, ut hæc clarius appareant, valde notanda est natura auxiliorum divinæ gratiæ, quam tradunt Theologi cum Augustino. Talis enim est, ut per auxilia divinæ gratiæ appareat nobis, quod latebat, & suave fiat, quod non delectabat, unde proponunt motiva, in quibus fortiter & suaviter inclinari potest voluntas ad opus bonum ex vitalium illustrationum, & illuminationum, multò magis, quàm consilia apud homines inducant ad rem, quam consulant, quæ ratione Deus per sua auxilia ita concurrat, ut sit causa per se, cui tota nostra operatio primariè tribuitur. Habemus exemplum palmare in consilio apud homines, quod quantumvis nullam dicat metaphysicam connexionem cum effectu, satis est, ut consulenti tanquam principali agenti tribuatur totus effectus. Causa enim per se est illa, à qua ita per se pendet effectus, ut ipsa ex intrinsicis suis magis inclinè in positionem, quàm in omissionem effectus, unde si Petrus consulat Franciscum, ut interficiat Joannem, si Franciscus moveatur ex consilio ad perpetrandum homicidium, licet nõ perpetraretur, nisi Franciscus pro sua voluntate se determinaret ad operandum, ex consilio tamen si determinatur, ex vi illius tale homicidium non tribuitur Franciscum tanquam agenti principali, sed Petro consulenti, qua de causa dixit Natan ad David 2. Reg. 12. *Uram Herbaum percussisti gladio, & interficisti eum gladio filiorum Ammon.* Vide Exim. Doctorem n. 609. & 651.

Quinimò consilium ex eo, quòd non solum moveat ad effectum, sed etiam afferat rationes inducentes ad illum, quod comprehenditur illis verbis: *apparet nobis, quod latebat*, adeoque effectus magis tribuitur consulenti, quàm præcipienti, ita ut satis non sit revocare consilium, nequis incurrat irregularitatem, quamvis ad se excusandum satis esset revocare præceptum: revocato namque præcepto nihil manet, quòd moveat, at revocato consilio adhuc remanent rationes inducentes ad opus, adeoque consulens est causa principalis effectus medio instru-

strumento libero provenientis à Consilio; cum autem auxilia divinæ gratiæ induant naturam Consilii ad inducendum, quando instrumenta creata etsi libera ex motione auxiliorum operantur, totus effectus tribuitur DEO ex hoc titulo tanquam principali agenti. Rursus magis tribuitur DEO, quàm homini consulenti, cum Deus ultra hunc influxum moralem physicè etiam ex inclinatione sua concurrat ad Opus, sine cuius influxu physico nihil efficere poterat creatura, unde sicut esset inane argumentum apud homines dicere: quamvis Petrus consulisset Francisco homicidium, adhuc poterat Franciscus, si veller, illud non perpetrare, ergo quando perpetrat, illud non tribuitur Francisco consulenti, neque Franciscus incurret irregularitatem, sicut non incurrisset illam, quamvis dedisset Consilium Paulo, si Paulus homicidium non perpetrasset, ita multò magis inane est argumentum dicendo. Petrus à DEO intructus auxiliis gratiæ potest non operari consensum; ergo si operatur consensum, non tribuitur magis principaliter DEO illa operatio, quàm tribueretur, si dedisset illa auxilia Paulo, & Paulus non consensisset: quomobrem effectus rectus & gratiæ, & creaturæ tribuitur, principaliter autem Gratia, minùs autem principaliter voluntati.

607. Hæc omnia accuratè tradit Anselmus Lib. de Concordia præscientiæ, & prædestinationis DEI dicens: *Si autem Voluntas per liberum servando arbitrium, quod accipit, meretur aut augmentum accepta justitia, aut etiam potestatem pro bona voluntate, aut premium aliquod, hæc omnia sunt fructus primæ gratiæ. Omnibus autem excepto solo DEO dicitur: quid habes, quod non accepisti? Quid gloriaris, quasi non accepisti? Nemo certe servat rectitudinem, nisi volendo, velle autem aliquis illam nequit, nisi habendo, habere verò illam nullatenus valet, nisi per gratiam, sicut ergo illam nullus accipit, nisi gratia præveniente, ita nullus eam servat nisi eadem subsequente, nempe quamvis illa servetur per liberum arbitrium, non tamen est tantum imputandum libero arbitrio, quantum gratiæ, cum hæc rectitudo servatur: quoniam illam liberum arbitrium non nisi per gratiam prævenientem, & subsequentem habet, & servat. Denique cum omnia subiaceant dispositioni DEI, quidquid contingit homini, quod adjuvat liberum arbitrium ad accipiendum, aut servandum, hæc, de qua loquor, rectitudinem, sue gratiæ imputandum est.*

608. Obi. 4. Ex Paulo 1. Cor. 4. dicente: *Quis est, qui te discernit, quid habes, quod non accepisti, si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non accepisti? Modò sic: Deus discernit iustum ab injusto, sed per auxilia indifferentia, quæ omnino æqualia possunt esse, non discernit,*  
R. P. Gormaz Theolog. Tom. 1.

ergo per decretum prædeterminans seu physicam promotionem. Confirm. Supponendo Petrum & Paulum cum auxiliis omnino æqualibus, & quòd Petrus consentiat, Paulus autem dissentiat. Modò sic: Si non daretur physica præmotio, ut Petrus consentiat, & sic DEUS discernat Petrum à Paulo, Petrus omnino sic discernetur à Paulo, & DEUS illum non discerneret; ergo &c. Probat. antecedens, in primis DEUS non discerneret Petrum à Paulo per præcisam entitatem Petri, quæ omninò æqualis est cum entitate Pauli, deinde non discerneret illum per auxilium, quod ei confert, cum Paulo conferat auxilium omninò æquale, ergo Petrus prout constitutus à DEO ad eliciendum consensum non discernetur à Paulo, prout à DEO constituto ad eliciendum consensum; ergo solum discernetur à Paulo, prout Petrus elicit in actu secundo consensum, quem Paulus non elicit, atqui ad illum consensum utpote liberum, si non datur physica præmotio, solum determinat Petrus, & non DEUS; ergo solus Petrus se discerneret à Paulo, & DEUS illum non discerneret.

Resp. Conc. maj. & neg. min. Ratio est, quia quotiescunque creatura operatur cum illis auxiliis, discernitur à DEO, à non operante, sicuti de consulente diximus à n. 605. huiusmodi enim discretio iusti à peccatore, cum includat actum secundum, exercet causalitatem, ad quam movet auxilium, adeoque per illam datur vera discretio: quinimò etiam ratione specialis beneficii inclusi in auxilio, ut ita collato, vel in præfinitione operis recti, satis est ad veram distinctionem consentientis à non consentiente, ut bene notavit Suarez in Opusculis lib. 1. de absoluta scientia futurorum c. 6. n. 16. dicens: *In bonis autem actibus erit vera illa causalis, præsertim propter voluntatem DEI præfinitentem, ubi hæc intercedit, vel etiam propter voluntatem inducendi, & iuvandi hominem ad hos actus: nam in causa etiam consentientis humana verè dicimus: Joannes hoc voluit, quia Petrus consuluit: quamvis consilium non sit causa efficax, ut in eo posset infallibiliter cognosci, alterum fuisse consensum.* Cæterum, ut hæc clariora fiant, simulque constet solutio ad confirmationem, notare oportet DEUM per scientiam mediam, antequam auxilium conferat, prævidere quodnam auxilium conjungendum sit cum consensu ex determinatione libera creaturæ, quodnam autem non?

DEUS igitur eà scientia media prælucente conferens Petro auxilium prævidet consenturum, quin velit se retrahere ex consensu prævio, imò solet dare, quia ita prævidet, unde auxilium ex ea voluntate collatum speciale beneficium est, quàm si absque ea voluntate  
R con-

609.

610.

conferretur, beneficium enim non solum stat in entitate rei affectæ simili voluntate. Quare dicitur auxilium ita collatum extrinsecè efficax in actu primo, secus autem auxilium collatum dissentienti. Unde auxilium acceptum à consentiente, licet non dicat speciale beneficium nudè sumptum in esse rei, bene verò in esse rei affectæ tali voluntate conferentis, quòd autem in eo splendeat speciale beneficium, adeò certum est, ut ipso naturæ lumine vel ipsis Philosophis Ethnicis innotuerit. Sic Seneca *Lib. 1. de benef. cap. 5. Non potest beneficium manu tangi, animo cernitur; multum interest inter materiam beneficii, & beneficium. Itaque nec aurum, nec argentum, nec quidquam eorum, quæ à proximis accipiuntur, beneficium est, sed ipsa tribuentis voluntas.* Et *cap. 6. Itaque non quid fiat, aut quid detur, refert, sed qua mente, quia beneficium non in eo, quòd fit, aut datur, consistit, sed in ipso dantis, aut facientis animo.* Cum ergo auxilium collatum consentienti sit extrinsecè efficax in actu primo, secus autem illud, quòd confertur dissentienti, manifestè apparet ratio, ob quam DEUS discernit consentientem à non consentiente. Exinde

611. Ad confirmationem admissio casu neg. ant. ad probationem dist. ant. non discerneret Petrum à Paulo per auxilium nudè sumptum in entitate rei omitto: per auxilium sumptum in esse specialis beneficii, atque extrinsecè efficax neg. ant. & consequentias inde deductas. Ratio est, quia, cum DEUS, antequam auxilium conferat, prævideat, quòd si illud conferat, erit efficax, & quòd si aliud conferret, esset inefficax, & non sit in manu Petri, quòd hoc præ illo conferatur: certè quando DEUS confert illi efficax præ inefficaci, verè illum discernit, adeoque ea discretio in actu primo non habetur ab homine currente, sed à DEO misere, quòd meritò ponderavit Apostolus ad Rom. 9. dicens: *Namquid iniquitas apud DEUM? absit. Moysi enim dicit: Miserebor, cuius misereor, & misericordiam præstabo, cui miserebor, igitur non volentis, neque currentis, sed miserebor est DEI.*

612. Objic. 5. Nullus obtinebit salutem, seu beatitudinem absque adjutorio divinæ gratiæ, non solum absque adjutorio sine quo non, verum absq; adjutorio quo, sed adjutorium quo, ut sæpe docet Augustinus, non est indifferens ad rectam, vel irreccam operatione, ergo ex mente Augustini ad actus nostros rectos non solum datur gratia sufficiens, & intrinsecè indifferens, sed etiam gratia, & decretum prædeterminans cum recta nostra operatione essentialiter connexum, in quo per scientiam visionis videt DEUS operationes hominis rectas, secus autem per scientiam mediam. Valde insultant hac tempestate cum hoc argumento impugnatores nostræ senten-

tia de scientia media, sed quàm immeritò, statim videbimus. Respond. dist. maj. verum etiam absque adjutorio quo se habente ex parte actus primi neg. se habente ex parte actus secundi, & pendente à nostro libito conc. maj. & conc. minore nego consequentiam.

Explico solutionem, ex qua patebit, quàm conformis ad nostra principia sit mens Augustini: duplex igitur in sententia Augustini est adjutorium divinæ gratiæ. Primum dicitur adjutorium sine quo non, secundum dicitur adjutorium quo, adjutorium sine quo non est gratia intrinsecè indifferens, & per se requisita ad actum, constituens voluntatem in actu primo proximo ad utrumque potentem. Adjutorium verò quo est ipse actus formalis bonus liberè elicitus, adjutorium enim quo bifariam accipi potest. Primum in genere causæ efficientis significando auxilium præveniens, quo DEUS vel tanquam author naturæ, vel tanquam author supernaturalis facit, ut eliciamus actum honestum. Secundo in genere causæ formalis significando adjutorium, quo aliquid formaliter fit, in qua acceptione amor honestus nobis à DEO communicatus est adjutorium ad amandum, actus fidèi est adjutorium ad credendum, & actus perseverantiæ est adjutorium ad perseverandum. Augustinus autem in hoc sensu accipit nomen adjutorii sine quo non. Sic *cap. 12. de Corrupt. & gratia*, postquam Augustinus initio capituli dixerat: *Ipsa adjutoria distinguenda sunt, aliud est adjutorium sine quo aliquid non fit, & aliud est adjutorium, quo aliquid fit*, explicans autem Augustinus utrumque istud adjutorium, primum explicat exemplo alimentorum, quæ se habent ex parte actus primi ad actum vitæ: secundum verò exemplo beatitudinis, quæ est ipse actus secundus.

En Augustini verba: *Aliud est adjutorium, sine quo aliquid non fit, & aliud est adjutorium, quo aliquid fit, nam sine alimentis non possumus vivere, nec tamen cum affuerint alimenta, eis fit, ut vivat, qui mori voluerit, ergo adjutorium alimentorum est, sine quo non fit, non quo fit, ut vivamus. At verò Beatitudo, quam non habet homo, cum data fuerit, continuo fit beatus: adjutorium est enim non solum sine quo non fit, verum etiam quo fit, propter quòd datur. Quapropter hoc adjutorium, & quo fit, est, & sine quo non fit.* Ex quo collige, cur dixerit Augustinus Adam, quando peccavit, habuisse adjutorium sine quo non ad perseverandum, si vellet, non autem habuisse adjutorium quo, cum revera non eliceret actum perseverantiæ. Sic enim habet eodem libro cap. 11. *Tunc ergo dederat homini DEUS bonam voluntatem, in illa quippe cum fecerat, qui fecerat rectum, dederat adjutorium, sine quo in ea non posset permanere, si vela*

si vellet, ut autem vellet, in ejus libero reliquit arbitrio: posset ergo permanere, si vellet, quia deorat adjutorium, per quod posset, & sine quo non posset perseveranter bonum tenere, quod vellet, scilicet quia noluit permanere, profecto ejus culpa est, cujus meritum fuisset, si permanere voluisset, sicut fecerunt Angeli sancti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi, & hujus mansionis debitam mercedem recipere meruerunt, tantam scilicet beatitudinis plenitudinem, qua vix certissimum sit, semper se in illa esse mansuros. Si autem hoc adjutorium, vel Angelo, vel homini quamprimum facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adjutorio posset manere, si vellet, non utique sua culpa cecidissent, adjutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent, tunc autem quibus deest tale adjutorium, jam pena peccati est, quibus autem datur, secundum gratiam datur, non secundum debitum, & tanto amplius datur per Jesum Christum Dominum nostrum, quibus dare Deo placuit, ut non solum adsit, sine quo permanere non possumus, etiam si velimus. Verum etiam tantum, ac tale sit, ut velimus. Est quippe in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo, & perseveranter tenendo, non solum posse, quod volumus, verum etiam velle, quod possumus, quod non fuit in primo homine: unum enim horum in illo fuit, alterum non fuit: namque ut reciperet bonum, gratia non egebat, quia nondum perdidit, ut autem in eo permaneret, egebat adjutorio gratiae, sine quo id omnino non posset, & acceperat posse, si vellet, sed non habuit velle, quod posset, nam si habuisset, perseverasset, posset enim perseverare etiam si vellet, quod ut nollet, de libero descendit arbitrio, quod tunc ita liberum erat, ut bene velle posset, & male.

615. Objic. 6. Ex Gonetio plura scripturae testimonia, in quibus mors, & occisio Christi, quae mala sunt, praedefinitur à Deo non ut actio, sed ut passio, ergo etiam poterit praedefinire secundum materiale, & non secundum formale. Antecedens probat variis locis, inter quae adjungit illud Joan. 11. ubi Caiphas dixit: Vos nescitis quidquam, nec cogitatis, quia expedit nobis, ut unus moriatur pro populo, & non tota gens pereat, hoc autem a semetipso non dixit, sed cum esset Pontifex anni illius, prophetavit, quod JESUS moriturus erat pro gente, ubi ait Gonet. quod si ille Prophetavit, Spiritus S. movebat ejus mentem ad persuadendam occisionem Christi quoad materiale: ergo Deus praedeterminat materiale peccati, adeoque illud cognoscit in decreto praedeterminante.

616. Ad dissolvendum hoc, & simile argumentum, quod contra se objicit, & late dissolvit Exim. Doctor in opusculis lib. 2. de concursu Dei c. 1. notandum est, mortem Christi duplicem habere respectum, unum quidem ad

voluntatem pravam crucifigentium, & alterum ad bonam voluntatem Christi acceptantis mortem. Mors autem Christi in se non est intrinsece mala, potuit enim ipse suam vitam offerre Patri in redemptionem humani generis, quin tuncullum intervenisset peccatum in Christi morte. Sic etiam Pater praecipiendo, & praedefiniendo mortem nihil malum morale praedefiniebat; unde rota malitia circa mortem stabat in actionibus malis contra justitiam, aliasque virtutes elicitis ab inimicis suis, unde divinum decretum non praedefinivit mortem, ut inferendam à Judæis, sed ut acceptandam à Christo, neque obligabat, ut Christus acceptaret mortem, quam infligerent Judæi, nisi casu, quo ipsi pro sua prava voluntate se determinarent ad illam inferendam, quare decretum divinum praedefinitivum nullam habebat connexionem essentiali cum peccato Judæorum.

Hæc omnia accuratè tradit S. Pontifex Leo I. serm. de pass. Domini. exponens illud Actor. 4. Convenerunt enim verè in civitate ista adversus sanctum Faecrum JESUM tuum, quem unxisti, Herodes, & Pontius Pilatus cum Genibus, & populus Israël facere, quæ manus tua, & consilium tuum decreverunt fieri: Sic enim ait: Numquid iniquitas persequentium Christum ex Dei est vria consilio? & illud facinus, quod omni est crimine majus, manus divinae preparationis armavit? Non hoc plane de divina Justitia sentiendum est, quia multum diversum, multumque contrarium est id, quod in Judæorum malignitate praecogitatum, & quod in Christi est passione diffusi. Exinde circa mortem Christi, secundum respectum ad pravam voluntatem Judæorum tam quoad materiale, quam quo ad formale solum fuit in Deo decretum permissivum, quoad respectum verò ad voluntatem Christi, nimirum quoad Christi acceptationem, quæ sancta & bona erat, fuit in Deo decretum efficax praefinitivum acceptationis, tam quoad materiale, quam quoad formale, sic Dominus ex recto fine praecipiens servo, ut det eleemosinam, elicit quoad materiale, & quoad formale actum bonum, servus verò eleemosinam in actu pravo incitandi, & alliciendi pauperem ad peccatum, elicit quoad materiale, & quoad formale actum malum.

Resp. modò in forma ad argumentum concessio testimonio scripturae, negando subsumptum Goneri, nimirum Spiritum S. movisse mentem Caiphas ad persuadendum Christi occisionem quoad materiale, ratio est, quia motio Spiritus S. habebat unum respectum, intentio verò Caiphas habebat alium, igitur Spiritus S. instinctu Prophetico movit Caiphas ad dicenda illa verba, quæ duplicem habebant sensum, unum quidem intentum à Deo, alium verò intentum à Caipha, & acceptum à Concilio Pharisæorum: Deus intendebat praedecere utilitatem mortis Christi ad

liberandos homines, quem sensum non aperuit Caiphæ, & ideo Deus non impedivit, quòd intenderet alium finem, ad cuius malam intentionem Spiritus S. non movèbat Caiphæ, etiam quoad materiale, sed permisivè se habebat, solum ergo Spiritus S. assiste-  
 menti, & linguæ Caiphæ, ut proferret hæc, & non alia verba, quin illum illuminaret ad percipiendum sensum intentum à Deo: mors enim ut à Deo prædefinita non erat mala, bene verò ut à Caipha intenta.

619. Quod satis explicatur in Scriptura verbis adductis n. 617. *Nimirum manus tua, & consilium tuum decreverunt fieri*, quæ loco supra citato ita exponit noster P. Suarez, in hunc modum: non ait, *qua tu decrevis-  
 sti, ut facerent, sed que tuum consilium decrevit fieri*. Decrevit ergo Deus, ut Christus pateretur pro hominibus, & eos redimeret: quòd autem Judæi facerent illam Christi pas-

sionem, non decrevit, sed permisit. Unde cum Deus viderit per scientiam mediam, quòd si Judæi in his circumstantiis constituerentur, pro libito suo decernerent, & occiderent Christum, permisit illas circumstantias, adeoque in signo subsequenti prævidit occisionem Christi absolute futuram, quæ prævisâ præcepit, ut CHRISTUS mortem acceptaret, & ex acceptance voluntatis Christi illam præfinivit, unde peccatum Judæorum non fuit à Deo præfinitum, sed terminus præsuppositus ad divinam præfinitionem, adeoque Deus volens mortem præfinitam non volebat peccatum, sic nos amamus scientiam Dei de peccato Petri, quin amemus peccatum Petri, quia illud peccatum non inducitur à meo affectu, sed est purus terminus præsuppositus, reliqua verò, quæ ex scriptura & PP. objici possent, latè expendit, & solvit Exim. Doctor loco supracitato.

## DISPUTATIO X.

### DE MENTE CONCILIORUM, AUGUSTINI, ET THOMÆ CIRCA DECRETA THOMISTICA.

620. NE Adversarii glorientur eorum sententiam in Conciliis & PP. & præcipuè in Augustino & Thoma fundatam, hanc præmitto disputationem, ut ex illa nostræ sententiæ veritas clariùs elucescat, expendemus mentem Tridentini, Senonensis, & Arausici, doctrinam etiam Augustini, & Thomæ, ne in posterum adversarii habeant, unde glorientur.

#### SECTIO I.

*Tridentinum, & alia Concilia Decretis prædeterminantibus opposita.*

621. **PROB. 1.** Conclusio in Tridentino sess. 6. cap. 5. ubi sic habet: *Declarat præterea ipsius justificationis exordium in adultis à Deo per Christum Jesum præveniente gratia sumendum esse, hoc est ab ejus vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur, ut qui per peccata à Deo aversi erant, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam ad convertendum, se ad suam ipsorum justificationem eadem gratia liberè assentiendo, & cooperando disponantur.* Modò sic: Talis est gratia, quæ homo cooperatur, ut homo possit cum illa non cooperari, sed eam à se abicere, sed non potest homo à se abicere decreta prædeterminantia, aut prædeterminationem, ergo gratia, quam Tridentinum vocat efficacem, nimirum cooperantem, non est decretum prædeterminativum, aut præmotio physica.

622. **PROB. 2.** Tridentinum in allatis verbis, & in toto eo decreto de justificatione excludit à gratia vim omnem prædeterminativam. Prob. antecedens à testimonio Bellar. est enim in manuscripto, quod Romæ diligenter asservatur in Archivio domus professæ Societ. Jesu, quod

propriâ manu totum exaravit jussus à Clemente VIII. sententiam dicere de censura quadam ejusdem Clementis à PP. Dominicanis oblata adversus doctrinam Molinæ de auxiliis gratiæ, hic, inquam, vir tantus in hoc manuscripto disertè narrat, cum ante decretum de justificatione religiosi duo sententiam exposuissent de liberi arbitrii prædeterminatione, id fuisse à PP. malè acceptum, quòd videretur minus Catholicum, ideòque decretum de justificatione juxta communem aliorum sententiam hanc prædeterminationem rejicientium fuisse ab iis conditum. Hujus manuscripti fide extractum Germanus Philaletes divulgavit, addens esse imposturam de Bellarmino à nostris confectam. Hoc autem extractum verè esse in autographo Bellarmini, in eoque ad verbum contineri subscriptione suâ, & officii sigillo fidem facit indubitata P. Hieronymus Cataneus, Præpositi Generalis Secretarius.

Hæc sunt in eo, quæ ad rem nostram faciunt, Bellarmini verba: *Quod etiam senserunt PP. Concil. Trid. nam in actis Concilii, que habentur ante sessionem sextam, cum duo Religiosi protulissent sententiâ istam de prædeterminatione liberi Arbitrii, fuit malè acceptum, eò quòd non videretur valde Catholicum, & propterea decretum formatum est juxta communem aliorum sententiam.* Modò sic: Sed communis aliorum sententia prædeterminationem negabat: Illos enim prioribus opponit Bellarminus, ut patet ex ejus verbis, ergo Decretum Tridentini confectum fuit juxta sententiam negantem prædeterminationem.

Quamobrem non miror, quæ scripta reliquit in suis libris Bellarminus, etenim lib. 1. de gratia & lib. arbitr. c. 12. agens de physica præ-

prædeterminatione ita habet: Hac opinio videtur in hi aut esse omnino eadem cum errore Calvini, & Lutherorum, aut parum ab illo distare. Et libr. 4. de gratia, & libero arbitrio cap. 14. denique sententia, qua ponit prædeterminationem istam in voluntate, non videtur posse distinguî à sententia hereticorum negantium liberum arbitrium, nisi quoad voces: nam heretici non negant liberè agere, cum determinat voluntatem nostram, & homines habere plenum, & perfectum iudicium rationis, cum aliquid eligunt, & spontè ac voluntariè eligere, sed dicunt decreto Dei, & prædeterminatione omnia fieri, nec posse Deo decernenti, & prædeterminanti resisti, & ideo liberum arbitrium hominis esse titulum sine re, vel rem de solo titulo, id est nomen inane, & supervacaneum, quod si nos etiam admittamus ita determinari à Deo voluntatem nostram, ut non possit agere, nisi id, ad quod à Deo determinatur, & tamen quia Deus eam liberè determinat, & ipsa voluntariè, & cum pleno iudicio rationis agit, contendamus hominem esse liberi arbitrii, tota controversia inter nos, & hereticos erit de nomine. Utrum videlicet homo sit dicendus liberi arbitrii, nec ne: ac profecto labores tot hominum doctissimorum, & ipsius Concilii Oecumenici pro asserenda arbitrii libertate assumpti, aliud nobis persuadent, nec enim ignorabant viri illi sapientissimi, quod S. Augustinus in Epistola 28. ad Hieronymum, & alibi admonuit, cum de re constat, non esse de nomine litigandum.

625. Nec minoris ponderis est auctoritas Exim. Doctoris in censurando modestissimi, & in conciliis versatissimi, qui comum de vera intelligentia auxilii efficacis absolvit per hæc verba: Sexta propositio, que ex omnibus præcedentibus concluditur, est doctrinam hanc de prædeterminatione physica, qualem explicavimus; non solum non videri nobis necessariam ad veram, atque efficacem Dei gratiam defendendam, verum potius ad eam finem esse supervacaneam, & aliunde sufficientem gratiam evertere, libertatisque usum de medio tollere: ac proinde hereticis huius temporis favere, adeoque dignam esse, ut per Ecclesie censuram damnentur, vel potius iam damnata declaretur, nam licet non sub ea voce, sub aliis æquivalentibus iam damnata est, ut quod gratia necessitatem inducat, necessitas enim & prædeterminatio ad unum idem sunt, tanquam definitio, & definitum, ut dixi, item quod gratia tollat libertatem, nam perinde est, quod tollat indifferentiam, vel quod gratia præveniens ita movet, ut ei non possit resisti, nam hoc ipsum faceret illa gratia efficax tali modo, que omnia patent ex dictis. Insuper in opusculis rejiciens decretorum prædeterminans actus malos l. 2. de concur. Dei c. 4. ait: Oppositum docent non solum heretici huius temporis, sed etiam aliqui Theologi, addunt vero illam limitationem, scilicet prædefinire Deum actus peccatorum pro materiali, non tamen pro formali, ego autem ab-

stineo à censuris, & solum relativè profero mentem horum Doctorum.

626. Prob. 3. Ex eodem Tridentino sess. 6. can. 4. dicente: Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo DEO excitanti, atque vocanti quo ad obtinendam justificationis gratiam, se dissponat, ac præparet, neque posse dissentire, si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passivè se habere, anathema sit: Modò sic: In hoc textu loquitur Concilium de auxilio efficaci, quo homo consentit: Sic enim opponitur Calvino lib. 2. Instit. c. 2. §. 10. ubi dicebat: Voluntatem movet gratia, non qualiter multis sæculis traditum est, & creditum, ut nostræ postea sit electionis morioni aut obtemperare, aut refragari, sed illam efficaciter assiciendo, vel ut legit Bellarm. lib. 6. de gratia & libero arbitrio c. 9. illam efficaciter efficiendo: Atqui si gratia, qua prævenitur voluntas, esset physica præmotio, vel decretum prædeterminans, non posset voluntas illi gratiæ resistere, ergo physica præmotio, aut decretum prædeterminans ex diametro opponitur gratiæ traditæ à Tridentino.

627. Prob. 4. Ex Concil. Arausic. 2. quod agens de gratiæ necessitate gratiam vocaverat, ut Tridentinum illuminationem, inspirationem, adiutorium, nulla prorsus eâ inligniens nomenclatura, quæ vim aliquam prædeterminativam significet, sed e contra quod indifferentiâ relinquat: sic enim loquitur Can. 7. Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare, ut expedit, aut diligere posse confirmat absq. illuminatione, & inspiratione Spiritus S. qui dat omnibus suavitatem in consentiendo, & credendo veritati, heretico fallitur Spiritu. Quibus in verbis colligitur posse hominem cum inspiratione, & illuminatione Spiritus S. eligere opus conducens ad vitam æternam, adeoque & illud omittre, si nolit, etenim absque potentia ad utrumque non datur electio, sed potestà physica præmotio ad opus salutem non posset componi omisso operis, ergo neque electio, ergo præmotio physica, sive decretum prædeterminans non est illa gratia, quam docet Arausicanum.

628. Prob. 5. Ex Conc. Senonensi agente de lib. arbit. ibi enim postquam explicavit gratiam prævenientem per illuminationem, & inspirationem dicens: Ut voluntas humana misericordie prævenientis auxilio suffulta, & interiori quodam, & occulto secretioris inspirationis contactu si se convertat in Deum, (addit) neque tamen tanta gratia necessitas libero præjudicet arbitrio, cum illa semper sit in promptu. Amos 5. nec momentum quidem prætereat, in quo Deus non stet ad ostium, & pulset, nisi si quis aperuerit januam, intrabit ad illum, & cenabit cum illo, Apoc. 30. nec denique tale est huiusmodi habitus Dei auxiliium, cui resisti non possit: atqui physice prædeterminationi resisti non potest, eâ enim potestà, ut adversarii fatentur, per infallibilem

connexionem sequitur effectus, neque est in potestate habentis eam impedire, vel non impedire, eam habere, vel non habere, ergo physica præmotio opposita est gratiæ, quam docet Concilium Senonense.

## SECTIO II.

### Augustinus Decreta Prædeterminantia rejiciens.

629. **P**ROBAT. 1. Gratiæ Dei juxta Augustinum eatenus est efficax in actu primo, quatenus cum ea potest homo operari, vel non operari, habetque omnem virtutem sufficientem, ut voluntas cum ea pro libito operetur, ita ut efficacia in actu secundo habeatur à determinatione voluntatis instructæ à gratiâ, qua de causa à scientiâ divina, qua cognoscitur conjungenda cum operatione, antequam Deus decernat eam conferre, redditur in actu primo extrinsecè efficax, sed hæc omnia pugnant cum physica præmotione, & decretis prædeterminantibus, ergo in via Augustini repugnat talis præmotio, & decreta prædeterminantia, minor & consequentia tenent, maj. verò probatur ex Augustino de Spiritu & litt. c. 34. dicente: *Visorum suasionibus agit Deus ut velimus, & credamus, sive intrinsecus per Evangelicas exhortationes, sive intrinsecus, ubi nemo habet in sua potestate, quid ei veniat in mentem, sed consentire, vel dissentire propria voluntatis est, & Lib. de prædestin. & gratiâ c. 9. ita inter se atque homines Dominus temperat officia, que distribuens ordinavit, ut vocatione ipsius bonorum principia sumeremus. Vocati autem, atque illuminati vias mandatorum ejus boni ingenii intelligentia nosceremus, ut eas libero eligeremus, vel relinqueremus arbitrio.* Modò sic: Talis est gratiâ, qua Deus constituit liberum arbitrium ex doctrina Augustini, ut in sensu composito illius possit voluntas bonum eligere, vel illud relinquere, sed talis non est gratiâ physice prædeterminans, neque decretum prædeterminatorum; ergo &c.

630. **P**ROBAT. 2. Eatenus dicitur ab Augustino Deus operari in nobis ipsum velle trahendo nos, quatenus confert ea auxilia, quibus per scientiam suam conditionatam vidit voluntatem se determinaturâ liberè ad volendum, sicuti in humanis dicuntur producere effectus illi, qui inclinant homines per sua consilia in circumstantiis, in quibus cognoscunt eos ex vi consiliorum permotos effectum operaturos, sed hæc repugnant cum decretis prædeterminantibus; ergo &c. Probat. min. ex Augustino lib. 2. contra litteras Petiliani c. 84. ubi docet Deum nos trahere per suam gratiam efficacem, & facere, ut faciamus actum salutarem, & tamen nobis dimittere liberam electionem, qua ita sequamur Deum trahentem, ut possimus ejus tractioni resistere, quatenus prævenit consensum nostrum. Sic enim habet: *Quomodo attrahit Pater ad Filium, si dimisit, ut quis,*

*quod voluerit, eligat? & tamen utrumque verum est, sed illud penetrare pauci valent; ergo &c.*

631. **P**ROBAT. 3. Præparatio, quâ voluntas à gratiâ constituitur potens, non operatur nisi ex nostra determinatione, ergo non habet intrinsecam connexionem cum operibus: ac proinde non est gratiâ prædeterminans. Prob. ant. ex Augustino, de Prædestin. c. 2. ubi de actibus liberis loquens ait: *Et utrumque ipsius est, quia ipse preparat voluntatem, & utrumque nostrum, quia non fit nisi volentibus nobis. Et lib. de Spiritu & litt. c. 34. misericordia ejus in omnibus prævenit nos, consentire autem vocati Dei, vel ab ea dissentire, sicut dixi, propria voluntatis est.* Quæ res non solum non infirmat, quod dictum est: *Quid enim habes, quod non accepisti?* Verum etiam confirmat: accipere quippe, & habere anima non potest dona, de quibus hoc audit, nisi consentiendo. Et c. 12. de corrept. & gratiâ agens de prædestinatis ait: *Eis non solum dat adjutorium, quale primo homini dedit, sine quo non possint perseverare, si velint, sed in eis etiam operatur, & velle, ut quoniam non perseverabunt, nisi & possint, & velint, perseverandi eis possibilitas, & voluntas divina gratiâ largitate donetur.* Modò sic: Deus, ex Augustino dat hominibus posse & velle, quatenus dat gratiam, qua consentiunt, etsi possent cum illa dissentire, sed exinde nostra voluntas instructa, & præparata gratiâ non operatur, nisi ex nostra determinatione, ergo &c. Et hæc est ratio, propter quam ibidem ait Augustinus: *Ita ergo non gloriatur omnis caro coram ipso: non enim gloriatur iniqui, quia non habent unde, nec justis, qui ex ipso habent unde, hoc etiam Apostolus aperitissime ostendit, qui cum dixisset, ut non gloriaretur omnis caro coram ipso, ne putarent Sancti sine gratiâ se remansisse: max. addit, ex ipso autem vos estis in Jesu Christo, qui factus est vobis sapientia à Deo, & justificatio, & sanctificatio, & redemptio, ut, quemadmodum scriptum est, qui gloriatur, in Domino gloriatur, unde etsi inanis gloriatio mala sit, at gloriatio in Domino bona est.*

632. **P**ROBAT. 4. Ut homo eliciat operationem rectam, satis est quòd habeat gratiam sufficientem, eamque pro libito suo conjungat cum consensu, sed talis non est gratiâ prædeterminans, ergo Gratiâ ex Augustino non est prædeterminans: Probat. maj. ex Augustino de gratiâ & lib. arb. cap. 16. dicente: *Certum est enim nos mandata servare, si volumus, sed quia preparatur voluntas à Domino, ab illo petendum est, ut tantum velimus, quantum sufficit, ut volendo faciamus: Certum est nos velle, cum volumus, sed ille facit, ut velimus bonum, de quo dictum est, sed paulo antè posui, quòd preparatur voluntas à Domino, de quo dictum est, Deus est, qui operatur in nobis, & velle, & operari. Certum est nos facere, cum facimus, sed ille facit, ut faciamus præbendo virtus effi-*

631. *facillimas voluntati, qui dixit: faciam, ut in justificationibus meis ambuletis, & faciatis, cum dixit, faciam ut faciatis, quid aliud dicit, nisi auferam à vobis cor lapideum, unde non faciebat, & dabo cor carneum, unde faciam.* Et Lib. 1. ad simplic. quest. 2. Nam si quaramus, utram donum Dei sit voluntas bona, mirum, si negare quisquam audeat, etenim quia non precedit voluntas bona vocationem, sed vocatio bonam voluntatem, propterea vocanti Deo rectè tribuitur, quod bene volumus, nobis vero tribui non potest, quod vocemur, non igitur ideo dictum esse putandum, non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, quia sine ejus adjutorio non possumus adipisci, quod volumus, sed ideo potius, quia sine ejus voluntate non possumus. Et eadem quest. 2. Ut velimus, suum esse voluit, & nostrum, suum vocando, nostrum sequendo, atque facere secundum vocationem, quam sequimur illam, idem est, ac efficacem illam heri à nostro consensu, non autem ex suis intrinsicis; ergo &c.

ubi probat 35. testimoniis Augustini voluntatem, quæ supponitur esse libera, eò ipso supponi esse à potentia indifferente. Vide alia Augustini testimonia à num. 603. & 663.

SECTIO III.

D. Thomas physicam præmotionem, & decreta prædeterminantia reprobans.

634. **PROBAT. 1.** Ex 2. Sententiarum distinctione 39. quest. 2. art. 1. in corpore, ubi ait: *Ipsa enim potentia voluntatis, quantum in se est, indifferens est ad plura, sed quod determinatè exeat in hunc actum, vel in illum, non est ab alio determinatè, sed ab ipsa voluntate.* Sic enim habet in editione Parisiensi anni 1658. recognita à Magistro Joanne Nicolai Domini- cano, & D. Sorboniensi: Tum etiam art. 2. in corpore. *Homo habet dominium sui actus secundum illam potentiam, quæ ad plura se habet, nec ad aliquid eorum determinatur, nisi ex se ipsa, quod tantum voluntati competit.* Modò sic: Voluntas ex D. Thoma non agit liberè, nisi ex determinatione sui, atque si daretur physica prædeterminatio, non ageret ex determinatione sui, sed DEI prædeterminantis; ergo &c.

635. **PROBAT. 2.** Ex eodem D. Thom. quest. 3. de malo art. 3. ad 5. dicente: *Voluntas cum sit indifferens, per aliquid determinatur ad unum, scilicet per consilium rationis, neque oportet hoc esse per aliquid agens extrinsecum.* Modò sic: Si daretur physica prædeterminatio, voluntas prædeterminaretur ad unum per divinam determinationem, non autem à se ipsa, ergo ex D. Thoma repugnat prædeterminatio. Confirm. ex eodem in 1. dist. 24. quest. 1. art. 1. in corpore. *In causis ad utrumlibet effectus de futuro nullam habent determinationem, unde ex his contingentia nullo modo cognosci possunt.* Et quest. 16. de malo art. 7. in corpore, *quæ sunt ad utrumlibet, non possunt cognosci in suis causis determinatè, sed sub disjunctione, quod erunt, vel non erunt, atque si voluntas libera ad operandum constitueretur per physicam prædeterminationem effectus, possent in causis suis cognosci; ergo &c.*

636. **PROBAT. 3.** Et explicatur ulterius præcedens ratio, D. Thomas distinguit causas necessarias à liberis in eo, quòd in causis necessariis habent effectus determinationem, ut postea existant, & ut demonstrativè possint cognosci; in causis verò liberis nullam habent determinationem. Sic enim habet perihermeneias lect. 13. ut ex num. 415. Tum etiam ex pluribus aliis testimoniis adductis num. 381. Modò sic: quando D. Thomas ait in causis liberis effectum nullam habere determinationem metaphysicam, bene verò

632. **PROB. 5.** Ex eodem August. lib. 3. de lib. arbit. c. 18. dicente: *Quæcumque causa est voluntatis, si ei resisti non potest, sine peccato ei creditur: atque gratiæ prædeterminanti resisti non potest, ergo talis non est gratia, quam docet Augustinus, ac proinde recta libera operatio proveniens à gratia, nequit cognosci ex doctrina Augustini in decretis prædeterminantibus.* Confirm. 1. Ex eodem Augustino lib. 1. ad Simplician. quest. 2. dicente: *Illi electi, quia congruenter vocati, illi autem, qui non congruebant, nec attemperabantur vocationi, non electi, quia non sequuntur, quamvis vocati; atque si decreta divina essent efficacia, & physice prædeterminantia, malè inferret Augustinus, eos electos non esse, quia non fuerunt sequuti, quamvis vocati, sed inferret eos non esse electos, quia Deus efficaciter non decrevit, quòd vocationem sequerentur; ergo &c.* Confirm. 2. Ex lib. 12. de Civit. Dei cap. 6. ubi Augustinus proponit duos homines æqualiter affectos animo & corpore, videntes ejusdem corporis pulchritudinem, quorum alter ea vilia moveretur ad illicita, alter verò in voluntate pudica perseverat, atque nullam aliam hic assignari posse causam nisi istam: *Quid aliud apparet, nisi unum voluisse, alterum noluisse à castitate deficere, ergo ex doctrina Augustini posita tota libertate proxima in utroque potest unus peccare, & alter non, sed ita non esset, si libertas proxima includeret prædeterminationem, aut decretum prædeterminativum; ergo &c.* Hoc testimonium adeò efficax est, ut eo tanquã firmissimo propugnaculo usus fuerit S. Franciscus Salehus lib. 2. Amoris divini c. 10. ad probandum, fieri posse, ut cum omnino æquali auxilio alius agat rectè, & alius non, omitto alia plura Augustini testimonia, quæ videri possunt apud P. Annatum in lib. de *incusata* libertate, c. 2.

in causis necessariis, loquitur D. Thomas de iis causis, prout includunt decretum divinum, aliter causae necessariae non haberent talem determinationem, ut patet in igne Babylonico, qui non comburebat, ergo ex D. Thoma causa libera affecta divino decreto ad ipsam requisito nullam habet metaphysicam determinationem ad effectum, ac proinde neque includit in doctrinâ D. Thomae decretum praedeterminativum.

637. Prob. 4. Ex D. Thom. 1. Part. quest. 62. art. 7. ad 2. dicente: *Inclinatio gratiae non imponit necessitatem, sed habens gratiam potest ea non uti.* Modò sic: Ex eo voluntas libera constituta per gratiam moventem voluntatem ad opus bonum, potest ea gratia non uti ex doctrina D. Thomae, quia illi divinae motioni potest resistere, atqui si illa divina motio esset praedeterminativa, non posset voluntas illi resistere, ergo &c. Min. & consequentia tenent: maj. verò patet ex ipso D. Th. quod lib. 1. art. 7. ad secundum dicente: *Si Deus movet mentem humanam ad bonum, quod tamen potest huic motioni resistere;* ergo &c. Confirm. 1. Et praecipue solita adversariorum responsio in via D. Thomae potest voluntas resistere gratiae moventi, sed resistere gratiae moventi non est resistere in sensu diviso, sed in sensu composito: resistere enim in sensu diviso, solum esset resistere, ne detur motio, non autem esset resistere gratiae moventi; ergo &c. Confirm. 2. Nemo resistit, nisi dum pugnat, adeoque nemo resistit motioni gratiae, nisi dum pugnat cum gratia movente: sed hoc est resistere in sensu composito; ergo &c.

638. Probat. 5. Et stabilitur praecedens ratio: quamvis homo actualiter habeat gratiam moventem ad bonum actum, nihilominus potest pro libito suo in contrarium actum transire, sed transire ad actum contrarium, quando gratia movere ad actum bonum, est resistere gratiae in sensu composito, ergo quando voluntas est liberè constituta cum gratia ad actum bonum, potest gratiae resistere in sensu composito, ac proinde talis gratia, qua voluntas libera constituitur, nequaquam esse potest praedeterminativa: minor & consequentia tenent ex num. superior. maj. verò est manifesta D. Thomae doctrina in secundam dist. 29. quest. 1. art. 2. ad 4. ubi ait: *Etiâ si homo gratiam habuerit, nihilominus potest in contrarium actum transire,* ergo &c. Confirm. ex eodem in Joan. 1. dicente: *Quia in potestate hominis est, ut gratia consentiat, & non consentiat, eis dedit potestatem filios Dei fieri.* Modò sic: Non dedit Deus hominibus potestatem, ut filii Dei fierent, nisi in sensu composito possunt fieri, vel non fieri, sive consentire, & non consentire, ergo ex D. Thoma in sensu composito gratiae potest voluntas libera resistere gratiae praedeterminanti, ergo gratia conservativa juris libertatis in via D. Thomae non est praedeterminans.

639. Probat. 6. Si gratia esset praedeterminans, voluntas non ex eo haberet gratiam efficacem, quia consentiret, sed ideo consentiret, quia habebat gratiam intrinsicè efficacem, sive, quod idem est, vocatio non ideo esset efficax, quia voluntas consentiret, sed quia in se habebat intrinsicè efficaciam, atqui ex D. Thoma ideo vocatio est efficax, quia voluntas consentiret, ergo gratia conservativa juris libertatis in doctrinâ D. Thomae non est praedeterminativa, major, & consequentia tenent, minor verò patet ex verbis D. Thomae, in c. 8. Epistole ad Rom. lect. 6. dicentis: *Vocatio in Praedeterminatis est efficax, quia hujusmodi vocationi consentiunt,* ergo &c. Omitto plura alia testimonia videnda apud P. Suarez lib. 5. à cap. 37. usque ad 43. & apud Henricum de Crest contra doctrinam Lovaniensem in libello, cujus titulus est, controversia inter Angelici Doctoris Sectatores de mente ejus circa praedeterminationem physicam, cordatis Theologis decidenda proponitur, omitto etiam alia argumenta omnibus nota, quae fieri possunt in propositionibus, quas contra Jansenium damnarunt Innocent. X. & Alex. VII.

## SECTIO IV.

### Solvuntur opposita.

640. Objic. 1. Ex Genet. plura scripturae testimonia Augustini, & Thomae, in quibus dicitur, cor hominis esse in manu Regis, & his similia, ergo omnes actus nostri liberi pendent à praevio decreto efficaci Dei, secus autem ab indifferenti conjungibili cum utroque libertatis extremo: Confirm. quia hic modus nosse tollit à Deo rationem primi liberi, reddique ipsum spectantem effectum causae creatae, dimittit DEI supremum dominium, aliisque plura inconvenientia & absurda continet, ergo decreta indifferentia explodenda, & rejicienda sunt à divina voluntate, solumque admittenda praedeterminantia. Resp. Conc. antecedens, & neg. consequentiam, quia testimonia intelliguntur de dominio Dei decernentis consequenter ad praevisionem consensus conditionate futuri, non verò de dominio Dei, quod exerceri possit ad constituendam causam liberam per decretum intrinsicè efficacem, & praedeterminans, aliter Deus non prepararet voluntatem secundum naturam suam liberam, & ex Augustino, & D. Thoma, & alii testimoniiis per totam disputationem adductis constat: Sic etiam D. Thomas quest. 6. de malo, art. unico in corpore, *Deus voluntatem movet secundum ejus conditionem, non ut ex necessitate, sed ut interminatè se habentem ad multa.* Exinde ad confirmationem neg. ant. ex nostra enim sententia nullum sequitur absurdum. Deus enim est primum liberum, cum prius tempore se exerceat, liberè volendo, & producendo voluntatem, eique liberè conferendo principia, ut pro libito suo possit operari, vel non operari, quin-

quoniam ea confert praevidens per scientiam mediam eventum, adeoque est potens alia indifferentia principia conferre, si efficaciter intendere alium eventum. Unde dicitur Cor Regis, & omnium hominum esse in manu DEI, Deumque habere plenum in omnia dominium, ex eo autem, quod DEUS non ita gubernet preparando per decretum praedeterminativum causas liberas, nequaquam minuitur divinum dominium, cum tale dominium gubernativum causa libera per decreta praedeterminantia, Chymericum profus sit, & impossibile, ut constat ex dictis, dominium autem DEI non minuitur ex eo quod ei deficiat dominium Chymericum, & impossibile.

41. Objie. 2. Instando simul solutionem. Si Deus constitueret creaturam liberam absque decreto praedeterminante per solum decretum, & auxilium indifferens, posset creatura dissentire omnibus auxiliis, adeoque maneret consequenter impraevidibilis per merita, sed nulla potest dari creatura impraevidibilis per merita, ut constat ex pluribus testimoniis PP. praecipue Augustini, & Thomae dicentium: *Posse DEUM uti creatura prout vult, sive in honorem, sive in contumeliam*: ita ut Augustinus quasi deliramentum, & fatuitatem impie desipientis appelleret dicere, quod DEUS non possit convertere hominum corda quancumque, & ubicumque velit; ergo &c. Resp. dist. maj. posset speculative omitto, practice neg. maj. & distincta min. neg. consequentiam. Explico solutionem cum Quiros *disp. 11. de Praedestinatione sect. 3.* Quaelibet enim creatura metaphysice loquendo praevideri potest consentura, vel dissentura omnibus auxiliis a DEO confertibilibus. Caeterum, cum hoc sit moraliter impossibile, attentis infinitis auxiliis, & circumstantiis, in quibus possunt conferri, nunquam casus evenit, est enim hoc inter impossibilia moralia maximum, & praecipuum impossibile, cum autem de re adeo impossibili non possumus nisi imprudenter, & insipienter judicare, quod evenit, adeoque practice loquendo, semper praevidetur creatura quaecumque aliquibus inter infinita auxilia consentura, & aliis dissentura, quo soluta manet tota vis argumenti; nihilominus ut magis attingamus vim argumenti, supponimus DEUM praevidere hoc adeo magnum impossibile morale vincendum ab aliqua creatura, si producatur, adeoque quod ita per scientiam mediam praevideatur a DEO. Duplex est expositio interpretum, ut dicemus a num. 562. de gratia, juxta primam DEUS posset eam creaturam producere, non vero juxta secundam expositionem, qua modo darā & non concessā

42. Dico DEUM necessitari ex parte sui ad  
R. P. Gorman Theolog. Tom. I.

non producendam talem creaturam, quae eo ipso expelletur ab ipsa existentia. Ratio est, quia Deus in metaphysica sui necessitate tenetur ad non producendam creaturam, nisi praesciat se posse eam uti, quomocumque voluerit. Unde talis creatura, quae non possit a DEO converti, & praedestinari per merita, vel permitti, ut peccet, si existat, est practice impossibilis ex natura divini domini, sicut etiam a Thomistis, & aliis Theologis dicitur titulo divinae Sanctitatis reddi practice, & intrinsece impossibilem Angelum pro eo instanti primo creationis, si praevideatur in ipso peccaturus, si crearetur, & sicut ab omnibus dici debet titulo veracitatis divinae reddi practice impossibilem a DEO id, quod praesciat fore contra sua promissa, si produceretur. Cum simili discursu, dici debet titulo divini domini reddi practice impossibilem creaturam, nisi praesciat de ipsa DEUS fore, ut alicui auxilio consentura sit, vel dissentura, si daretur, neque exinde fieret, quod a libito creaturae penderet posse, vel non posse produci. Nam hoc non penderit a libito exercitio creaturae, quod esset ridiculum, sed a libito pure praecognito, & intentionali: idque solum occasionaliter: nam formaliter, & per statum solum oritur ex necessitate supremi Domini, quod Deus habet.

643. Ex hoc namque discursu imprimis componitur potentia dissentendi, seu consentendi omnibus, & singulis auxiliis plene indifferentibus, seu posse creaturam praevideri a Deo cum dissensu, vel consensu conditionali omnium auxiliorum plene indifferentium, ut dicimus in tractatu de gratia. Insuper componitur practica improducibilis hominis, qui aliquando non praevideatur vel consenturus, vel dissenturus, nam eo ipso, quod ea praevisto desit, manet improducibilis a Deo, eo praecise, quod de necessitate divini Domini potestas proxima producendi creaturam rationalem est praevistio consentus, aut dissensus sub aliqua hypothese: haec enim natura divini domini colligitur satis ex testimoniis Augustini passim illud testantis. Sic in *Enchirid. c. 98.* *Quis tam impie desipiat, ut dicat Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, & ubi voluit, in bonum non posse convertere?* Cum quo idem sentiunt Anselmus, Thomas, & reliqui Theologi. Exinde apparet pertinere ad supremum Dei dominium, ne sit in rebus creatura, quae non debeat agnoscere, ut speciale Dei beneficium ultra donum creationis, affectionem felicitatis, etiam positam elevatione ad ipsam, atque adeo ipsam non fuisse positam in circumstantiis, in quibus & miseriam incurrisset, & felicitatem amisisset, quibus aliae quam plures adjungi possunt ra-

tionem ex istis descendentes. Exinde inferes quantum excefferint illi moderni, de quibus Amicus tom. 1. *diff.* 12. *sec.* 2. n. 238. qui in Virginem Dei matrem devotè propensi dixere, eam esse creaturam. quæ à Deo nusquam, & sub nulla hypothefi prævisa est dissentire per scientiam mediam auxilio ulli ex infinitis ipsi à Deo conferibilibus. Videatur hic author multipliciter reprimens hunc excessum pietatis, & afferens cenfuram jussu A. R. P. N. Generalis Vincentii Caraffæ constat à doctissimis Theologis, ubi statuitur, & decernitur, ne in scholis Societatis quis doceat esse inter posibles creaturas aliquam, de qua DEUS per scientiam mediam neque videat ullum dissentium conditionalem, neque ullum conditionalem consensum, sub aliqua libertate, aut circumstantia.

644. Quòd autem pro signo priori ad decretum Dei liberum maneat aliquid practicè possibile, vel impossibile, non est contra divinam perfectionem, à qua omnia pendent, nam titulus ad illam possibilitatem, vel impossibilitatem non diminuit, sed arguit perfectissimum DEI dominium. Sic positus scientia directa, & reflexa in divinis in sententia plurimorum Theologorum manet in DEO necessitas ad aliquem actum voluntatis eliciendum conexum cum utraque simul scientia, quamvis non connectatur cum utraliber seorsim sumpta, in quarum prima v. g. diceret DEUS: si viderem Petrum consensurum auxilio A, si ipsi daretur, haberem decretum prædestinativum, secunda verò, si darem Petro auxilium A, ille consentiret, positus iis namque duabus scientiis mediis datur necessitas decreti divini prædestinativi, pariter in nostro casu, positus iis duobus titulis, nimirum de scientia media dissensus sub omnibus auxiliis, & de perfectissimo DEI dominio datur necessitas ad non producendum talem hominem; nam licet uterlibet titulus seorsim sumptus satis non sit ad impossibilitatem hominis practicam, uterque autem simul sufficiens est. Sic in syllogismo sæpe una sola præmissa non infert conclusionem, bene verò utraque simul. Sic etiam octo gradus caloris possunt existere divisivè sine forma ignis, secus autem collectivè, sic etiam neque sola sciencia, neque solum decretum indifferens collativum auxilii est sufficiens determinativum ad cognoscendum eventum, bene verò utrumque simul, ut ex num. 257. Vide alteram argumenti solutionem in tractatu de gratia num. 563.

645. Objic. 3. Omnis causa secunda ex suo conceptu essentiali importat agere per actionem in semetipsa causatam à causa prima, sed voluntas creata est causa secunda, ergo importat formaliter agere per actionem causatam in semetipsa à causa prima, adeoque per physicam præmotionem. *Confirm.* 1. Si ea actio producere-

tur à DEO simul cum voluntate creata, DEUS non esset primus, & principalis agens, sed simultaneus agens cum causa creata, sed est principalis agens; ergo &c. *Confirm.* 2. Creatura non minus dependet à Deo in agendo, quam in essendo, ita ut non minus repugnet ei esse primum ens, quam esse primum agens, sed ex eo, quòd non sit primum ens essentialiter, sequitur, quòd suum esse producatur à DEO præcisè, & non per concursum ipsius simultaneum, ergo ex eo, quòd non sit primum agens, sequitur, quòd suum operari producatur primò à DEO præcisè per præmotionem, & non per concursum ipsius simultaneum.

Resp. *diff.* maj. Causatam à causa prima concurrente eodem modo ad actus necessarios, & liberos nego, diverso modo conc. maj. & conc. min. neg. consequent. quia ad actus necessarios ita DEUS concurrat, ut simul determinet, ad actus verò liberos ita creatura concurrat cum DEO, ut ipsa formaliter determinet, ita ut possit extremum libertatis, quòd voluerit, eligere. Ad primam confirmationem *diff.* maj. non esset primus, & principalis liberè agens nego, necessario agens conc. maj. & *diff.* min. neg. consequentiam. Ratio est, quia quando DEUS constituit creaturam potentem proximè ad actus salutes, prius ipse creaturam producit liberè, deinde producit in ipsa liberè gratiam illustrationis, & affectionis, ad quam ob rationem vitalitatis concurrat creatura non quidem liberè, sed necessario. Fit enim gratia liberè à DEO in nobis sive nobis liberè operantibus. Unde semper est Deus primus agens, & primus liber.

Ad secundam confirmationem *diff.* maj. non minus & eodem modo nego, & diverso modo conc. maj. & conc. min. neg. consequentiam. Ratio est, quia creatura ita pendet à DEO in essendo, ut absque ullo creaturæ concursu DEUS illam producat, cum nulla res possit aliquid producere, antequam sit, adeoque nequit adhuc per concursum simultaneum cum DEO se ipsam primò producere, at verò simul producta potest per concursum simultaneum cum Deo simul operari, vel necessario, si DEUS creaturam determinet, vel liberè, si DEUS creaturæ liberam determinationem relinquat, ut simul cum DEO operans ipsa determinet, ad cum modum, quo concurrens simul cum habitu ad actum supernaturalem determinat formaliter ipsa voluntas, secus autem habitus, licet enim determinatio effectivè à voluntate, & habitu simul procedat, formaliter verò & determinativè non procedit ab habitu, sed à voluntate, ut adversarii farentur, pariter igitur in casu nostro.

Objic. 4. Ab indifferenti ut indifferenti nequit

nequit oriri effectus determinatus, nisi ab aliquo extrinsecè determinetur, sed voluntas libera est essentialiter indifferens; ergo &c. Confirm. 1. Indifferens ut indifferens essentialiter est passivum, potest quidem habere formam, quam non habet: etenim si illam haberet, jam non esset indifferens, sed determinatum, atqui passivum nequit habere aliquam actionem, nisi determinetur ab aliquo agente producente in ipso entitatem actus, à quo solum potest haberi determinatio passivi; ergo &c. Confirm. 2. Actus tollens indifferentiam advenit causæ indifferenti, in qua non erant, at qui si primò produceretur ab ipsa causa, & non ab alio extrinsecò præviè producente, non adveniret causæ actus, qui in ipsa non erat: implicat enim, quòd non esset in causâ actus, qui producitur in causa ab ipsa; ergo &c.

649. Resp. dist. maj. ab indifferenti ut indifferenti ex imperfectione virtutis conc. ut indifferenti ex perfectione dominii, quo determinari potest subsequenter neg. maj. & distincta min. neg. consequentiam. Ratio est, quia si est indifferens cum perfecto dominio ad utrumque pro libito suo, potest se ad unum præ alio subsequenter determinare, quod, velint nolint, fateri tenentur adversarii in ipso Deo, qui liber est, & tamen à se ipso, & non ab alio, ad unum præ alio subsequenter determinatur in actionibus ipsi soli liberis. Ad primam confirmationem dist. maj. essentialiter est passivum purè nego, passivum purè, vel passivum simul, & activum conc. maj. & dist. min. neg. conseq. Ratio est, quia si est indifferens indifferentia libertatis ad utrumque non solum est indifferens ad recipiendum suum actum, sed etiam ad illum producendum, ac proinde non est purè passivum, sed passivum simul, & activum. Ad secundam confirmationem dist. maj. in qua non erat formaliter conc. in qua non erat producibilis pro libito causæ neg. maj. & dist. min. neg. consequentiam. Ratio est, quia quando potentia libera est indifferens, & expedita in actu primo proximo ad eliciendum actum, vel omissionem pro libito suo, licet in se non habeat pro signo libertatis formaliter actum, habet tamen in sua potentate illum elicere, aliter non esset potentia in actu primo proximo ad utrumque expedita. Et miror, quòd tale argumentum efformetur ab adversariis, qui illud solvere tenentur in ipso Deo: Deus enim liberè producens creaturam coëxistit cum ipsa in sua propria mensura, & hæc advenit DEO, cui ita formaliter non coëxistebat, quin producatur ab alio in ipso DEO.

650. Objic. 5. Nostra voluntas bona & recta operatio tribuitur DEO, & DEUS est, qui eam in nobis operatur: atqui si gratia DEI solum inclinaret in bonam voluntatem,

tem, & rectam operationem, quin physicè præmoveret per gratiam efficacem intrinsecè connexam cum bona voluntate, & recta operatione, non tribueretur DEO nostra bona voluntas, & recta operatio; ergo &c. Probat. min. ex Augustino in *supplemento contra Julian. lib. 2. cap. 157.* dicente: *Admoneo, ut intelligatis, cui gratie sitis inimici negando operari DEUM voluntates in mentibus hominum, non ut nolentes credant, sed volentes ex nolentibus fiant, non sicut facit Doctor homo dicendo, & hortando, & minando, & promittendo in sermone Dei, quod frustra sit, nisi Deus intus operetur & velle; ergo &c.* Confirm. 1. Gratia, quam docet Augustinus, facit, ut faciamus præbendo vires efficacissimas voluntati, sed ex eo quòd solum DEUS alliciat, & invitet voluntatem, non præbet ei vires efficacissimas ad agendum, sicut objectum magis lucidum magis allicit potentiam visivam, non tamen tribuit ei, vel auget virtutem ad videndum; ergo &c. Confirm. 3. Licet Petrus moveat Paulum ad occidendum Franciscum, non occidit verè & propriè Franciscum; atqui DEO per suam gratiam tribuitur, quòd efficit in nobis verè, & propriè velle operari, ergo non solum concurrat per suam gratiam alliciendo, sed etiam præviè determinando.

651. Resp. Conc. maj. & neg. min. ad probationem conc. ant. & neg. consequentiam. Ratio est, quia inter exhortationem hominum, & gratiam DEI, quam Deus confert bene operantibus, intercedit, ut sæpè diximus, magnum discrimen: nam homines hortantes non cooperantur physicè effectum, ad quem alios inclinant, bene verò DEUS, qui nobiscum simultaneè operatur bonam voluntatem, quod satis colligitur ex ipsius Augustini verbis dicentis, *quod motio frustra fieret, nisi DEUS intus operaretur, & velle, sicut frustra quis consulit alteri, si alter non vult operari, neque cooperari cum consulente.* Exinde ad primam confirmationem conc. maj. & neg. min. & paritatem, si lux non concurrat physicè ad visionem, sed formaliter illuminando: nam DEUS concurrat simultaneè physicè producendo non solum actum, sed & potentiam creatam ad illum. Ad secundam confirmationem concessis præmissis nego consequentiam, quia licet Petro consulenti tribuatur solum moraliter, & non physicè, at verò DEO non potest non tribui etiam physicè. Auxilia, quibus DEUS movet, dicuntur efficacissima, non quidem ab efficacia, ipsis prævia, & intrinseca, sed extrinseca proveniente à scientia media, ut sæpè diximus, neque alia esse potest mens Augustini, qui solum motioni moralis præviè tribuit DEO, quòd trahat nos ad ipsum, ut ex n. 603.

652. **Objic. 6.** Non potest moveri voluntas ad bona opera nisi per motum intrinsecè receptum, motus enim, ut docent Philosophi, recipitur in mobili, atqui modus est actus entis in potentia prout in potentia, ergo voluntas movetur per actum receptum intrinsecè in sua passiva potentialitate: sed actus receptus in passiva potentialitate voluntatis est ipsum velle intrinsecum, ergo gratia actualiter movens voluntatem debet esse intrinseca, sed ut hæc gratia intrinseca nobis actum asserat, debet esse prædeterminans; ergo &c. **Resp. Conc.** toto argumento nego ultimam minorem subsumptam. Ratio est, quia eo ipso, quod ille actus eliciatur à voluntate liberè, non procedit à gratia intrinsecè efficaci: cum enim hæc esset inevitabilis, & inimpedibilis à voluntate, libertatem planè extingueret, ut sæpe diximus. Illa quidem gratia quantumvis intrinsecè indifferens, cum conferatur prælucente scientia media de recta operatione, redditur extrinsecè efficacissima, ratione cuius jure optimo tribuitur nostra operatio Deo illam gratiam conferenti.

653. **Objic. 7.** Augustinus *Lib. de Correctione, & gratia cap. 12.* ait: *Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanae, ut divina gratia indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur, & ideo quamvis infirma non tamen deficeret, nec adversitate aliqua vinceretur.* Atqui si ea gratia non esset intrinsecè efficax, voluntas non operaretur à divina gratia indeclinabiliter, & insuperabiliter; ergo &c. Hoc argumento usus fuit Jansenius ad docendam illam tertiam propositionem, quam damnavit Innocentius X. & Alexander VII. nimirum *ad merendum, & demerendum non requiritur libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.* Eam quippe propositionem inferebat Jansen. ex illo Augustini testimonio malè intellecto. Quapropter ut Augustini mens bene percipiatur, notandum est, Augustinum non dicere voluntatem agi divina gratia necessariò, sed indeclinabiliter, & insuperabiliter. Augustinus enim loquitur de gratia efficaci extrinsecè, quæ licet antecedenter, & secundum se sit inconnexa cum consensu, at tamen, prout oritur ex providentia infallibili DEI, & ex præfinitione operis efficaci, est connexa consequenter cum consensu, & compossibilis cum libertate, quæ non evertitur ex necessitate consequenti, sed antecedente. Exinde ad argumentum in forma. **Resp. Conc. maj. & neg. min.** quia licet gratia sit antecedenter, & intrinsecè indifferens, at cum consequenter ad exercitium conditionatum voluntatis Deus per scientiam mediam videat, quod si in talibus circumstantiis eam gratiam conferat voluntati, voluntas pro libito suo consentiet, et si posset dissentire, ea de causa ab illa divina scientia infallibili redditur ea gratia in illis circumstantiis extrinsecè efficax, & sufficiens, ut voluntas cum illa indeclinabiliter, & insuperabiliter operetur bonum, quod autem ista

fit mens Augustini, constat ex variis testimoniis ipsius dicentis, antecedenter esse propriæ voluntatis consentire, aut dissentire: sic *l. 2. retract. c. 34.* *In omnibus misericordia ejus prævenit nos, consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, sicut dixi, propriæ voluntatis est.* Quod idem explicat D. Th. *Part. 2. quæst. 112. art. 3.* & passim alibi. Videatur ipse Aug. n. 629.

654. **Obj. 8.** Actio supernaturalis ex suo conceptu essentialiter petit esse à primo agente supra totam naturam, sed gratia actualis est actio supernaturalis, ergo essentialiter petit esse à Deo, ut est primum agens, supra totam naturam, atqui prout est à Deo tanquam primo agente supra totam naturam, non est à DEO, ut simultaneè nobiscum operante. Simultas enim tollit naturam primi & secundi, cum tollat rationem prioritatis, & posterioritatis, quam importat essentialiter primum, & secundum. Simultati enim opponitur prius, & posterius, in *lib. de Postpredicamentis cap. de Oppositis*, ergo illa gratia est à Deo prout operante actum nostrum, cum illa prius, quam nos operemur, adeoque est à DEO prædeterminante: maj. Probat. ex Scriptura *ad Rom. 8.* dicente: *Qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei:* sed illud dicitur agi, quod recipit ab agente actionem, per quam agitur. Sic *Isaia 26.* *Omnia enim opera nostra operatus est nobis.* *Ad Philippens. 2.* *Deus enim est, qui operatur in nobis & velle, & perficere;* ergo &c. **Confirm. 1.** Opera nostra bona & iusta, quæ in nobis non producantur à Deo, sunt immunda, juxta illud *Isaia 64.* *Quasi pannus menstruatus sunt omnia justitia nostra.* Et *Luc. 17.* *Sic vos, cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutilis sumus,* ergo actio supernaturalis meritoria essentialiter petit fieri in nobis à Deo, ut est primum agens supernaturale, adeoque à Deo prædeterminante.

655. **Confirm. 2.** Nostra voluntas etiam cum aliquo auxilio habituali, seu actuali est minus proportionata ad eliciendam actionem supernaturalem, quam sit proportionatum aliquod subjectum per formam naturalem ad eliciendam operationem naturalem; major enim est proportio, quando subjectum, forma, & operatio sunt ejusdem ordinis supernaturalis, quam eum subjectum est ordinis naturalis, & sola forma, à qua elevatur, est supernaturalis, sed potentia minus proportionata est minus potens elicere operationem à se ipsa, sicut potentia simpliciter improportionata nullo modo potest elicere operationem, ergo voluntas etiam cum aliquo auxilio habituali, vel actuali adhuc indiget ex defectu proportionis totalis, ut præcisè producat in ipsa actio sui actus supernaturalis ab agente supernaturali. **Confirm. 3.** Si actio supernaturalis non produceretur à Deo in nobis per concursum prævium, ea actio, prout erit à nobis, non erit immediatè à Deo, atqui est immediatè à Deo, prout est à nobis; ergo &c.

**Resp.**

656. Respond. dist. maj. à primo agente solitarie producente nego, vel se solo, vel cum causa sibi subordinata conc. maj. & conc. min. dist. conseq. eodem modo. Deinde neg. min. subsumptam quoad primam partem, & dist. quoad secundam partem. Simultas ejusdem ordinis tollit rationem primi & secundi Conc. simultas cum dependentia unius ab alio tanquam ab elevante, & vires conferente neg. min. & conseq. quia DEUS simultaneè nobiscum concurrens concurrat, dando nobis vires adeoque ut primum agens. Ad primam confirmationem dist. ant. quæ non producuntur in nobis à Deo præviè nego, per concursum naturæ rationali conformem conc. ant & neg. conseq. Actiones enim, quas per concursum simultaneum cum Deo elicimus ex inclinatione gratiæ, non sunt inhonestæ, sed honestæ. Neq; authoritas Isaïæ in argumento adducta venit ad rem, quia ibi solum est sermo de fidei iusticiis Judæorum, ut explicant expostores, & constat ex versiculo sequenti: *Non est qui invocet nomen tuum &c.* Unde additur: *alligasti nos in manu iniquitatis nostræ.* Adeoque non est sermo de operibus rectis, quæ inclinationi gratiæ conformantur. Pariet neque venit ad rem testimonium D. Luca: nam ibi solum significatur nostra bona opera nullam afferre DEO utilitatem, quod verum est, non autem significatur debere præviè à DEO produci in nobis, ut sint meritoria, hoc enim

esset libertatem penitus evertere, & meritum destruere, ut ex dictis constat.

Ad secundam confirmationem concessis præmissis neg. consequentiam. Ratio est, quia illa minor proportio nunquam tollitur ab agente supernaturali, cum consistat in eo, quòd causa elevata producat ut causa instrumentalis, sive ut elevata, & causa elevans ut causa principalis, sive ut reducens alteram ad ordinem superiorem, quod non militat, quando subjectum, & forma sunt ejusdem rationis, & proportionis cum effectu: exinde autem quomodo inferitur, quòd causa elevata non producat eundem effectum per concursum simultaneum cum elevante? Ad tertiam confirmationem conc. maj. & neg. min. quia illa actio specificativè sumpta simul est à DEO, & creatura, ita ut non possit à creatura esse, quin simul sit à Deo, at cum creatura non sit Deus, manifestum est, quòd ea actio, prout à creatura, non est actio prout à Deo, quin imò ly prout solum significat ex modo nostro concipiendi eam indivisibilem actionem concipi in ordine ad principia diversa, à quibus pender, nimirum in ordine ad Deum, & in ordine ad creaturam, præscindendo in ordine ad Deum, tanquam ad causam, unde ly non est à Deo, solum sumitur præcisiè, non privativè, ex dictis n. 232.

Cætera verò, quæ hinc tradi possunt, dantur in sequenti.

o\*o

## DISPUTATIO XI.

### DE SCIENTIA MEDIA.

658. DEvenimus tandem ad præcipuam torius tractatus controversiam. Constat quidem ex dictis n. 247. quid sit scientia media. Est enim illa, quæ infallibiliter cognoscit libera conditionata nullo prævio actuali voluntatis Dei decreto, & absque ullo prærequisito per se antecedente ad effectum essentialiter cum illo connexum. Exinde si bene perpendantur, quæ hucusque dicta sunt, satis apparet ostensam à nobis esse scientiæ mediæ, existentiam tum à auctoritate, tum à ratione. Cæterum, ut hæc clarius elucescant, indicabo breviter capita probationum, quæ hucusque confecimus, & addam insuper, quæ necessaria sunt ad plenam præsentis controversiæ intelligentiam.

#### SECTIO I.

##### Ostenditur ab Auctoritate Scientiæ Mediæ.

659. PROB. 1. Ex Scriptura 2. Reg. 23. Ubi David Dominum consulenti de peccaminoso descensu conditionato Saulis, & traditione Ceilitarum, respondit Dominus: *Descendet, trahent*, ut constat à num. 574. atqui peccata illa conditionatè prævisa non possunt à Deo præ-

videri in decreto efficaci, quo ea decerneret; Deus enim nequaquam decernit peccata. Deinde nequit illa prævidere in decreto ullo indifferente; tale enim decretum, cum impossibile sit tam cum peccato, quam cum illius omissione, non est medium sufficiens ad cognoscendum infallibiliter peccatum, ut per se patet, & latè constat ex D. Thoma num. 337. & 381. Ergo illa futura conditionata præcognoscebantur à Deo independentè ab ullo decreto actuali: adeoque in se ipsis, sive in propria ipsorum objectiva veritate, ut latè constat ex dictis à n. 455. sed ista est scientia mediæ; ergo ea futura conditionata cognovit Deus per scientiam mediæ; ac proinde innegabilis est in Deo scientia mediæ.

660. Prob. 2. Ex Gen. 11. ubi dicitur, quòd Deus per linguarum confusionem impedivit audaciam illius populi, qui cœpit ædificare turrin Babel, quam si non impedivisset, majora mala fecissent: ait enim textus: *Nec desistent à cogitationibus suis, donec eas opere compleant*: ac proinde Deus illa peccata conditionatè prævisa certissimè novit: sed illa cognitio infallibilis erat scientia mediæ, ut constat ex num. superiori, ergo &c. Confirmat. 1. ex illo

S 3

Math.

*Matth. 24.* ubi Christus Dominus dicit: *Nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro, sed propter electos breviabuntur dies illi;* ergo peccata illa conditionata fuerunt à DEO infallibiliter cognita, non quidem in decreto illo prædeterminante, cum ad peccata DEUS non prædeterminet, ut constat à num. 582. ergo cognovit ea in propria ipsorum objectiva veritate: sed ista est scientia media; ergo &c.

661. Confirm. 2. Ex illis verbis Sap. 4. adductis num. 555. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus.* Tum etiam ex quaestionibus appositis à SS. PP. num. 577. Tum etiam in reprehensione comparativâ Corozainorum, & Betsaidanorum, quibus testimoniis docet scriptura DEUM infallibiliter cognovisse futura conditionata, sicuti & peccata conditionata Hebræorum, si ingrederentur ad filias gentium. Sed ea futura conditionata non præcognovit in aliquo suæ voluntatis actu cum peccatis metaphysicè connexo, aliter Deus esset causa per se peccati, quod blasphemum est. Quinimò voluntas creata nullatenus esset libera ad peccandum, cum illam præviam connexionem cum peccato impedire non posset, ut constat à num. 457. & 582. ergo &c.

662. Probat. 3. Quando voluntas est constituta ad operandum bonum, vel malum, DEUS certissimè cognoscit, in quem actum creatura prorumpet: sed hoc nequit cognoscere in illo constitutivo potentia libera; ergo cognoscit eam veritatem conditionatam in se ipsa: adeoque per scientiam mediam. Probat. min. voluntas ita ad utrumque constituta potest resistere toti inclinationi causæ ad unum extremum, & aliud pro libito suo eligere, ut constat à Tridentino, Arausiano, & Senonensi num. 621. Sed eò quod possit illi resistere, non potest in illo potentia libera constitutivo cognosci infallibiliter unum libertatis extremum potius quàm alterum; ergo &c.

663. Probat. 4. Ex SS. PP. frequenter docentibus multa esse à Deo præscita, quæ non sunt prædestinata, & præscientiam longius patere quàm prædestinationem; ergo admittunt in Deo scientiam mediam. Consequentia tenet; quia scientia media est cognitio futurorum independens à decreto, seu prædestinatione, aut prædefinitione voluntatis divinæ, eamque præcedens. Antecedens verò patet ex Augustino de *Prædestinatione Sanctorum* c. 10. ubi ait: *Prædestinatio est, que sine præscientia esse non potest: potest autem esse sine prædestinatione præscientia.* Idem habet S. Prosper in *responsione ad capita Gallorum responsione* 15. Et Fulgentius c. 29. *lib. 1. ad Anonymum.* Tum etiam Augustinus *tom. 7. ad articulos sibi falso impositos art. 10.* dicens: *Detestanda, & abominanda opinio est, que Deum cujusque male voluntatis, & male actionis credit auctorem:*

*cujus prædestinatio nunquam extra bonitatem, nunquam extra justitiam est; Universæ enim via Domini, misericordia, & veritas. Adulteria enim matronarum, & corruptelas virginum non instruere novit S. Divinitas, sed damnare, non disponere, sed punire. Non ergo casus irruentium, nec malignitatem aliquorum, neque cupiditates peccantium prædestinatio Dei aut excitavit, aut suavit, aut impulit: sed planè prædestinavit judicium suum, quo unicuique retributurus est, prout gessit, sive bonum, sive malum. Quod judicium futurum non esset, si homines Dei voluntate peccarent. Et art. 13. Si ergo justitia & pietate quis deficit, suo præcepto fertur arbitrio, sua concupiscentia irahitur, sua persuasione decipitur, nihil ibi Pater, nihil Filius, nihil Spiritus S. Nec in tali negotio quidquam divina voluntatis intervenit, cujus ope scimus, multos, ne laberentur, retentos; nullos autem, ut laberentur, impulsos; ergo &c.*

Resp. Adversarii cum Gonetto, quòd, quando SS. PP. dicunt, multa esse à Deo præscita, quæ non sunt prædestinata, loquuntur de peccatis formaliter, quæ talia sunt, & quatenus sunt contraria rectæ rationi, & legi divinæ. Sic enim non sunt à DEO prædestinata, nec prædefinita, sed tantum permilla; cum Deus nullum habeat decretum positivum, sed tantum permissivum de illorum futuratione. Unde ejus præscientia latius se extendit, quàm prædefinitio, quæ solum se extendit circa actus bonos, non autem circa malos, ut mali sunt. Contra tamen primò. Deus prævidet malitiam formalem futuram antecedenter ad omnem prædefinitionem, & decretum efficax Dei: ergo cognoscit eam per scientiam mediam. Probat. ant. Decretum per se præparativum omnipotentia non est essentialiter connexum cum malitia formali futura, ut constat à n. 267. & 572. Sed Deus cognoscit, quòd si applicetur omnipotentia per tale decretum, creatura peccabit; ergo antecedenter ad omnem prædefinitionem, & decretum efficax DEI, DEUS prævidet malitiam formalem futuram. Contra 2. Deus non solum non potest prædefinire malitiam formalem, verum neque materiale peccati, ut latè constat à n. 585.

Contra 3. Scientia ista conditionata, de qua loquitur Augustinus, præcedit omne decretum Dei actu existens; ergo est scientia media. Prob. ant. ex Augustino *lib. de Correctione & Gratia* c. 9. ubi exponens D. Paulum perspicuè explicat ordinem, quem Deus in prædestinando servat. Primò enim ante omne decretum ponit præscientiam, quæ eo ipso debet esse conditionata, non absoluta. 2. Prædestinationem, sive positivam. 3. Vocationem secundum hoc propositum. 4. Justificationem. 5. Denique glorificationem: *Ostendens autem, inquit Aug. de Paulo, quid sit secundum propositum vocari, mox addit ea, quæ jam supra posuit: quoniam quos ante præscivit, & prædestinavit*

conformes fieri imagini filii ejus, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem & prædestinavit, illos & vocavit, scilicet secundum propositum: quos autem vocavit, illos & justificavit: quos autem justificavit, illos & glorificavit. Illa omnia jam facta sunt: Præscivit, prædestinavit, vocavit, justificavit; quoniam & omnes jam præsciti, & prædestinati sunt: & multi jam vocati, atque justificati. Ex quibus verbis Augustini clare colligitur Augustinum sensisse scientiam conditionatam antecedere prædestinationem, & hoc genuinè inferri ex D. Paulo. Nulla enim alia esse potest ratio, cur ante omnia D. Paulus enumeret scientiam, nisi quia prior est: si enim decretum esset prius, decretum prius enumerasset; ergo &c.

666. Contra 4. & explicatur magis præcedens ratio. Deus ad conferenda auxilia prædestinatis dirigitur à scientia conditionata de bona operatione futura sub tali auxilio: sed non dirigitur à scientia conditionata fundata in decreto conditionato; ergo dirigitur à scientia media. Consequentia tenet, & minor patet, quia apud ferè omnes Thomistas in eodem signo, in quo DEUS decernit absolute, decernit etiam conditionatè, hac nempe ratione: Volo quòd Petrus consentiat absolute cum auxilio A, & quòd si conferetur illi auxilium B. non consentiret. Unde scientia, quæ præcedit ad collationem auxilii, non est scientia fundata in decreto conditionato; siquidem decretum conditionatum non præcedit absolutum juxta ipsos Thomistas. Major verò probatur innumeris Augustini testimoniis, inter quæ tom. 4. in libro expositionis quarundam propositionum in Epistola ad Rom. prop. 55. loquens de divino proposito erga electos sic habet: Hoc enim propositum ad præscientiam, & prædestinationem DEI pertinet: nec prædestinavit aliquem, nisi quem præscivit crediturum, & sequenturum esse Sanctorum vocationem, quos & electos dicit; ergo ex Augustino DEUS dirigitur à scientia conditionata ad propositum, & electionem prædestinatorum: ac proinde docet scientiam medianam, prout eam docet schola nostra.

667. Quòd hoc inferatur ex præcitato Augustini testimonio clarè, & sincerè fateretur Alvarez lib. 1. Responsum cap. 1. num. 36. in fine. Ursus Carmelitanus Tract. de Scientia disp. 10. & Joannes à S. Thoma: addunt tamen ea esse verba Joannis Arborei, verùm licet eis utatur Joannes Arboreus Tom. 1. Theosophia lib. 4. cap. 11. ea tamen sunt verba Augustini loco cit. licet id ignoraverint adversarii. Res enim est de facto: videatur loco citato, quare ipsi vel renuentes farentur nobis favere Augustinum.

668. Contra 1. Ex eodem Augustino lib. 1. ad Simplicianum quest. 2. dicente: Quamvis uno modo multi vocati sunt: tamen quia non omnes uno modo affecti sunt, illi soli sequuntur voca-

tionem, qui illi capiendè reperiuntur idonei, & illud non minus verum sit. Igitur nec volentis, nec currentis, sed miserentis est Dei, qui hoc modo vocavit, quomodo aptum erat his, qui sequuti sunt vocationem. Et iterum: Nullius Deus frustra miseretur: cujus autem miseretur sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocationem non respuat. Ex quibus sic arguo. Illi vocatione donantur, qui à Deo reperiuntur idonei ad eam recipiendam, ergo Deus priùs comperit idoneitatem, quàm conferat vocationem: atqui comperire idoneum vocandum est comperire ita affectum, ut respondurus sit vocationi, si ei conferatur; ergo priùs DEUS comperit idoneitatem, & scit, quòd si vocetur, correspondebit, quàm absolute conferat vocationem.

669. Quapropter summa totius nostri argumenti ex Augustino hæc est: Deus ad decretum prædestinationis, & collationis auxilii dirigitur à scientia conditionata de consensu futuro: sed non dirigitur à scientia fundata in decreto conditionato de tali bona operatione, & consensu; quandoquidem ex Augustino illa scientia præcedit actuale decretum: ergo dirigitur à scientia conditionata non fundata in decreto, adeoque à scientia media. Tum etiam quia ex Augustino Dei solius miserentis est vocare hominem, quomodo aptum erat ei, ut sequeretur, vel vocare hominem, quomodo scit ei congruere, ne vocantem respuat. Atqui vocare hominem eo modo, qui prævidetur aptum, & congruus, ne vocantem respuat, est vocare hominem se dirigendo ab illa scientia conditionata, ut ex terminis patet; ergo DEUS vocat hominem, cujus miseretur, directus à scientia media, seu conditionata de hominis correspondentia, si ita vocetur.

670. Eandem prorsus præcedentiam, seu directionem tradunt aperte Prosper variis in locis, Ambrosius, Bernhardus, alique aquòd Ruiz diff. 66. ferè per totam, quos inter Chrysostomus tom. 33. in Matth. dicit: quòd Matthæus & Paulus vocati fuerunt eo tempore, quò Deus præsciebat eos vocationi obtemperaturos. Et hom. 67. ait: Paulum non fuisse antea vocatum; quia Deus præsciebat alio tempore repugnaturum: atqui non præsciebat repugnaturum ex eo, quòd talem repugnantiam decrevisset; ergo independentè à decreto cognoscit illam veritatem conditionatè futuram, adeoque per scientiam medianam. Omitto responsum aliquorum dicentium Chrysostomum ibi non scholasticè, sed concionatorie loquutum. Hæc enim responsio potius est contemnenda, quàm impugnanda.

671. Probat. 5. Ex D. Thoma, qui in cap. 8. Epistolæ ad Rom. lect. 6. ad illa verba: Quos præscivit, & prædestinavit, ita habet: Non quia omnes presitos prædestinet: sed quia eos prædestinare non poterat, nisi præsciret. Quæ verba accipit ab Anselmo idiplum supra Pauli testimonium dicente: ergo Præscientia de futuris condi-

tio-

tionatis in via D. Thomæ non fundatur, sed præcedit omne decretum efficax Dei in ordine ad tale futurum; sed ista, ut per se patet, est scientia media; ergo ex D. Thomæ Deus cognoscit futura libera conditionata per scientiam mediam. Confirm. 1. ex tertia parte q. 1. art. 3. ad 4. ubi ait: *Dicendum, quod Prædestinatio præsupponit præscientiam futurorum*: atqui prædestinatio non præsupponit decretum efficax; ergo præscientia futurorum iuxta D. Thomam non fundatur in decreto efficaci. Modò sic: scientia divina de futuris non fundata in decreto efficaci stare nequit absque scientia media, ut ex dictis latè patet, & fatentur adversarii: sed talis scientia admittitur à D. Thomæ; ergo & scientia media.

672. Confirm. 2. Ex eodem D. Thomæ *tract. de Prædestinatione cap. 1.* dicente: *Ex dictis manifestum est, quid sit præscientia, & prædestinatio, & in quo a se invicem differant; est enim scientia Dei certissima præcognitio omnium futurorum tam bonorum, quam malorum. Prædestinatio verò secundum Augustinum est Gratiæ preparatio, id est divina electio, qua elegit eos, quos voluit ante mundi constitutionem. Unde patet, quod prædestinatio non potest esse sine præscientia: sed sine prædestinatione præscientia esse potest.* Hæc D. Thomæ; ergo &c. Confirm. 3. Ex eodem D. Thomæ *in cap. 8. Epistola ad Rom. Lect. 6.* dicente: *Vocatio in prædestinatis est efficax; quia hujusmodi vocationi assentiunt.* Ergo Deus non cognoscit efficaciam vocationis, quia sit intrinsecè efficax; sed quia est extrinsecè ex conjunctione cum consensu, ergo Deus prævidet, quòd si talis vocatio detur, creatura potens cum illa dissentire, vel consentire, non dissentiet, sed consentiet; atqui ista est scientia media; ergo &c.

673. Probat. tandem argumento desumpto ex Indiarum Apostolo, ut appareat quomodo Societas JESU ab initio & semper scientiam mediam propugnaverit. Quando oramus Deum, ut nobis conferat gratiam efficacem, postulamus, ut nobis conferat gratiam sufficientem, qua prævidet nos bene uturos, si ea nobis conferatur: atqui ea prævisio cum non supponat aliquid cum recto usu nostro connexum, est scientia media; ergo &c. Minor, & consequentia tenent. Major autem patet ex S. Francisco Xaverio *lib. 5. epist. 3. missa PP. Collegii Conimbricensis in Editione Romana 1667.* ibi enim pag. 373. hæc habet: *Sed cum Deus Dominus noster det omnibus gratiam sufficientem ad sibi serviendum, abstinendumque à peccato, confidimus de divina ejus misericordia tale haud quaquam nobis ab eo auxilium negandum. At quia totum bonum, aut malum nostrum in bene, aut male utendo Dei gratia situm est, multam collocamus fiduciam primum in meritis S. Matris Ecclesie, sponsæ JESU Christi Domini nostri: deinde peculiariter in meritis omnium, qui in JESU Societate consentiunt, ac universorum utriusque sexus, quotquot iis*

*suadentibus, aut dirigentibus Deo servant: ita ut horum simul omnium amplectente nos patrocinio, suffragiisque apud Deum juvantibus, speremus nos fidei cooperatione bene usuros, offerenda nobis in tempore Dei Domini gratias; ergo &c. Videatur P. Possinus in Indice ad prædictam Epist. 3. lib. 5.*

## SECTIO II.

### Ostenditur à Ratione scientia media.

PROBAT. 1. Scientia conditionata penitentiae liberæ Tyrriorum v. g. ab ipsis simpliciter evitabilis, & impedibilis est scientia media inter naturalem, & liberam: sed talem scientiam habet Deus; ergo Deus habet scientiam mediam. Syllogismus est in Darii, adeoque consequentia est legitima. Major verò est definitio scientiæ mediæ, quæ in eo differt à scientia Thomistica, quòd ista utpote soli Deo libera, non est simpliciter evitabilis à voluntate creata. Scientia verò media, cum non sit Deo simpliciter libera, sed contingens, est simpliciter evitabilis, & impedibilis à voluntate creata. Unde ad ostendendam veritatem hujus syllogismi solum restat probanda minor, quæ ita probatur. Scientia verè affirmans penitentiam Tyrriorum impediretur, & evitaretur, si daretur omisso penitentiae Tyrriorum; atqui à Tyrriis posset simpliciter poni omisso penitentiae; ergo &c. Consequentia tenet, & major patet, quia si omitteretur penitentia Tyrriorum, non posset dari scientia verè affirmans eam non fore omittendam, sed ponendam. Minor verò est de fide, quia Tyrrii forent liberi ad ponendam, vel non ponendam penitentiam: adeoque poterant pro suo libito illam omittere; ergo à Tyrriis posset simpliciter poni omisso penitentiae. Hoc argumentum adeò mihi efficax est, ut insolubile appareat.

PROBAT. 2. In Deo datur scientia contingentium conditionerum independens in existendo à decreto actuali Dei: atqui ea est scientia media; ergo in DEO datur scientia media. Consequentia tenet, & minor est certa. Major verò probatur. Si contingentia conditionata sint conditionatè enunciabilia independentè ab illo decreto actuali, divinus intellectus debet habere scientiam enunciativam illorum: aliter non esset informatus in cognoscendo, cum esset aliquid verè cognoscibile, & enunciabile, quod à divino intellectu non cognosceretur: atqui independentè ab actuali decreto, sunt verè enunciabilia; ergo &c. Probat. min. Eo ipso contingentia sunt verè conditionatè enunciabilia, si revera existerent posita conditione: sed ut re ipsa existerent posita conditione, non requiritur ullum decretum actuale; ergo &c.

Major est certa; nam objectum esse conditionatè enunciabile, nihil aliud est, quam cognoscere, quòd existeret, si conditio poneretur; si autem

autem re ipsa existeret facta hypothefi de conditione polita, ex terminis notum est, quòd existeret, si conditio poneretur; Unde ut contingentia sine verè enunciabilia, nihil aliud requiritur, nisi quòd ponenda sit, si conditio apponatur. Min. verò, in qua est difficultas, probatur. Ut sit verum, quòd futura existerent, si poneretur conditio, satis est, quòd, si poneretur conditio, ea revera existerent; atqui ut revera existerent, si poneretur conditio, non est necesse, quòd conditio apponatur, sed quòd apponeretur; ergo non est necesse, quòd detur decretum, sed quòd daretur. Vide à n. 455.

677. *Confirm. 1. Ex D. Thoma 2. contra Gentes cap. 21. num. 3. ubi ait: Effectus suis causis proportionaliter respondent, ut scilicet effectus in actu causis actualibus attribuamus: & effectus in potentia causis, que sunt in potentia.* Modò sic: effectus exigit causam titulo habendi existentiam acceptam ab illa: adeòque juxta proportionem, & mensuram, juxta quam habet existentiam, petit existentiam causæ: ergo si non habet existentiam absolutam, sed conditionatam, non exigit existentem absolute causam, sed conditionatè: adeòque ut objecta sine contingentia conditionatè, non requiritur decretum Dei absolutum, sed satis est conditionatum.

678. *Confirm. 2. Ut effectus existat nunc, non requirit causam existentem ante, nec post, nisi de ratione causæ sit semper existere, quòd quidem ad exigentiam causæ spectat, non ad exigentiam effectus, satis enim est ipsi effectui causa existens nunc: ergo ut effectus existeret, si poneretur causa, non requiritur, quòd causa sit, sed quòd esset.* *Confirm. 3. Non minus pender penitentia conditionata Tyrionum à voluntate Tyrionum, quàm à decreto Dei: atqui ut sit conditionatè futura, non requiritur, quòd de præsentì existat voluntas Tyrionum, sed sufficit, quòd existeret tunc, quando poneretur penitentia; ergo idem de decreto. Nec valet effugium paritate futuri absoluti, quòd arguit decretum actuale; nam tale decretum non datur nunc ex necessitate futuri, sed ex necessitate Dei non potentis habere decretum in tempore, quòd non habuerit ab æterno, ut constat à n. 455.*

679. *Probat. 3. Ut objectum affirmetur à scientia, non requirit aliam, aut majorem existentiam, quàm illam, quæ de objecto affirmatur ab ipsa scientia: atqui futurum contingens, de quo loquimur, est objectum, de quo scientia media affirmat, non quòd existat, sed quòd existeret: ergo ut futurum contingens, de quo loquimur, terminet scientiam mediam, non requiritur, quòd existat, sed quòd existeret.* Syllogismus est in Ferio, & præmissæ veræ. Major enim ex terminis patet, & ab inductione sit evidens. Etenim ut sit verus actus affirmans Adamum existisse, non requiritur, quòd Adam nunc existat, vel quòd existerit. Pariter ut sit verus actus affirmans, Petrum nunc existere, non requiritur, quòd antea extiterit, vel quòd postea extiturus sit, sed sat est, quòd Petrus modò existat. Tum ut actus affirmans Anti-Christum extitutum sit verus, non requiritur, quòd Anti-Christus existat modò, sed sat est, quòd postea existat.

re, non requiritur, quòd antea extiterit, vel quòd postea extiturus sit, sed sat est, quòd Petrus modò existat. Tum ut actus affirmans Anti-Christum extitutum sit verus, non requiritur, quòd Anti-Christus existat modò, sed sat est, quòd postea existat.

680. Exinde ut sit verus actus affirmans, quòd penitentia existeret, si darentur istæ causæ, non requiritur, quòd modò detur penitentia, neque quòd dentur causæ, sed sat est, quòd daretur penitentia, si darentur istæ causæ: Quamobrem major propositio apppositi syllogismi est evidens. Minor etiam certa, cum sit definitio scientiæ mediæ, de qua loquimur, hæc enim non exigit objectum per statum, sed per alienationem de futuro conditionato. etenim sicuti quando causæ revera ponuntur, & ex illis prodit effectus, est verum dicere: ex istis causis positis in his circumstantiis prodit iste effectus: ita etiam antequam causæ ponerentur, esset verum dicere: si ponantur istæ causæ in istis circumstantiis, poneretur iste effectus. Unde minor illius syllogismi est etiam evidens: atqui in syllogismo rectè disposito in modo, & figura, ex veritate præmissarum sequitur veritas conclusionis; ergo &c.

681. *Probat. 4. Deus ante decretum creandi homines, & angelos habuit scientiam conditionatam peccati futuri sub conditione creationis, & ante decretum conservandi justos in hac vita habuit scientiam conditionatam peccati futuri sub conditione longioris vitæ, quæ scientiæ negare non possumus, nisi perversissimè, & insanissimè, ut habet Augustinus tom. 7. lib. de Corrupt. & Gratia c. 8. dicens: Respondeant, si possunt, ut illos Deus, cum fideliter, & piè viverent, non tunc de vitæ hujus periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum, & ne si elio deciperet animas eorum: utrum hoc in potestate non habuit; an eorum mala futura nescivit? nempe nihil horum, nisi perversissimè, atque insanissimè dicitur.* Modò sic: atqui si talis scientia esset fundata in decreto subjective absoluto, & objective conditionato, & non esset scientia media futuri conditionati in se ipso, posset prudenter absque perversitate, & insaniam negari: ergo talis scientia juxta Augustini doctrinam est scientia media.

682. *Probat. minor ad hominem: quia prudenter possunt negari talia decreta objective conditionata, quæ plures Thomistæ negant, saltè circa effectus non absolute futuros, ut negat Alvarez lib. 7. de Auxiliis n. 37. Gonzalez disp. 44. sect. 3. num. 38. Nazarius 1. Part. quest. 14. artic. 13. contrav. 1. §. 3. pluresque alii cum ipsis, & quòd otiosa, & ridicula essent talia decreta in ordine ad effectus hominum, & angelorum merè possibilem, cum nullius sint utilitatis; ergo &c. Nec valet dicere Augustinum solum loqui de scientia absoluta, & non de conditionata; quia Augustinus de illa scientia loquebatur, cum qua poterat D E U S componere non con-*

fervare justos in hac vita: atqui cum scientia absoluta peccati non poterat componere non conservare illos in hac vita; ergo loquebatur de scientia conditionata.

683. Probat. 5. Independentem ab actuali decreto Dei est verum dicere, quod voluntas Tyrionum, & quavis alia voluntas hominis merè possibilis, si crearetur, & daretur ei libertas, eliceret unam partem contradictionis determinatè præ alio, nempe consensum præ dissentiu, vel e contra: evidens namq; est, non posse duo contradictoria simul esse, neq; simul deficere, sed deficere unum, quando ponitur alterum: atqui Deus utpote infinite cognoscitivus cognoscit omne verum; ergo cognoscit, quodnam ex illis extremis apponeretur, & quodnam deficeret: atqui talis cognitio, utpote independens ab actuali Dei decreto, est scientia media; ergo circa futura contingentia conditionata Deus habet scientiam mediam. Confirm. Posita prædicatione Christi, & integra libertate Tyrionum, est impossibilis conjunctio penitentiae, & non penitentiae illorum: deinde est impossibilis simultanea deficientia penitentiae, & non penitentiae; ergo independentem ab actuali decreto Thomistico est verum conditionatum, quod si Tyrii prædicetur, & detur libertas, agent determinatè penitentiam, vel non agent; ergo Deus, qui nihil potest ignorare, cognosceret, quodnam è duobus sit verum, nimirum vel quod agent, vel non agent penitentiam, si ponatur ea conditio: atqui talis divina cognitio est scientia media; ergo &c.

684. Probat. 6. Conclusio à posteriori. DEUS cognoscit futura contingentia conditionata, ut adversarii fateantur, & constat à num. 554. ea autem solum potest cognoscere vel in suo decreto efficaci per scientiam ipsi liberam; vel in se ipsis per scientiam mediam, ut & ipsi adversarii docent: atqui Deus non potest ea cognoscere in decreto suo prædeterminante efficaci; ergo cognoscit illa per scientiam mediam. Probat. min. Si Deus ea cognosceret in tali decreto efficaci, corrueret omnino humana libertas, ut constat à num. 457. Rursus Deus esset causa peccati, ut constat à n. 588. Insuper creaturæ nequaquam possent à DEO comparativè reprehendi, & Dei sanctitas macularetur, quæ esset causa peccati, ut latè constat à n. 585. ergo &c. Omitto alia, quæ facile inferuntur ex dictis.

### SECTIO III.

*Solvuntur opposita ab Auctoritate.*

685. Objic. 1. Auctoritas Scripturæ, in qua dantur plures promissiones de rebus conditionatè futuris nunquam implendis. Sic 4. Reg.

13. Elisæus dixit ad Joam Regem Israël: *Si percussisses terram quinquies, aut sexies, sive septies, percussisses Syriam usque ad consummationem.* Modò sic: Scientia hujus futuri conditionati, nempe consummationis Syriæ non fundatur in aliqua conducentia, & connexione antecedentis cum consequente, cum conditio sit disparata; ergo fundatur in decreto actuali objectivè conditionato, quo Deus decrevit destruere Syriam sub conditione, quod Joas toties percussisset terram. Resp. Conc. ant. & conseq. sed quid inde contra nos? Nos enim non negamus plura decreta objectivè conditionata, juxta illud Ps. 131. *Juravit Dominus David veritatem, & non frustrabitur eam, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam, si custodierint filii tui testamentum meum.*

Sic DEUS habet decretum dandi gloriam homini, si moriatur in gratia. In his enim decretis Deus per scientiam liberam, & non per mediam cognoscit talia futura conditionata, ut dixi num. 547. Cæterum, hæc quid ad præsentem controversiam conducunt, in qua quærimus de scientia actuum nostrorum liberorum à nobis liberè pendentium, qui in causis liberis cognosci non possunt, sed in se ipsis, ut constat à num. 467. & 470. Aliter autem res se habet in illa promissione facta Regi Israël, qua solum decrevit Deus effectum à solo Deo pendentem casu quo Joas terram percussisset. Hunc autem effectum cognoscit Deus in decreto suo, cum ipse in illa suppositione percussione terræ, se obligaverit ad devastandam Syriam.

Objic. 2. Varia Augustini testimonia: præcipuum defumitur ex lib. de Prædeterminatione Sanctorum cap. 10. ubi ait: *Prædeterminatione quippe Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse factururus.* Et paulopost: *Quando promissit Abrahæ gentium fidem, non de nostra voluntatis potestate, sed de sua prædeterminatione promissit: Promissit enim, quod ipse factururus erat, non quod hominis.* Modò sic: Deus in sua prædeterminatione, & decreto efficaci prævidit nostros actus liberos; ergo divina scientia de nostris actibus liberis fundatur in decreto efficaci. Confirmat. quidquid Deus promittit, non de nostra potestate, sed de sua prædeterminatione promittit: atqui promittit nobis actus liberos, v. g. gentium fidem Abrahæ; ergo promittit actus liberos de sua prædeterminatione, ac proinde cognoscit in prædeterminatione, seu decreto efficaci. Resp. Concesso testimonio Augustini dist. ant. subjunctum: in decreto efficaci prævidit nostros actus liberos absolute futuros ex speciali sua benevolentia conc. conditionatè futuros, vel absque speciali benevolentia negant. & in eodem sensu consequentiam. Ratio est, quia Augustinus non loquitur ibi de futuris conditionatis, sed de absolutis, ut constat ex illius verbis: *Promissit enim, quod ipse factururus fuerat.*

Quintus

687. Quinimò prædestinatio ut supponat providentiam ex dictis à num. 663. à qua dependet, supponit futuritionem conditionatam nobis liberam, & scientiam mediam à nobis impedibilem. Unde illa prædestinatio est à nobis impedibilis: atque adeò non est decretum Thomisticum à solo DEO impedibile. Qua de causa præscientia potest esse sine prædestinatione: secus e contra. Quod satis declarat Augustinus eodem capite, dicens: *Prædestinatio est, quæ sine præscientia non potest esse, potest autem esse sine prædestinatione præscientia: præscire autem potens est etiam, quæ ipse non facit, sicut quacunquæ peccata.* Unde DEUS cognoscit futura absoluta prædestinatorum, & in se ipsis, & in suo decreto prædestinativo, adeoque in decreto à prædestinatis impedibili, & conjungibili cum evitabilitate, quo liberatas creatura salvatur, ut dicemus agentes de prædestinatione. Sic dixit Augustinus *Propos. 55. super Epistolam ad Rom.* Nec prædestinavit aliquem, nisi quem præscivit crediturum, & sequuturum esse vocationem suam. Exinde scientia media præcedens prædestinationem, & decretum efficax, nequaquam potest in eo fundari.

689. Ad Confirm. dist. maj. non de nostra potestate sine gratia DEI conc. simul cum gratia neg. maj. & dist. min. Promittit nobis actus liberos, quos per scientiam mediam prævidit futuros, si poneretur conditio conc. quos non prævidit, neg. min. & consequentiam. Unde illa promissio efficax componibilis cum evitabilitate & fundata in scientia media à nobis impedibili impedibilis profus est. Itaque Deus solum promittit nobis nostros actus bonos, non autem malos. Unde argumentum nequaquam probat ex hoc capite contra scientiam mediam operationis pravæ. Verum ut appareat nihil adhuc probare contra scientiam mediam rectæ operationis, notare oportet, quando DEUS promittit Abrahamæ fidem gentium, in actu secundo duo promississe. Primum est, præparare auxilia, quibus certò prævidit crediturum prælucente scientia media: & hoc solum DEUS facit: cum ille solus conferat libertatem. Secundum, quod promissit, est ipsum actum fidei in actu secundo dare: & hunc actum nec solus DEUS, nec solus homo facit: sed homo cum DEO, ejusque gratia, ita ut homo determinativè concurrat, & DEUS effectivè; simulque elevans mediis auxiliis gratiæ prævisis per scientiam mediam efficacibus. Quod adeò clarè habet Augustinus, ut mirum sit, quòd adversarii dubitent. Docet enim Deum, qui fecit nos sine nobis, non justificare nos sine nobis. Sic *tom. 10. serm. 15. de verbis Apostoli: Qui ergo fecit te sine te, non te justificat sine te: ergo fecit nescientem, justificat volentem.* Quibus verbis utitur D. Thomas *Opusc. 63. c. 1. prope finem addens: Consensum libera voluntatis exiit.*

R. P. Gorman Theolog. Tom. I.

Exinde apparet manifestè ratio, ob quam ait Augustinus, Deum promittere fidem Abrahamæ de sua prædestinatione; quia neque Abraham, neque nos habemus sufficientes vires à nobis, sed Deus eas nobis confert, quas per scientiam mediã efficaces prævidit, si conferrentur; ex quo magis roboratur, quàm infirmetur nostra doctrina. Cæterum quamvis creatura & Deus simul concurrant ad actum bonum, creatura concurrat formaliter determinativè, secus autem Deus. Ad eum modum, quo voluntas instructa habitu charitatis ad eliciendum actum, non producit actum se sola, sed simul cum habitu: nihilominus non determinat formaliter habitus, sed voluntas. Cum non constituitur habitus liber ad eliciendum, vel non eliciendum actum, sed voluntas. Pariter in nostro casu: quando DEUS constituit nos liberos, ut simul cum ipso pro libito nostro eligamus. vel non eligamus.

Objic. 3. Ex eodem libro Augustini cap. 9. ubi incipit respondere Semipelagianis, qui ex eodem volebant probare scientiam mediam, eo quòd Augustinus dixisset in lib. 6. quæst. contra Pelagianos *Tunc voluisse apparere Christum, quando sciebat, & ubi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri.* Cui objectioni responderet S. Doctor: Hoc intelligendum esse sine præjudicio latentis iudicii DEI, aliarumque causarum; ergo Augustinus non admittit scientiam conditionatam independentem à decreto actuali. Resp. Conc. ant. & neg. consequ. quinimò in ipsis testimoniis admittit Augustinus scientiam mediam: loquitur enim ibi Augustinus de Fide absolute futura, & meritoria, quæ transivit ad absolutam per divinam prædefinitionem dependentem à scientia media, qua voluit dare principia proxima intrinsicè indifferentia ad utrumque ut per scientiam mediam prævisa conjungenda cum actu bono, de quibus ibi Augustinus non disputabat, sed supponebat.

Sic enim concludit præcitatum caput Augustinus. *Proinde quòd dixi tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos predicare doctrinam suam, quando sciebat, & ubi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri, posset etiam sic dici: Tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos predicari doctrinam suam, quando sciebat, & ubi sciebat esse, qui electi fuerant in ipso ante mundi constitutionem. Sed quoniam, si ita diceretur, Lectorem faceret intentum ad ea requirenda, quæ nunc ex admonitione Pelagiani erroris necesse est copiosius, & laboriosius disputari, visum mihi est, quòd tunc satis erat, breviter esse dicendum, excepta, ut dixi, altitudine sapientie, & scientia DEI, & sine præjudicio aliarum causarum, de quibus non tunc, sed aliat oportuniùs disputandum putavi. Quid autem alias dixerit Augustinus, & quomodo scientiam mediam defenderit, satis constat ex sæpè dictis præcipuè à numero 963.*

Reliqua autem argumenta, quæ ex scriptura, Augustino, & Thoma, aliisque Patribus objici possent, latè suprâ & proposita, & soluta sunt.

693. Objic. 4. Scientia mediæ secum affert apertum errorem Pelagianismi; ergo &c. ant. prob. Doctrina scientiæ mediæ inducit objectum saltem pro statu conditionato independens à prædestinatione, à gratia efficaci, & à concursu Dei: sed hæc independentia est apertè Pelagiana; ergo &c. Confirm. 1. Deus quasi expectat determinationem creaturæ in schola scientiæ mediæ, ut concurrat, & cooperetur; ergo illa determinatio antecedit concursum Dei, ejusque gratiam, & decreta. Sed illa determinatio est tota libertas, & origo laudis, & meriti, ergo tota origo laudis, & meriti in via scientiæ mediæ est independens à gratiâ, decretis, & concursu D E I, quod apertè est Pelagianum. Confirm. 2. Postrema controversia Augustini cum Pelagio stetit in eo, quod Pelagius negabat gratiam prædeterminantem ex timore libertatis everte: sed eandem negat schola scientiæ mediæ; ergo &c. Majorem probant recentiores Thomistæ distinguentes, ut distinguit Jansenius, tres status in hæresi Pelagiana. Primum, in quo Pelagius negavit omne genus gratiæ. Secundum, in quo negavit gratiam dantem posse. Tertium, in quo convictus ab Augustino admisit aliquam gratiam dantem posse: negavit autem gratiam dantem actu velle, & in hoc postremo articulo stetit demum tota controversia Augustini cum Pelagio negante talem gratiam utpote inductivam fatalis necessitatis, everisivam libertatis, & evacuativam laudis, & meriti, ut constat ex ipso Augustino toto libro primo de gratia Christi, atqui gratia non solum dans posse, sed etiam actu velle, non est intrinsecè indifferens, sed prædeterminans; ergo &c.

694. Resp. N. ant. ad prob. N. maj. quæ ex sola impostura, vel impenetratione doctrinæ nostræ assumi potest ab adversariis; cum objectum scientiæ mediæ de opere salutari nec sit, nec videatur à Deo independens à decretis divinis, ab ejus gratia, & à divino concursu. Ratio est, quia objectum scientiæ mediæ est idem atque objectum scientiæ visionis, ut diximus à n. 509. Illud enim objectum, quod modo ponitur positum istis causis, est, quod prævidebatur ponendum, si ponerentur causæ: cum autem non prævideatur ponendum sine decretis divinis, sine gratia, sine Dei concursu, exinde objectum scientiæ mediæ ab his omnibus pendet: eaque præsupponit ex parte hypothesis tanquam conditionem, sub qua prævidetur eventus. Non autem præsupponit prædestinationem, cum hæc subsequatur scientiam mediam, ut ex scriptura, Augustino, & Patribus probavimus à n. 659.

695. Exinde ad primam confirmationem neg. ant. Nam expectare concursum creaturæ, ut detur concursus Dei, significat concursum creaturæ realiter distinctum à concursu Dei: cum

autem concursus Dei, ac creaturæ idem ipsissimus sit, locum non habet in sensu argumenti ea expectatio. Solum enim dici potest latè expectare, quatenus significat eundem indivisibilem concursum procedere à creatura, & à Deo, sed ita ut procedat à creatura liberè determinante, & non ita à Deo, ut diximus num. 690. Quod nullum est absurdum: imò est doctrina omnium SS. PP. cum Augustino, & Thoma. Audiatur Augustinus *lib. de Spiritu & Litt. qui est contra Pelagium c. 34.* ubi ait: *Misericordia Dei prævenit nos: consentire autem vocatori Dei, vel ab ea dissentire nostra voluntatis est.* Audiatur D. Thomas 1. P. q. 62. art. 3. ad 2. dicens: *Inclinatio gratiæ non imponit necessitatem, sed habens gratiam potest ea non uti.* Quodlib. 1. art. 7. ad 2. sic *Deus movet mentem humanam ad bonum, quod tamen potest huic motioni resistere. In secundum dist. 39. q. 1. art. 1. in corp. Ipsa enim potentia voluntatis, quantum in se est, indifferens est ad plura; sed quod determinate excitat in hunc actum, vel illum, non est ab alio determinante, sed ab ipsa voluntate.*

Nec refert, quod moderni Thomistæ dicant apud D. Thomam non haberi ab alio determinante, sed ab alio determinate, quæ, ut ajunt, valde diversa sunt. Legant precor Editionem Parisiensem anni 1659. recognitam à Magistro Joan. Nicol. Dominicano, & Doctore Sorbonico, & invenient verba, ut à nobis relata. Tum etiam ibid. art. 2. in corp. *Homo habet dominium sui actus secundum illam potentiam, quæ ad plura se habet, nec ad aliquid eorum determinatur nisi ex se ipsa, quod tantum voluntati competit.* Et tandem, ut alia omitam, in cap. 8. *Epist. ad Rom. lect. 6. Vocatio in prædestinatis est efficax; quia hujusmodi vocationi assentiunt.* Quibus in locis Augustinus & Thomas rationem determinandi tribuunt voluntati, & ex eo defendunt gratiam esse efficacem. Unde valde alienum est à mente SS. Doctorum tribuere formalem rationem determinandi, & efficaciam intrinsecam gratiæ.

Ad secundam confirmationem neg. maj. ad probationem neg. maj. Qua permilla adhuc est falsa minor; cum gratia efficax, quæ dar actu velle, non sit intrinsecè, sed extrinsecè efficax, ut cum Augustino & Thoma diximus n. superiori. Est enim extrinsecè efficax, quia confertur prælucente scientia mediæ, qua DEUS cognoscit eam conjungendam cum consensu. Cæterum error Pelagii non fuit talis, qualis ab adversariis exponitur: etenim, ut latè habet Ex. Doct. *Prolog. 5. de Grat. & Martinonis in Anti-Jansenio*, Pelagianus error quoad punctum de Gratia in eo situs fuit, quod semper negaverit internam supernaturalem Gratiam, tam ad simpliciter posse, quam ad actum, censens impossibilem esse cum libertate: ut autem errorem suum palliaret, primò admisit aliquam gratiam, sed extrinsecam, consistentem

tem in lege, & in doctrina. Secundò, redargutus vilis est admittere internam, ac non ad actum, neque ad simpliciter posse, sed ad facilius posse. Terriò, iterum redargutus dixit requiri Gratiã, sed indistinctam à libero arbitrio. Quod naturæ arbitrium vocabatur gratiam Dei.

698. Quartò demum negavit Pelagius gratiam dantem ipsum velle, & ipsum actum, contra quam ultimam partem insurrexit Augustinus contendens negari non posse gratiam efficacem, qua Deus nos ad se traheret; & quæ plerumque facit, ut velimus, & faciamus. Verum quòd ista efficacia prædeterminativa foret, tam longè fuit à mente Augustini, ut semper recurreret ad usum nostræ scientiæ mediæ, cum semper passus fuerit posse nos dissentire, & resistere gratiæ, qua Deus nos trahit, & qua facit, ut velimus, ut constat ex n. 695. Quomodo ergo assertur contra nos error Pelagii ex doctrina Augustini? Videatur Exim. Doct. in *Opusculis* l. 2. de *Scientia condit. futurorum* c. 1. n. 12. probans Deum ex scientia mediâ dirigi ad actiones nostras liberâs, quas ipse revelat à nobis faciendas ex illo Dei ad Moysen *Exod. 4.* *Si non audient sermonem signi prioris, credent verbo signi sequentis. Quod si nec duobus his signis crediderint, credent veritio.* Cum enim Deus eventum non ignoraverit, legitimus eorum verborum sensus est, quosdam fuisse credituros in primo signo, & non alios; deinde alios fuisse credituros in secundo, & tandem omnes in tertio signo. Unde præviderat Deus per scientiam mediâ, quid foret eventurum, si ea signa apponerentur.

699. Objic. 3. Instando simul solutionem. Pelagius timuit jacturam libertatis nostræ à necessitate gratiæ dantis posse: sed si esset intrinsecè indifferens, hoc non timeret; ergo ex mente Augustini Gratia dantis posse est intrinsecè efficax. Respond. Conced. maj. & neg. min. quia ex eo, quòd liberum arbitrium egeret gratia, docebat Pelagius non posse obligari ad id, ad quod ex se sufficiens non est; adeoque ex se vel non habere libertatem, vel gratiam necessariam non esse, ut liberum arbitrium possit elicere actum salutarem; Hic enim erat vanus Pelagii timor, ut statim videbimus. Dicere autem, quòd gratia intrinsecè efficax necessaria sit ad posse, videtur clarè militare contra Tridentinum *sess. 6. can. 4.* ubi docet: *Liberum hominis arbitrium à DEO motum, & excitatum posse dissentire, si velit.* Vide à num. 621. Quòd autem timeret Pelagius, quid mirum? quandoquidem recentiores Thomistæ ex directione scientiæ mediæ timebant etiam everisionem libertatis.

700. Cæterum, ut doctrina nostra evidentiùs appareat, scire oportet, quomodo vanis Pelagii timoribus occurrerit Augustinus. Timuit Pelagius jacturam libertatis nostræ ex necessitate gratiæ dantis posse ob rationem datam

num. superiori. Cui timori occurrat Augustinus per assentiam Gratiæ Dei stantis ad ostium cordis, & pullantis. Quomodo etiam occurrit Concilium Senonense citat. num. 628. Necessitas autem, & indigentia adjutorii parati semper, & assentis non excusat. Secundò timuit Pelagius jacturam libertatis à Gratia dante ipsum velle, cui errori occurrat Augustinus factò recursum ad Dei providentis favorem, ut habet *rom. 4. lib. 1. ad Simpl. quest. 2.* *Cujus miscretur DEUS, sic eum vocat, quomodo fecit ei congruere, ut vocantem non respuat.* Ecce sententiam nostram. Etenim DEUM vocare, & obtinere libertatis nostræ consensum per ea mediâ, quæ cognoverat conjungenda cum consensu, si darentur, nequaquam obest libertati. Unde vanissimus prorsus erat iste Pelagii timor; sicuti item vanissimus est idem timor, quem habent alii impugnatores scientiæ mediæ.

701. Objic. 6. Semipelagianii ut errorem suum protegerent, recurrerant ad scientiam mediâ, ut constat ex Augustino impugnante illos, quia docebant ex meritis conditionatè prævisis dirigi DEUM: ergo doctrina scientiæ mediæ excusari saltem non potest à Semipelagianismo. Confirm. 1. Juxta doctrinam scientiæ mediæ DEUS neque ad gratiam, neque ad gloriam prædestinat quemquam nisi prævisis saltem conditionatè meritis: sed iste fuit error Semipelagianorum impugnatus ab Augustino; ergo &c. Confirm. 2. Juxta doctrinam scientiæ mediæ ante divinum decretum cognoscit DEUS quid in hac, vel illa hypothesi faceret voluntas, an salutariter operaretur, nec ne: sed hoc est cognoscere, quid faceret sine gratia, cum ante omne divinum decretum gratia non conferatur, in quo stabat error Semipelagianorum; ergo &c. Conf. 3. Semipelagianii contenti erant gratia tantum indifferenti illuminationis, & affectionis etiam ad incipiendum: sed id ipsum docet schola scientiæ mediæ; ergo &c. Argumentum hoc; quòd latè prosequuntur Joannes à S. Thoma, & Gonetius, in magna æquivocatione, ne dicam, hallucinatione fundatur; ex impenetrato Semipelagianorum errore. Quapropter

702. Resp. dist. ant. recurrerant ad scientiam mediâ quoad rectum ejus usum neg. quoad ablitum conc. ant. & neg. conseq. Ratio est, quia Semipelagianismus duobus præsertim erroribus continebatur. Primus erat: omnia opera bona licet ab obtinendam gloriam consumanda, & perficienda forent per gratiam, in quo à Pelagio recedebant, attrahentur inicitium sumere à natura suis viribus relicta; adeoque & sine gratia conantes, pullante, petente, & merente gratiam. Secundus erat: Per opera bona incepta ex solis naturæ viribus conditionatè prævisis, & faciendâ, si viverent à parvulis, cui capiuntur eos mere i

gratiam Baptismi, & per familia demerita facienda, si viverent, conditionatè prævisa eos demereri Baptismi gratiam, quando sine Baptismo moriuntur. Hi sunt cardines duo, supra quos tota Semipelagianismi Machina fundabatur. Quid autem simile in schola nostra, omnino contraria docente? adversarij quippe, ne doctrinæ, quam impugnant, ignorantiam ostendant, deberent prius hæc intelligere.

703. Docet enim schola nostra primò: Opera salutaria neque esse à sola gratia, neque à sola natura, sed à gratia simul, & natura: ab ista ut elevata & adjuvata per gratiam, & à gratia ut adjuvante, & elevante naturam, juxta doctrinam Concilij Tridentini citati n. 621. Docet secundò: opera purè conditionata non esse titulum meritorium ad remunerationem, neque demeritorium ad pœnam, ut constat num. 556. Unde patet, quàm ingens sit argumenti calumnia, & quàm verum sit illud Amiani dictum lib. 18. *Quis innocens esse poterit, si accusare sufficiat?* Meminisse etiam debebant adversarij, quid ipsi respondeant, ut in defendenda præmotione non censeantur adherere Luthero, & Calvino. Alvarez enim *disp. 22. de auxiliis n. 30.* ait: Responderetur Lutheranos, & Calvinistas non ex eo errasse, quia dixerunt voluntatem nostram physica quadam efficacitate à Deo prædeterminari. Debent etiam ob reverentiam S. Sedis præ oculis habere Bullam Innocentij X. & Alexandri VII. qui damnarunt hanc quartam propositionem Janfenij: *Semipelagianii admittebant preventis gratiis interioris necessitate ad singulos actus etiam fidei: & in hoc erant Heretici, quod vellent eam gratiam talem esse, ut possit voluntas humana resistere, vel obtemperare.* Exinde

704. Ad primam confirmationem conc. maj. & nego min. Quia talia merita conditionatè prævisa, neque videntur solis naturæ viribus incepta, neque prout purè conditionata digna præmio, aut pœna; sed prælucente scientia media decernit Deus dare pro libito suo comprincipia, ut merita absolutè ponantur, & præmium mereantur. Quæ si nunquam absolutè ponentur, nunquam mereantur. Quantum autem hoc distet à Semipelagianismo, nemo est, qui non videat, nisi qui non vult intelligere, ut bene agat. Ad secundam confirmationem dist. maj. ante divinum decretum, quòd sit conc. quòd foret neg. maj. min. & conc. Ratio est, quia per scientiam mediam videt Deus, quòd hæc opera salutaria ponerentur, si poneretur voluntas proximè libera, & constituta: cum autem constitutio libera ad ea opera includat decretum indifferens collativum axilij gratiæ, & auxilium gratiæ indifferens, non videt Deus per scientiam mediam ea opera ponenda sine decreto, & gratia Dei. Ad tertiam confirmationem neg. maj. Semipelagianorum quidem error valde diversus erat, ut constat ex n. 702. Quinimo docere eos fuisse hæreticos, quia admittebant gratiam, cui posset voluntas huma-

na resistere, damnatum jam est ab Innoc. X. Alex. VII. ut constat ex n. superiori.

### SECTIO IV.

*Solvuntur opposita à ratione.*

705. Objic. 1. ex Alfonso, & alijs Thomistis, difficultatem, quam ipse vocat insuperabilem, eamque ad hanc interrogationem reducit. Cur Deus cognoscat hanc partem contradictionis futuram, v. g. consensum posita conditione, potius quàm aliam, scilicet dissensum? debemus enim ad hanc interrogationem respondere: sed sine recursum ad decreta prædeterminantia responderi non potest; ergo &c. Huic insuperabili difficultati respondeo facillimè neg. min. ex eo enim prævidet Deus voluntatem consensuram potius, quàm dissensuram, quia voluntas, si purificetur conditio, consentiet potius, quàm dissentiet. Nec hujus veritatis alia est assignabilis ratio; Quia causa indifferens ad consensum, & dissensum, non fit impossibilis cum dissensu ab alio determinante, sed à consensu suo, quem pro libito ponet. Quare irrationabiliter quaereretur alia causa.

Audiat Anselmus *lib. de casu diaboli c. 27.* ubi de Angelo peccante, & volendo deserente justitiam, ita discurret. *Cur deseruit eam? cum dico: quia volendo, quòd non debuit, eam deseruit, aperte ostendo, cur, & quam illam deseruit. Nam ideo illam deseruit quia voluit, quòd velle, non debuit: & hoc modo, id volendo, quòd non debuit, illam deseruit. Cur ergo voluit? non nisi quia voluit: nam hæc voluntas nullam aliam habuit causam, qua impelleretur aliquatenus, aut attraheretur.* Ex quo testimonio impugnantur efficaciter decreta Thomistica, & ostenditur veritas doctrinæ nostræ.

706. Objic. 2. ex Gonet argumentum magni ponderis, quod, ut habet P. Annatus *disp. 1. c. 2.* desumptum est à Kemnitio Calvinista, qui eo usus fuit lib. 2. c. 23. dicens, adeò clarum, & evidens esse, ut omnem humanam auctoritatè, quantacumque illa fuerit, in adversum nitentè prorsus obruat. Decretum, quòd Jesuitæ asserunt cognosci à Deo per scientiam mediam ex parte hypothesis, non cognoscitur à Deo ut merè possibile. Nam à mero possibile nequit desumi denominatio futuri, sed possibile. Deinde nec cognoscitur ut futurum, quia decreta divina non sunt futura; ergo debet cognosci ut actuale, & existens: ac proinde in illo fundabitur scientia conditionata, & sic non erit media. Respective decretum, & cætera comprincipia libertatis cognosci à Deo per scientiam mediam ex parte hypothesis non ut merè possibile, neque absolute futura, sed ut conditionatè existentia contingenter per modum conditionis hoc modo tendendi purè apprehensivo: si existat decretum, si existat auxilium. Non autem cognoscitur affirmativè per modum eventus sicuti cognoscitur effectus.

707. Cognosci enim decretum per modum conditionis, & non per modum eventus, nihil aliud est

est, quàm cognosci modo dicto, quod est cognoscere decretum tanquam id, quod si existat, dabitur consensus. Unde denominatio futuri non desinitur formaliter à decreto, sed à re, quæ postea erit, vel foret, & nunc non est. Insuper decretum divinum non est futurum sicuti eventus, nam eventus potest existere in tempore, quamvis non existat ab æterno: adeoque potest dari carentia existentiae nunc, & existentia postea. Unde potest esse futurus. At decretum divinum non potest dari in tempore, si non detur ab æterno. Unde non potest dari carentia existentiae decreti nunc, & existentia postea: adeoque divinum decretum non potest esse futurum. Quamvis enim pro nunc supponamus, quod decreta libera Dei sint virtualitates defectibiles, solum potest de illis dici, quod intelliguntur existentia pro signo sequenti, non pro præcedenti, quod satis non est ad rationem futuri. Sic apud ipsos adversarios in signo paternitatis non intelligitur filiatio divina, & tamen, quia non potest existere in tempore, quin extiterit ab æterno, ea de causa apud ipsos nequit dici futura: Pariter ergo in nostro casu. Si autem divina decreta secundum totum, quod dicunt pro forma volendi, sint omnino necessaria, solumque quoad denominationem, & applicationem creatam sint contingentia, sola applicatio creata potest dici futura: secus autem prædicatum ullum divinum. In quocunque autem ex his decreta divina consistant, verè sunt contingentia, & libera, quoad denominationem, quod satis est, ut ab ipsis rerum contingentia, & futuritio dependeat, ut per se patet. Quomodo autem Deus cognoscat sua decreta libera; aut existentia, aut ea, quæ nunquam existant, an per scientiam mediam, an per scientiam visionis, dicemus latè à n. 726.

709. **Objic. 3.** Licet res futura conditionatè tempore futuritionis non habeat actualem existentiam, imò interdum eam nunquam de facto habitura sit ob defectum conditionis, quæ nunquam purificabitur, dicit tamen ordinem ad illam habendam, si poneretur conditio: qui ordo præsens est, & non futurus tempore futuritionis: atqui hic ordo ad existentiam suam expolcit aliquam causam existentem, & præsentem, quæ non potest esse alia, quàm decretum actuale, & exercitum; ergo futura conditionata nec sunt, nec cognoscuntur talia ante decretum actuale, & exercitum. Retorqueo argumentum. Si Deus prædestinasset penitentiam Judæ, daretur penitentia Judæ, adeoque est conditionatè futura in decreto prædeterminante: atqui per vos nequit esse conditionatè futura pro signo priori ad decretum exercitum; ergo penitentia conditionata Judæ habet Dei decretum exercitum. **Resp.** deinde dist. maj. dicit tamen ordinem, sumpto ly dicit ordinem per statum neg. per alienationem conc. maj. & dist. eodem modo min. neg. consequentiam. Ratio est, quia ordo per alienationem non significat, quòd de facto detur causa, nec

quòd detur effectus, sed solum quòd, si daretur à parte rei ista causa, daretur iste effectus dicens ordinem ad illam; ut constar à n. 310.

**Objic. 4.** Voluntas creata ex se non est causa infallibilis, sed contingens, libera, & fallibilis; ergo sola voluntas sine decreto efficaci Dei nequit conjungere penitentiam conditionatam Tyrionum cum prædicatione Christi, adeoque ista nequit cognosci in se ipsa per scientiam mediam, sed per scientiam Thomisticam in decreto Thomistico. **Resp.** dist. ant. est contingens &c. antecedenter, & in actu primo conc. consequenter, & in actu secundo neg. ant. & conseq. Quia, licet in actu primo contingens, & fallibile sit, quòd voluntas libera ad consensum, & dissensum, eliciat vel consensum, vel dissensum: at ex suppositione, quòd eliciat consensum, non est contingens, sed necessarius consensus, cum non sit contingens, sed necessarium rem esse, prout est, ut cum D. Thoma diximus n. 390. Cum ergo Deus non cognoscat illum consensum in causa, sed in se ipso, exinde non cognoscit fallibilitatem, sed infallibilitatem consensum.

**Objic. 5.** Si scientia de futuris conditionatis non niteretur in decreto subjectivè absoluto, & objectivè conditionato, ideo videretur Petrus consenturus, & Paulus dissenturus, quia unus velle, & alter nolle; ergo quæstioni illi, cur unus homo habet gratiam efficacem, & non alius, satisfieri debet per velle, & nolle voluntatis; quod est contra Augustinum Epist. 15. *Reducentem ad profundam scientiam Dei, quòd unus homo habeat gratiam efficacem, & non alius.* Quod etiam asserit S. Prosper lib. 1. de *Conversione Gentium*, cap. 21. dicens: *Profunditas illius quæstionis, quam secundum Apostolum impenetrabilem confitemur, per velle, & nolle liberi arbitrii non solvitur; ergo &c.*

**Resp.** dist. ant. Ideo videretur consenturus conditionatè conc. absolute neg. ant. & conseq. Duas namque hic quæstiones confundunt adversarii valde diversas, quæ ex Augustino diversimodè solvendæ sunt. Quæstio prima est, cur ex duobus hominibus indifferenter vocatis, unus consentiat, alter verò dissentiat? & huic quæstioni ait Augustinus respondendum est, quia unus vult consentire, & alter non vult consentire. Sic *libr. 4. de Civitate DEI*, cap. 6. *Si eadem tentatione ambo tententur; & unus cedat, atque consentiat: alter idem, qui fuerat, perseverat: quid aliud apparet, nisi unum voluisse, alterum noluisse à castitate deficere?* Eodem modo Fulgentius *lib. de Prædestinatione* cap. 25. ubi postquam inter se contulit, & in pluribus comparavit Pharaonem, & Nabuchodonosorem, ita concludit. *Quare ergo fines eorum fecit esse diversos? nisi quia unus manum DEI sentiens, in recordatione propria iniquitatis ingemuit, alter verò contra misericordiosissimam DEI veritatem pugnavit arbitrio.*

Quæstio

713. Quæstio secunda est, cur Deus prævidens utrumque ex duobus hominibus pluribus auxiliis consensurum, & pluribus dissensurum, si dentur: hoc tamen non obstante, unum vocat auxilio, quo scit consensurum, relictis aliis, quibus dissentiret: alterum verò vocat auxilio, cui videt dissensurum, relictis aliis, quibus consentiret. Et huic secundæ quæstioni ait Augustinus nihil aliud posse nos respondere, nisi cum Apostolo ad Rom. 11. *O altitudo sapientie, & scientie Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius; & investigabiles via eius.* Exinde cap. 8. de dono persever. ita habet: *Cur iste vocetur, & vocationem sequatur, ille autem non vocetur, aut non ita vocetur, ut vocantem sequatur? Inscrutabilia sunt iudicia Dei.* Et lib. de Spiritu, & Litt. *Cur ille ita suadeatur, ut persuadeatur, hic autem non ita? O altitudo divitiarum sapientie, & scientie Dei.* Ex quibus ad primam quæstionem respondeo bene per velle, & nolle creaturæ. Ad secundam verò non ita, sed per velle, & nolle creatoris. Cum autem consensus absolutus utramque supponat, non satis est pro illius existentia respondere per velle, & nolle creaturæ. Vide n. 689.

714. Objic. 6. Consensus conditionatus, & absolutus est idem; ergo scientia media intrinsecè præsupponens consensum conditionatum, præsupponit etiam intrinsecè consensum absolutum; eritque intrinsecè posterior consensu absoluto. Resp. dist. ant. est idem, & eodem modo sumptus nego, & diverso modo acceptus conc. ant. & dist. consequ. erit posterior, & præsupponet intrinsecè consensum absolutum, ut absolute futurum nego, ut conditionatè futurum conc. consequ. Ratio est, quia scientia media solum affirmat consensum absolutum ut conditionatè futurum, non verò ut absolute futurum. Quare intrinsecè non pendet, nec connectitur cum illo ut absolute futuro, sed ut conditionatè futuro. Etenim scientia media ad sui veritatè solum exigit, quòd, si ponatur conditio, ponatur consensus, & non exigit, sed præscindit ab eo, quòd conditio ponatur. Posita tamen conditione scientia media latè dependet, & est posterior consensu, ut absolute futuro, saltim extrinsecè, ut dicemus agentes de Providentia.

715. Objic. 7. Scientia media est impedibilis à voluntate creata, à cuius determinatione latè dependet: sed non est impedibilis à voluntate divina, si in decreto Dei prædeterminante non funderetur. Ergo aliqua Dei scientia est impedibilis à voluntate creata; & non est impedibilis à voluntate divina in schola scientie medice, quod implicat. Hoc argumentum nullius vigoris est, si actus Dei contingentes compleantur quoad denominationem per aliquid extrinsecum. Quare supposita eorum constitutione in aliquo purè intrinsecò, & defectibili Resp. dist. maj. est impedibilis à voluntate creata simpliciter, seu essentialiter nego, secundum

quid, & solum terminativè conc. maj. & dist. eodem modo min. neg. cons. Ratio est, quia illa virtualitas scientie contingentis utpote prædicatum absolutum identificatum cum DEO non habet aliam essentiam, nisi essentiam necessariam Dei, quæ indefectibilis est. Unde licet deficeret ea virtualitas, non exinde deficeret essentia illius virtualitatis. Res autem, quæ secundum essentiam suam deficere nequit, non est defectibilis essentialiter, & simpliciter. Quamobrem solum deficeret terminatio addita virtualiter essentia, qua intellectus divinus denominatur intelligens contingentem. Cum autem denominetur intelligens, non solum quia objectum est intelligibile, in quo stat determinatio intentionalis objectiva, verum etiam, & principalius, quia ex se necessitatus est subjective ad intelligendum omne intelligibile, non solum ratione creaturæ, sed principalius ratione Dei habebitur ea scientia.

Cæterum, cum ad hoc ut aliqua res deficiat, satis sit, ut deficiat unum è duobus requisitis ad ipsam, ea de causa, ut deficiat ea terminatio Deo contingens, satis est, quòd deficiat objectiva creaturæ determinatio: hæc autem determinatio, cum à sola creatura sit impedibilis, & non à Deo, ea de causa scientia divina contingens est quoad terminationem impedibilis à creatura, & non à Deo; impedibilis quidem non per modum physici influxus, sed purè intentionalis dererminativi, aut requisiti, in quo nullareluet imperfectio, sed summa perfectio intellectus divini ex se necessitati ad cognoscendum omne cognoscibile; & omni modo, quo cognoscibile est. Quare cum actus liberi creaturæ ita cognoscibiles sint, ut, si ponatur indifferentia ad utrumque, pro solo libito creaturæ possint dari, aut impediri: scus ab alio prædeterminante, ea de causa, quòd intellectus determinatus ad eliciendam eam terminationem defectibilem impediatur ab elicienda ista præ alia, non provenit objectivè ab alio determinante, sed à sola conditionata determinatione libera voluntatis. Vide à n. seq.

Objic. 8. Si scientia media conveniret Deo ante omne decretum actuale, & exercitum, conveniret Deo casualiter, & fortuito: sed hoc repugnat; ergo &c. Confirm. si daretur scientia media, daretur aliquid contingens existens ab æterno, & independens in existendo à prævio decreto exercito Dei: sed hæc omnia repugnant; ergo & scientia media. Respond. neg. maj. quia casuale, & fortuitum est, quod advenit alicui absque actuali saltim advertentia de eo, quòd sit proxima dispositio, ut eveniat in instanti, in quo advenit; cum autem talis advertentia Deo deficere nequeat, exinde nequit esse Deo aliquid casuale, & fortuitum. Sic ægroto advertenti se esse in proximo mortis periculo, non dicitur mors illi tunc advenire casualiter, & fortuito, multòque minus si penetraret intimè causas proximè dispositas: Deus autem omnia penetrat, & comprehendit, quan-

quantum comprehensibilia sunt, quin cesset unquam ab actuali advertentia; adeoque Deo nihil potest esse fortuitum, & casuale.

718. Ad confirmationem dist. maj. daretur ali- quid contingens simpliciter, & essentialiter neg. purè terminativè, & denominativè conc. maj. & dist. min. neg. conseq. Ratio est; quia actus contingentes divini quoad denominatio- nem identificari cum Deo, non habent aliam essentiam, nisi essentiam indefectibilem Dei: sicuti divinæ personalitates productæ non ha- bent aliam essentiam, nisi essentiam Dei im- productam. Unde sicut in personalitate non producit id, quod est illi essentialè, sed id, quod illi relativum: ita in actu divini con- tingente, qui deficit, non deficit id, quod est illi essentialè, sed id, quod est illi terminati- vum, & purè denominativum. Quod autem in hoc sensu datur in Deo aliquid divinum con- tingens independens in existendo à decreto actuali libero Dei, nulla est imperfectio, sed sum- ma Dei perfectio. Sicut enim Dei perfectio est posse condere creaturas relinquendo ipsas in manu consilii sui: ita exigit earum actus præcognoscere per scientiam attempèratam ar- bitrio; & libertati, atque adeò impedibilem pro libero creaturæ, & nec determinabilem objectivè, nec impedibilem pro libero DEI; etenim ut docent SS. PP. citati num. 501: non ideo erunt nostri actus liberi, quia Deus cognos- cit; sed ideo Deus cognoscit, quia erunt.

719. Quapropter ex defectibili ad impedibile nula tenet paritas, quia defectibile solum se ex- tendit ad rem creatam, quæ ex essentiali sua limitatione, & titulo creaturæ pendet quoad actualem existentiam à libero Dei, ut constat à num. 449. At verò impedibile non solum se extendit ad rem creatam, sed etiam ad divi- nam: nimirum ad terminationes scientiæ li- beræ, & contingentis identificatas cum Deo infinitas, & illimitatas, quæ non habent de- pendentiam, sed identitatem cum Deo. Ex quo præoccupata manet instantia, quæ contra solutionem nostram confici poterat. Cæte- rum, si bene expendatur hoc argumentum, non tam militat contra scientiam mediam, quam contra constitutum actus divini con- tingentis: adeoque & adversarii totam diffi- cultatem solvere teneantur, cum schola Tho- mistica hanc sententiam de constitutivo actus divini liberi, ut probabilem, & conformem D. Thomæ defendat, eamque cum suis defendit Go- nterus disp. 3. de Libertate voluntatis Dei. Ex quo apparet ipsos adversarios non formidare pu- gnare contra se, dummodo contra nos pugnent.

720. Objic. 9. Solenne, quod vocant adversarii, contra nos argumentum. Futurum liberum conditionatum non est aliquid, sed esset: atqui quod non est aliquid, sed esset, non est, sed es- set scibile in se ipso, ergo futurum liberum con- ditionatum non scitur in se ipso per scientiam mediam, sed in decreto prædeterminante per scientiam Thomisticam. Confirm. 1. Eatenus

objectum determinat scientiam de se, quare- nus ipsum est determinatum in se: sed futurum contingens conditionatum. v. g. Conventio Tyriorum, non est determinatum in se, sed determinaretur, quando purificaretur conditio vocationis; ergo non determinat scientiam de se, sed determinaret: ac proinde pro determi- nativo supponi debet decretum. Confirm. 2. Si prædictum decretum determinat ab æter- no scientiam de se ipso, vel prædictum futurum ipsum est ab æterno in actu determinandi: ergo ab æterno est in actu, sive actuale, quod est con- tra fidem. Conf. 3. Si prædictum objectum est per se ipsum divinæ scientiæ determinativum, habet rationem determinativi sibi intrinsecam: sed quod actu non est ab æterno, nequit ab æterno habere rationem determinativi sibi intrinsecam; ergo &c.

Resp. dist. maj. non est sumpto ly est per sta- tum conc. per alienationem neg. maj. & dist. min. non est scibile per statum conc. per aliena- tionem neg. min. & cons. Ratio est, quia illud est scibile per alienationem de futuro conditio- nato, quod daretur, si apponeretur conditio: un- de ex eo, quod si apponeretur conditio, daretur talis effectus, jam talis effectus est scibilis per a- lienationem: atque adeò sufficiens determina- tivum scientiæ affirmantis solum conditionatè, sive per alienationem de futuro conditionato ta- lem effectum; ut late constat ex dictis à n. 310. Ad 1. confirmat. dist. maj. quatenus ipsum est, sumpto ly est modo, quo requiritur à scientia affirmantè conc. modo, quo non requiritur neg. maj. & dist. eodem modo min. neg. cons. Ra- tio est, quia scientia media non affirmat existi- entiam objecti per statum, sed per alienationem de futuro conditionato; non quidem inferendo, sed conditionatè asserendo: atque adeò non requirit determinativum existens per statum, sed per a- lienationem de futuro conditionato: cum au- tem quodvis objectum, quod daretur, si appo- neretur conditio, jam habeat existentiam sum- pta existentia per alienationem de futuro condi- tionato, jam habet, quicquid requiritur, ut affir- metur à scientia, eamque intensionaliter deter- minet, ut constat à n. 679.

Ad 2. confirm. dist. ant. est ab æterno sumptò ly est per statum modo, quo à scientia non requi- ritur neg. sumpto ly est per alienationem modo, quo requiritur à scientia conc. ant. & neg. cons. Unde quando dicitur, objectum esse in actu deter- minandi scientiam, ly actu solum cadit per statum ex parte scientiæ divinæ determinatæ, sive for- mæ divinæ cognoscitivæ, quæ actu, & per sta- tum affirmat ab æterno: at cum non affirmet ab æterno objectum actu existere; sed extitutum, si apponatur conditio, objectum non existit actu, sed existeret; quod satis est; ut intelle- ctus divinus summe cognoscitivus, qui cognos- cit omnem veritatem omni modo, quo affir- mabilis est, eam veritatem actu ab æterno co- gnoscat. Quamobrem, quando Deus ab æter- no affirmat futurum contingens conditiona- tum, dat ut duplex determinativum: alterum

quidem subjectivum, & existens per statum, consistens in infinita virtute intellectus divini exigentis cognoscere, quidquid cognoscibile est, & omni modo, quo cognoscibile est. Alterum verò objectivum, & existens per alienationem consistens in eo, quòd, si ponatur ista causa, ponatur istud objectum excludens ipsius contradictorium: cum autem determinativum subjectivum sit quasi conditionatum ad representandam hanc. v. g. veritatem: si in his circumstantiis conferretur hoc auxilium, Petrus consentiret: ea de causa nequit actu ab aeterno denominare nisi pro casu, quo, si apponerentur ista causa, Petrus consentiret, in quo stat, quòd determinatio conditionata creaturae dicatur, & sit intentionale determinativum talis scientiae. Ad tertiam confirmationem dist. maj. habet rationem determinativi sibi intrinsicam sumpto ly habet per statum neg. per alienationem de futuro conditionato conc. maj. & dist. min. neg. conseq. ut constat ex dictis. Quinimò si haec argumenta bene expendantur, adversarii tenentur ea solvere in libertate divina.

723. Objic. 10. Instando solutionem: essentia divina continet eminenter quemcunque effectum liberum creaturae; ergo essentia divina est determinativum scientiae mediae, secus autem operatio conditionata creaturae. Confirm. Creatura potest dissentire omnibus auxiliis, cum indifferens, & libera maneat: ergo posset impedire determinationem divinae scientiae ad omne meritum sui: sicque manere impraeditinabilis per merita, quod dici non

potest. Retorqueo argumentum: causa libera continet eminenter effectum liberum; ergo causa libera est sufficiens determinativum ad cognoscendum effectum liberum, quod est contra rationem, & contra D. Thomam, ut constat à num. 382. Resp. deinde dist. maj. continet eminenter determinatè exigendo unum effectum praeter alio neg. non exigendo conc. ant. & neg. conseq. Quia eo ipso, quòd divina continentia non exigit metaphysicè unum effectum praeter alio, neque potest esse determinativum, ut DEUS cognoscat ratione illius praecise continentiae unum effectum praeter alio.

Ad confirmationem dist. ant. potest impedire purè speculative omittit, practice neg. ant. & consequentiam. Ratio est, quia DEUS nullam producit rationalem creaturam, nisi quam pro libito suo potest ita gubernare, & disponere, ut servato jure libertatis divinae, & creaturae ex limitata creaturae massa fieri possit vas, vel ad honorem, vel ad contumeliam. Unde ad producendam practice rationale creaturam praerilluminat Deum illa divina scientia requisita quidem ex parte Dei, secus ex parte creaturae, ut constat ex dictis à num. 642. Exinde sicut, quando Deus per scientiam mediam praevidet, quòd si conferat Petro auxilium A in istis circumstantiis, dissentiet, manet ex eo extrinsecè impossibilis consensus liber pro illis circumstantiis: ita, quando videtur, quòd Petrus dissenturus esset omnibus auxiliis, maneret pro illis circumstantiis Petrus extrinsecè improducibilis. Vide late ea omnia ab eo n. 642.

## DISPUTATIO XII.

### DE SCIENTIA MEDIA REFLEXA.

725. Scientia media reflexa dicitur illa, qua Deus cognoscit, quid ipse veller, si haberet scientiam mediam directam. v. g. Dicit DEUS: si videro per scientiam mediam, quòd Petrus, si detur illi auxilium A, consentiret, dabo illi auxilium A, iste quidem actus est scientia media reflexa, cum habeat ex parte hypothesis scientiam mediam directam. Unde idem est quaerere, an DEUS habeat scientiam mediam reflexam, ac investigare, an habeat scientiam mediam circa sua decreta libera. Prima sententia negat. ita P. Molina in *Concordia Edit. Antwerp. 1595. quest. 14. artic. 13. disp. 52. §. quare fortasse aliquis. Et §. Illud hoc loco est observandum.* Elparza libr. 1. de DEO, quest. 18. ad 7. Maurus quest. 46. de Scientia media. Sfortia, Haunoldus, pluresque recentiores cum ipsis. Secunda sententia affirmat, ita Eximius Doctor libr. 2. de Scientia contingentium cap. 8. Vasquez 1. Part. disp. 67. cap. 4. Ruiz disp. 77. de Scientia DEI, ubi sect. 1. plures citat rum ex nostris, tum ex Thomistis pro ista sententia: estque apud nostros communis. Verum quia non ita facile explicatur,

oportet aliqua ad plenam decisionem praenotare.

### SECTIO I.

#### An detur in DEO scientia media suorum decretorum.

Supp. 1. Plura requiri ex parte DEI, ejusque perfectionis divinae, quae ex parte perfectionis creaturae minime requiruntur. Quae de causa se habent in signo priori ad perfectionem creaturam, non quidem in signo priori ratione exigentiae effectus creati, sed ratione exigentiae perfectionis divinae, quae nullam requirit operationem creaturae adhuc conditionatè praeviam ad illam habendam. Exemplum sit in personalitatibus divinis: etenim apud ferè omnes Theologos, & omnes scholas creatura connectitur solum cum omnipotentia, & non cum Trinitate, atque adeò omnipotentia se habet ex parte signi prioris juxta effectus exigentiam. Trinitas verò se habet ex parte signi prioris, non quidè juxta effectus exigentiam, sed juxta exigentiam divinae perfectionis. Pariter in scientia media, quam Deus habet de suis actibus liberis: haec enim scientia: si vi-

si videro per scientiam medianam, quod Petrus consentiet, si detur illi auxilium A, dabo illi auxilium A; Ista quidem cum non dependeat à libito creaturæ, utpote potens existere in Deo, sive Petrus videatur consenturus, sive dissenturus, non requiritur ex parte effectus creati. Verum cum intellectus divinus necessitatus sit ad cognoscendum, quidquid est cognoscibile ex parte suæ perfectionis divinæ, exigit illam scientiam; adeoque ista erit in signo priori ad scientiam medianam directam de consensu Petri, non quidem requisita ex parte consensu, sed ex parte perfectionis divinæ, eritque quasi posterior natura suo objecto, licet sit prior exercite.

726. Supp. 2. Signa priora, & posteriora requisita ex parte effectus ab illius exigentia, & natura, esse deducenda. Nam prælucente scientia media de consensu Petri sub conditione collationis auxilii A, manet Deus liber, ut velit hypothese illam conferre ex affectu efficaci consensu conditionatè prævisi, vel ut nolit conferre, cum non teneatur, vel ut nolit se retrahere à collatione illius hypothese, sine ulteriori affectu efficaci. Pariter prælucente scientia media de dissentio, v. g. peccaminoso sub auxilio A, si conferatur, manet DEUS liber ad eliciendum actum, quo nolit se retrahere à conferenda, vel non conferenda hypothese. Unde illi actus exerciti divini voluntatis, sive permissivi, sive efficaci affectivi, licet sint prout exerciti in signo priori ad evenum: sunt tamen quasi naturæ posteriores, ut constat ex his, quæ cum SS. PP. & Theologis diximus à num. 264. Quæ omnia dilucidè exposuit D. Thomas in 1. dist. 47. artic. 2. in corp. dicens: *Signa autem voluntatis quedam respondent voluntati antecedenti, ut præceptum, consilium &c. sed alia duo signa scilicet permissio, & oppositio respondent voluntati consequenti: etenim cum præceptum, & consilium divinum non prærequirantur ex parte effectus, sed ex parte divini dominii, & perfectionis, non possunt esse in signo priori ex natura effectus, sed ex divina perfectione. Quare contingere potest, ut aliquod decretum sit prius objecto suo prioritate exercita, & quasi naturæ posterioris: ad eum modum, quo scientia visionis de peccato Antichristi est prior tempore, & posterior quasi natura ipso peccato. Vide à n. 161. de actib. hum. & 748. de Incarn.*

727. Supp. 3. Decreta divina non esse proprie, & vere futura, ut constat ex dictis num. 708. atque adeo solum possunt dici, quasi latè, sive improprie futura, quatenus in signo indifferentiæ voluntatis divinæ non concipiuntur existerè, neque non existerè. In signo autem sequenti possunt revera concipi existerè, vel non existerè, aut nunquam existerè, in quo stat futurius lata, sive impropria. Quod satis est ut independenter ab eorum actuali existentia possit Deus concipere scientiam medianam de

illis. Hæc autem scientia media de divinis decretis non dicitur DEO purè contingens, sicut scientia media de eventu creato; nam scientia media de actu libero DEI non immititur in actu objectivè libero creaturæ, sed DEI; atque adeo est scientia mediata libera DEO, ut dicemus, num. 742. Quinimò ad tendentiam quasi reductivam, & per rationem scibilem huic divinæ scientiæ, ut optimè notavit Eximius Doctor loco cit. non requiritur respectu actus DEI liberi hypothese semper indifferentis quoad illius existentiam, vel non existentiam: sed sub hypothese necessariò existente, & conjungibili cum utrolibet libertatis extremo, potest haberi à DEO talis expressio; etenim necessarium DEO est DEUM habere Dominium, & libertatem ad producendum mundum, vel non producendum: & antequam DEUS actum liberum eliciat, quo velit mundum producere, vel non producere, potest quasi prioritate rationis ex hypothese indifferenti cognoscere, quid sub ea hypothese vellet, vel noller pro priori signo quasi formali ad existentiam exercitam actus, quæ tendentia in præsentem, ut à questione de nomine præscindamus, vocatur quasi reductivè, & per rationem scientia media. His positis

728. Affero primò cum secunda sententia. Deus cognoscit per scientiam medianam decreta sua libera, quæ de facto non sunt, sed forent sub aliqua conditione conducente. Prob. 1. Illa est scientia media, qua DEUS cognoscit objectum contingens conditionatum, quin illud cognoscat in decreto prout actualiter exercito. sive cum tali objecto consequenti connexo: sed talis est scientia, qua DEUS cognoscit decreta sua libera, quæ de facto non sunt, sed forent sub aliqua conditione conducente; ergo &c. Consequentia tenet, & major constat ex prænotatis à num. 724. & ex dictis à num. 245. Minor verò probatur. Omne decretum DEI liberum, quod non est, sed foret, verè est quoad terminationem contingens, ut latè dicemus agentes de voluntate, & constat à num. 715. v. g. Decretum creandi tot Hierarchias Angelorum sub conditione, quòd alterum mundum Deus condere vellet. Deinde hoc decretum, quod foret, cognoscitur à DEO independenter à decreto ullo exercito cum ea veritate connexo: DEUS enim cognoscit decretum illud, quòd foret, omni modo, quo cognoscibile est: atque adeo cum non solum sit cognoscibile in aliquo decreto actuali, quo DEUS nunc decernat quid pro ea hypothese faceret vel non faceret: sed etiam in ipsa veritate objectiva, quæ foret, vel non foret; evidens exinde apparet in principiis scholæ nostræ, Deum cognoscere illud decretum, quod foret independenter ab ullo alio decreto actuali, & exercito; ergo &c.

729. Probat. 2. Quando Deus constitutus est indifferens ad volendum; & nolendum pro signo priori ad actuale exercitium suæ voluntatis, non minus est verum dicere, quod eliciet decretum, vel non eliciet, quam sit verum dicere, quod Petrus constitutus ad eliciendum, vel non eliciendum, eliciet decretum, vel non eliciet. Rursus non minus est verum dicere: quod si Deus esset in actu primo per hanc scientiam mediam constitutus ad eliciendum, vel non eliciendum suum decretum, eliceret illud, vel non eliceret, quam sit verum dicere, quod si Petrus esset in actu primo constitutus ad eliciendum actum, vel non eliceret: atqui ex ea libertate Petri consensus liber Petri est objectivè cognoscibilis per scientiam mediã independentem ab actuali actus existentia, & independentem ab existentia cujuscunque alterius actus cum eo connexi: ergo etiam decretum divinum erit objectivè cognoscibile per scientiam mediã independentem ab actuali illius existentia, & independentem ab existentia cujuscunque alterius decreti cum eo connexi. Confirm. iis omnibus rationibus, quibus à n. 659. probavimus scientiam mediam de actibus creatis. Omnes enim illæ rationes, si bene expendantur, eodem modo probant scientiam mediam de actibus liberis divinis.

730. Affero 2. Decreta, quæ Deus de facto habet, cognoscuntur etiam ab ipso sub conditione conducente per scientiam mediam. Prob. 1. Deus non solum habet scientiam simplicis intelligentiæ, sed etiam scientiam visionis de iis decretis, quæ de facto habet: ergo etiam habet scientiã mediam de illis. Antecedens est certum apud omnes. Prob. conf. Ideo Deus habet scientiam simplicis intelligentiæ de iis decretis, quæ de facto habet; quia sunt verè affirmabilia per expressionem correspondentem simplicis intelligentiæ; cum de illis affirmatur, quod non repugnet, si existant, vel quod possint existere: & ideo habet scientiam visionis; quia sunt verè affirmabilia per expressionem correspondentem scientiæ visionis; cum cognoscat eorum actualem existentiam: atqui etiam verè sunt affirmabilia per expressionem correspondentem scientiæ mediæ; cum verum sit dicere, quod sub illa hypothese vel essent, vel non essent, & DEUS ex perfectione perfectissimi intellectivi debeat cognoscere, quodnam ex illis extremis verum sit, & quodnam non, quæ quidem est peculiaris expressio scientiæ mediæ; ergo &c.

731. Probat. 2. In decreto creandi angelos nunc existente comprehenduntur duæ veritates formaliter distinctæ. Prima est, volo creare angelos in hoc mundo. Secunda est: si vellem creare mundum, vellem creare angelos: atqui ista secunda veritas est contingens, ut patet: est etiam per se cognoscibilis ab intellectu divino independentem à decreto exercito sive actualiter existente, cum pro signo priori intelliga-

tur, quod si DEUS vellet creare mundum, vellet creare angelos, quam intelligatur, quod actu vult creare mundum, & vult creare angelos; ergo illa conditionata veritas verè est cognoscibilis ab intellectu divino independentem à secunda, sive pro signo priori ad decretum actualiter exercitum sub hypothese indifferenti, & revera conjungibili cum alterutro libertatis extremo: atqui ista est propriissima expressio scientiæ mediæ; ergo hæc veritas propriissimè cognoscitur à Deo per scientiam mediam.

Fit primò. Deum habere scientiam mediam reflexam. Ratio est, quia illa est scientia mediã reflexa, quæ ex parte hypothese attingit scientiam mediam directam, præscindendo ab actuali illius existentia, vel non existentia, ut constat à n. 724. atqui Deus habet scientiam mediam de suo actu libero sub hypothese scientiæ mediæ de actu libero creaturæ, præscindendo à verificatione, vel non verificatione talis hypothese, ut constat à n. 728. ergo &c. Fit secundò. Scientiam mediam reflexam, utpote non supponentem scientiam mediam directam, ut actualem, & exercitam, sed solum ut objectivè, & potentem esse, vel non esse, præcedere in signo priori ad scientiam mediam directam conditionatè prævisam, quæ præcedentia, licet non habeatur ex exigentia eventus creati, habetur tamen ex exigentia perfectionis divinæ, & ex infinita intelligibilitate DEI non potentis quidquam ignorare; adeoque necessitati ad cognoscendum, quidquid est cognoscibile, & omni modo, quo cognoscibile est, ut constat à num. 725. Fit tertio. Non obstat scientiæ mediæ divinæ de suis actibus, quos habet, vel haberet, necessitatem, ut existant ab æterno decreta, quæ habet; vel necessitatem, ut decernat actualiter ab æterno decreta, quæ in alia hypothese haberet. Ratio est, quia pro signo priori rationis ad decretum actuale exercitum est cognoscibile divinum decretum conditionatè: etenim non potest esse verum, quod posita hac hypothese ponitur decretum, quin pro priori rationis sit verum, quod, si poneretur hæc hypothese, poneretur hoc decretum: sed talis est propriissima expressio scientiæ mediæ & constat à n. 731.

## SECTIO II.

### *Solvuntur opposita.*

Objic. 1. contra primam conclusionem. Ut intellectu cognoscat independentem à decreto actuali existente, quid voluntas aliqua electura esset sub hypothese contingente, debet supercomprehendere talem voluntatem. Atqui intellectus divinus non supercomprehendit voluntatem divinam, sed eam solum comprehendit; ergo &c. Resp. neg. maj. fati enim est ad eam scientiam mediam, quod electio conditionatè existens sit cognoscibilis in se ipsa, & quod

quod intellectus sit ex se summè determinatus ad cognoscendū omne cognoscibile; cum autē hoc conveniat intellectui divino, & non angelico, aut illi intellectui creato, ut habet Augustinus n. 345. & constat num. 476. & 493. Ea de causa soli intellectui divino debetur ratione sui ea expressio scientiæ mediæ.

734 Obj. 2. Si ante omne suum decretum exercitum præcognosceret Deus illud per scientiam mediā læderetur divina libertas; ergo &c. Prob. ant. quia neque ante, neq; post scientiam prædictā v. g. de decreto adducto n. 724. posset elicere Deus oppositum decretum, non quidem ante; cum illa scientia præcedat omne decretum: non post; quia existente tali scientia, & posita conditione, sub qua prævisum est tale decretum fore, si Deus eliceret decretum oppositum, falsificaretur sua scientia; ergo &c. Resp. neg. ant. ad probationem neg. ant. quoad primam partem. Ratio est, quia ante scientiam conditionatam decreti de angelis creandis v. g. præcedit in divina voluntate potestas electiva decreti oppositi; hæc enim potestas est perfectio necessaria Dei: illa verò scientia est contingens. Prædicata autem necessaria priora sunt contingentibus in subsistendi saltē consequentia. Siquidem entitas Dei necessaria existere potest sine his actibus contingentibus, & non econtra. Unde cum ea scientia habeatur in Deo, quia Deus pro libero suo se determinaret, licet sit prior exercitè, est posterior quasi natura respectu sui actus liberi: adeoq; sicut Deus est pro priori ad scientiā potens elicere hoc decretum, vel oppositum, & talis scientia habeatur; quia Deus hoc præ opposito liberè eliceret, ea de causa talis scientia, utpote à libertate Dei impedibilis, & cum evitabilitate conjungibilis libertatem Dei minimè lædit.

735 Quod idem, velint nolint, tenentur adversarii dicere de actibus Christi liberis, de quibus habebat scientiam, antequam eos actu exerceat; si ergo in Christo illa scientia erat purè speculativa, & nullatenus impeditiva libertatis, eò quòd, ut adversarii dicunt, non ideo eliciebat Christus eos actus, quia habebat eam scientiam; sed ex eo habebat illam scientiam, quia eliciturus erat sub ea hypothese tales actus, cum eodem omnino modo se habeat scientia illa divina de suis actibus, quomodo potest vel in minimo divinam lædere libertatem? Deus enim, cum pro priori ad scientiam illam liber sit ad eliciendum hoc decretum, vel oppositum, licet non sit liber ad eliciendum utrumque simul, ita est liber ad habendam hanc scientiam præ altera, licet liber non sit ad habendam utramque simul. Unde licet habeat libertatem ad impediendam utramlibet contradictionis partem, non habet libertatem ad illam falsificandam, cum solum possit habere scientiam determinatam ab actu, quem revera eliciet. Quare hæc scientia non requiritur ex parte Dei, ut proximè potentis velle, sed ut necessariò debentis cognoscere, quidquid cognosci-

bile est. Quod cum non respiciat signum prius libertatis, sed signum consequens eventum liberum, libertatem non lædit, sed potius infert.

736 Objic. 3. Si Deus haberet scientiam mediā de suis actibus liberis sub hypothese scientiæ directæ, vel ea esset in signo priori ad scientiam directam, vel non: sed utrumque repugnat; ergo &c. Probat. min. si esset in signo priori, non esset promptissimè cognoscitivus, cum non cognosceret consensum conditionatum creaturæ, qui pro eo signo cognoscibilis est: si autem esset in signo posteriori, jam non diceret, si haberem scientiam mediā de consensu Petri, sed potius diceret; quia habeo scientiam mediā de consensu Petri; ergo &c. Resp. conc. maj. & neg. min. ad probationem neg. ant. quoad primam partem; nam scientia mediā de actibus liberis DEI licet non sit in signo priori ex exigentia effectus creati; est autem in signo priori ex exigentiā perfectionis divinæ: adeoq; pro eo signo priori non est cognoscibilis eventus creatus, neque Deus habet ignorantiam de illo, ut constat ex n. 725. Sicut enim in signo simplicis intelligentiæ comprehenditur signum creatoris prius, & signum creaturæ posterius: ita in signo contingentium comprehenditur signum scientiæ de actibus creatoris prius, & signum scientiæ de actibus creaturæ posterius, cum ea tamen diversitate, quam sæpè diximus, quòd signum prius simplicis intelligentiæ non excludit connexionem metaphysicam cum signo posteriori; secus autem in hoc signo contingentium; cum hæc scientia de actibus liberis Dei, nimirum si videro per scientiam mediā, quòd Petrus consentiret sub hoc auxilio, dabo illi hoc auxilium: hæc enim scientia nullam habet connexionem cum scientia mediā de consensu Petri sub tali auxilio.

737 Objic. 4. Contra secundam conclusionem: si daretur in Deo scientia mediā suorum decretorum, quæ de facto habet, sine scientia mediā reflexa, ratione illorum possent dari in DEO istæ duæ scientiæ. Prima, si videro, quòd Petrus consensurus foret sub auxilio A, dabo illi auxilium A. Secunda, Video quòd Petrus consentiret, si darem illi auxilium A. Sed istæ simul duæ scientiæ dari non possunt in DEO; ergo &c. Probat. min. si daretur simul in Deo, Petrus ante omne decretum Dei absolute existens discerneret à reprobo, & esset absolute prædestinatus: sed hoc est absurdum; ergo &c. Probat. maj. ex scientia conditionali simul cum purificatione conditionis inferitur conditionatum: sed prima illa scientia est conditionalis: Secunda verò est purificatio conditionis: ergo utraque habita ante omne decretum inferitur discretio Petri à reprobo, & absoluta ejus prædestinatio. Resp. Conc. maj. & neg. min. ad probationem neg. maj. ad probationem dist. maj. inferitur conditionatum absque eo, quòd inferitur ex purificatione condi-

tionis neg. simul cum eo, quod inferitur ex purificatione conditionis conc. maj. & dist. min. secunda scientia est purificatio conditionis; quæ ex suppositione alterius secum affert decretum Dei actuale conc. quæ non affert neg. min. & conseq.

738. Explico solutionem. Licet quælibet ex illis duabus scientiis divisivè considerata habeatur independenter ab omni decreto absolute existente; attamen si collectivè sumantur, non existunt ante & independenter, sed simul cum decreto prædestinativo Petri ut absolute existente. Ratio est, quia illa, quæ connectuntur reciproce, sunt simul simultate dependentiæ: cum autem duplex illa scientia sumpta collectivè, & decretum prædestinativum Petri positum sub conditione in prima scientia connectantur reciproce quoad existentiam absolutam, exinde collectio illius duplicis scientiæ, & decretum prædestinativum Petri sunt simul simultate dependentiæ. Unde nunquam potest prævideri Petrus prædestinatus, & discretus à reprobis independenter à divino decreto actuali, & exercito.

739. Objic. 5. Instando simul solutionem: ex nostra solutione sequitur prævideri absolute futurum ante omne decretum divinæ voluntatis, quidquid in hoc mundo pendet à sola voluntate Dei: sed hoc planè est absurdum; ergo &c. Prob. min. ante omne decretum divinæ voluntatis habet Deus scientiam mediam reflexam, qua videt, quòd si haberet scientiam mediam directam faceret ea omnia, quæ in hoc mundo fiunt: Tum etiam habet scientiam mediam directam de his omnibus, quæ in hoc mundo pendent à sola voluntate Dei: atqui in collectione utriusque scientiæ videntur à Deo omnia illa absolute futura; ergo &c. Prob. min. illa collectio continet simul propositionem conditionalem, & purificationem conditionis: sed purificata conditione conditionalis transit in absolutam; ergo &c. Resp. neg. maj. ad probationem conc. maj. & dist. min. videtur in collectione eo modo, quo requirit purificatio conditionis conc. eo modo quo non requirit neg. min. & conseq. Ratio est, quia illæ duæ scientiæ collectivè sumptæ connectuntur convertibiliter cum absolute decreto creandi ea omnia objecta, cum una ex illis scientiis, nimirum conditionalis, afferat pro conditione alteram, & pro conditionato decretum ipsum creandi; adeoque purificatio conditionis secum affert decretum, cum secum afferat conditionatum: exinde conditionatum cum conditionate purificata existere non potest in Deo, quin simul existant duæ illæ scientiæ, & cum illis pro suo signo decretum Dei actuale, & exercitum, ut diximus numero superiori.

740. Objic. 6. Impugnando simul solutionem. Inintelligibile est, quòd duæ illæ scientiæ, si divisivè considerentur, non connectantur cum aliquo decreto, & cum eo connectantur, si ponantur collectivè; ergo absque actuali decreto,

secundum quod exigit purificatio conditionis, manent omnia, quæ sunt in mundo absolute futura, si detur in Deo scientia media reflexa. Resp. neg. ant. est enim facile intelligibile; nam si divisivè sumantur, nullam constituent veritatem complexi cum alterius veritate, bene verò, si collectivè sumantur; cum autem, cum una sit alterius verificativa, non habeatur absque veritate complexi, exinde non haberetur absque veritate complexi, quòd altera ex illis afferat actuale decretum; bene verò, quòd utraque simul. Quin autem mirum est, quòd vocetur inintelligibile, quòd vulgarissimum est apud Logicos, Physicos, & Theologos.

Etenim in Logicis plures veritates inferuntur ex duabus præmissis collectivè sumptis, quin possint inferri ex alterutra divisivè sumpta. Tum etiam in Physicis in octo gradibus caloris homogenei, qui naturaliter existere nequeunt collectivè sine forma ignis, & existere possunt divisivè, apparet nostra doctrina facile intelligibilis. Tum etiam apud Theologos, & apud ipsos adversarios facile intelligitur, quòd scientia media, & decretum indifferens collativum auxilij collectivè sumpta sunt sufficiens determinativum ad cognoscendum eventum, quam ob causam Deus habet sufficiens determinativum, & non discurrit, ut constat ex n. 257. quin ulla sola pars illius complexi sit sufficiens determinativum; etenim cum nulla pars sit titulus totius complexi, bene verò utraque simul, exinde inferitur facile, quomodo utraque simul determinet aliquid, vel secum afferat decretum, quod non determinat, neque secum affert alterutra pars seorsim sumpta.

Objic. 7. Deus hic & nunc est proximè liber ad habendam scientiam conditionatam de oppositis decretis habendis, si non haberet decreta præsentia, quæ habet; ergo quòd habeat potius scientiam conditionatam de decreto A, quam de opposito decreto B, oritur ex electione unius scientiæ præ alia, ac proinde ea scientia supponit decretum electivum, & sic non est scientia media. Conseq. tenet, & antec. prob. Deus est proximè liber ad opposita decreta, quæ possunt esse objectum divinæ scientiæ: sed libertas ad objectum scientiæ divinæ, est libertas ad ipsam scientiam supposita necessitate intellectus divini ad cognoscendum omne cognoscibile; ergo &c. Resp. Dist. ant. est proximè liber libertate immediata respectu scientiæ neg. libertate mediata conc. ant. & neg. conseq. Ad probationem conc. maj. & dist. min. est libertas immediata neg. mediata conc. ant. & neg. conseq. Ratio est, quia immediate solum est libertas ad decretum, quo objective præsupposito, manet in Deo necessitas ad illud cognoscendum, atque adeo ea cognitio non est Deo immediate, sed mediare libera. Unde sicut scientia media de actu libero creatæ voluntatis est creatæ voluntati libera mediante objecto, ita etiam scientia media de actu libero divinæ voluntatis est Deo libera medi-

mediate objecto, ut diximus n. 727. differunt autem inter alia ista duæ scientiæ, quod scientia de actu libero Dei respicit objectum, quod vel nunquam existet, vel existet per statum ab æterno, & in æternum: secus objectum de scientia actus liberi creaturæ; ut ex eodem numero constat.

743. **Objic. 8.** Si daretur in Deo scientia media reflexa, corrueret omnino humana libertas; ergo &c. Probat ant. Complexum ex auxilio indifferenti, & scientia media reflexa, qua cognoscat Deus se daturum auxilium indifferens, si prævideatur efficax, non autem daturum, si prævideatur inefficax, est connexum essentialiter cum consensu, & inevitabile à voluntate; ergo tolleretur libertatem. Antecedens quoad primam partem de connexionem est certum. Quia in illo complexo includitur hæc scientia media cognoscens auxilium non exciturum pro casu dissensus, sive pro casu inefficaci: atque adeo illa scientia, ne falsa sit, exigit consensum ex tali auxilio, si conferatur. Quoad secundam partem de inevitabilitate probatur. Illud complexum includit solum auxilium, & scientiam mediam reflexam: sed voluntas nequit evitare auxilium, neque scientiam mediam reflexam; ergo neque illud complexum. Probat. min. In primis nequit evitare auxilium, cum non possit evitare actum primum proximum constitutum per auxilium: deinde nequit evitare illam scientiam mediam reflexam, cum ea maneret, sive voluntas consentiret, sive non consentiret; ergo &c.

Resp. neg. ant. ad probationem conc. ant. 744. quoad primam partem, & neg. quoad secundam. Ad probationem dist. maj. includit solum auxilium nudè sumptum neg. ut affectum scientia media directa conc. maj. & dist. eodem modo minori neg. consequent. ad probationem dist. ant. nequit evitare auxilium nudè sumptum conc. ut affectum scientia media de consensu sub illo neg. ant. & consequentiam. Ratio est, quia in illo complexo ex scientia media reflexa, & directa includitur verificatio conditionis; cum autem conditio hujus scientiæ mediæ reflexæ, qua cognoscit Deus se daturum auxilium indifferens, si prævideatur efficax, non solum asserat auxilium nudè sumptum, sed auxilium sub conditione scientiæ mediæ directæ de consensu sub illo, eo ipso, quod ea scientia media directa sit evitabilis à voluntate per dissensum, exinde est evitabile à voluntate per dissensum non quidem auxilium nudè sumptum, sed ut affectum scientia media de consensu sub illo; etenim hæc veritas complexa, auxilium affectum scientia media de consensu sub illo, non solum deficit deficiente auxilio, sed etiam deficit deficiente consensu sub illo, ut enim deficiat torum, satis est, quod deficiat quæcunque pars illius constitutiva; cum autem voluntas possit evitare hanc secundam partem, potest etiam manifestè evitare eam veritatem complexam; atque adeo minimè manet inevitabilis à voluntate. Vide à numero

890.

o \* o \* o

## DISPUTATIO XIII.

### DE ESSENTIA ET OBJECTO VOLUNTATIS DIVINÆ.

745. **Definitur** voluntas à Philosopho *lib. 1. Rethorico* c. 10. *Appetitus boni cum ratione.* Id est: Appetitus rationalis, sive strictè, sive larè sumptus, sive fuga, sive prosecutione potens tendere in objectum, quod ratio, sive intellectus illi proponit. Ex quo voluntas sufficienter distinguitur ab appetitu sensitivo, qui non tendit in objectum, ut per rationem propositum, sed ut propositum per sensus. Inferri in Deo volitivum ex intellectivo per metaphysicam demonstrationem judicant Thomistæ: ex probatione hic assumpta à D. Thoma. Vasquez verò, Arriaga, Herrera, alique judicant non ita inferri posse: neque eam rationem assumptam esse à D. Thoma ut demonstrationem, sed ut meram congruentiam. Quæstio est purè physica: in tractatu enim de anima quæritur, an possit divinitus dari intellectivum non volitivum. Qui affirmant cum Arriaga *disp. 11. de Anima*, dicunt in præfenti rationem D. Thomæ non esse demonstrativam. Cæterum ratio D. Thomæ facile reduci potest ad demonstrationem,

probando volitivum non ex intellectivo utcumque, sed ex intellectivo perfectissimo, qui ex ratione summæ perfectionis debet cognoscere se habere omnem perfectionem sine imperfectione: cum autem talis sit voluntas divina ex communi doctrina data n. 202. & 211. Exinde clarè fit Deum esse volitivum.

#### SECTIO I.

##### *De existentia, & objecto materiali voluntatis divinæ.*

**A**ssero 1. Fide, & ratione constat, dari in Deo voluntatem, & volitionem. Prob. 1. ex Paulo ad Ephel. 1. *Predestinavit nos secundum propositum voluntatis sue: qui operatur omnia secundum consilium voluntatis sue.* Ubi nomine consilii, & propositi exprimitur volitio; nomine verò voluntatis, virtus capacitas, seu facultas volendi; ergo &c. Conf. 1. ex *Genes. 27. Voluntas Dei fuit, ut citò occurreret mihi, quod volebam.* Et 45. *Dei voluntate huc missus sum.* Pariter in sacra scriptura expri-

præmittuntur passum divini affectus prosequutionis, & fugæ. Prosequutionis nimirum Sap. 12. *Subest enim tibi, cum volueris, posse.* Fugæ verò Psal. 5. *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem.* Et Prov. 6. *Sex sunt, quæ odit Dominus, & septimum detestatur;* ergo &c. Confirmatur secundò ratione attracta num. superiori. Tum etiam ex Gubernatione, & Providentiâ divina, & ex communi omnium consensu. Gentes enim, quantumvis barbaræ, vel Deum non colunt, ut debent, vel illum volentem agnoscunt; adeoque & placatum suis sacrificiis esse volunt. Unde hæc veritas adeò omnibus nota est, ut teste Ruiz *disp. 1. sect. 1. num. 3.* Nullus hæreticorum, aut Philosophorum ad tantum delirium pervenerit, ut Deo expressè voluntatem negaverit; licet enim Albertus hunc errorem tribuere videatur Aristoteli, Avicennæ, Averroë, Porphyrio, & Theophrasto, revera istum errorem his auctoribus non tribuit, neque illi voluntatem, sed anxietatem aliâque imperfectiones Deo negarunt, ut ipse Albertus postea fateretur.

747. Affero 2. Virtus volitiva in Deo neque est potentia realis, neque habitus, neque actus primus realis ad volitionem, si voces strictè sumantur: bene verò actus primus, & potentia, ex modo nostro concipiendi Logica, & metaphysica. Probatur. Eo modo se habet voluntas ad volitionem, quo intellectus ad intellectionem: sed intellectus neque est potentia realis &c. ut constat à num. 212. Ergo idem dicendum est de voluntate. Ubi opportunè notandum est Deo concedendas esse virtutes, quæ nullam dicunt imperfectionem; nam nomine virtutis intelligitur à SS. PP. rectitudo stabilis potentie rationalis ad opus rectum, & non ad irrectum: sed hæc reperitur in Deo, quamvis non reperitur habitus, seu difficultas; ergo &c. Qua de causa Aristoteles citatus n. 253. vocat eas in Deo quid præstantius virtute, cum sint quid præstantius habitu.

748. Affero 3. Deus se ipsum integrè, & completè amat: adeoque est objectum materiale suæ voluntatis. Probat. 1. DEUS amat id, quod est infinitè amabile: sed talis est ipse Deus; ergo &c. 2. Deus per sui cognitionem comprehendit perfectissimè suam infinitam bonitatè: sed comprehensio perfectissima objecti præditi bonitatè infinita, necessariò rapit voluntatem in sui amorem perfectissimum; ergo &c. Unde per quemcumque divinum actum Deus se totum amat secundum id, quod requiritur ex parte actûs; adeoque per actum necessarium se amat secundum omnia prædicata necessaria: per actum verò liberum se amat secundum omnia, quæ requiruntur ex parte actûs liberi, & sic de reliquis. Quare amor Dei erga se ipsum, prout est sui amor, dicitur efficax affectivè, non verò effectivè. Ratio est, quia amor, quo DEUS se amat, licet non sit productivus D E I, ut per se pater; adeoque non sit efficax effectivè:

at ita efficaciter affectivè tendit in Deum, ut ex modo tendendi excludat quamlibet volitionem, & displicentiam, vel levissimam Dei, in quo fiat efficacia affectiva. Exinde amar sua prædicata, quia sibi bona; adeoque per amorem benevolentie, & concupiscentie; amorem autem suum, & gaudium sui amat per amorem necessarium absque virtualitatibus amoris strictè distinctis, ut latè constat ex dictis à n. 124. per integram disputationem.

Affero 4. Omnia creata possunt esse objectum materiale voluntatis divinæ. Probatur facile. Voluntas divina non solum potest tendere in objectum per affectum intentionum, aut permissivum: sed etiam per affectum prosequutionis, aut fugæ, ut constat n. 746. atque adeò, si res sunt bonæ, tendere potest in illas per affectum prosequutionis: si sunt malæ, per affectum fugæ: si sunt indifferentes, potest eas permittere, præcipere, aut prohibere: sed exinde omnia creata possunt esse objectum materiale voluntatis divinæ; ergo &c.

Affero 5. Cum communi nostrorum contra modernos Thomistas: Deus potest amare amore inefficacis desiderii aliqua purè possibilia: sive quæ nec sunt, nec unquam erunt: adeoque & hæc esse possunt objectum materiale voluntatis divinæ. Probatur primò ex illis Pauli verbis 1. ad Timoth. 2. *Deus vult omnes homines salvos fieri.* Etenim cum salus plurium eorum sit merè possibilis, Deus habet desiderium inefficax talis salutis merè possibilis; ergo &c. Confirm. ex Ambrosio cit. n. 58. ex Augustino, & Exim. Doctore citatis n. 66. ex Prospero, & Tridentino citatis n. 67. hanc nostram doctrinam tradentibus. Quare D. Prosper super cap. 8. Gallorum ita habet: *Qui dicit, quod non omnes homines velit Deus salvos fieri, sed certum numerum prædestinatorum, durius loquitur, quam loquendum est de altitudine inscrutabilis gratie Dei, qui & omnes homines vult salvos fieri, atque ad agnitionem veritatis venire.* Quod idem testantur plura SS. PP. & Scripturæ testimonia apud Ruiz *disp. 19. de voluntate Dei sect. 6.* Ex quo præoccupata manet evasio aliquorum, qui dicebant eam divinam volitionem non esse voluntatem beneplaciti, sed puram voluntatem signi, qua nempe Deus præbet indicia, quæ regulariter loquendo in humanis persuadent positivum voluntatis affectum: revera tamen illam non esse voluntatem salutis reproborum. Hæc enim evasio stare non potest cum testimoniis SS. PP. à nobis adductis; ergo &c.

Probat. 2. *Ezech. 33. dixit DEUS: Nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur, & vivat: & ex 1. ad Tess. 4. Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra.* Si enim ibi non esset sermo de voluntate beneplaciti, ex nullo Scripturæ testimonio inferre possemus Deum voluntate beneplaciti velle antecedenter aliquid salutem, cum nullibi expressioribus verbis de aliquo particulari, quam hic de omnibus.

bus omnium salus à Deo optari dicatur. Sed hoc nullus adversariorum concedit; ergo &c. Confirm. 1. Deus complacere potest in possibilitate creaturæ; quæ moraliter defectuosa non sit: & eodem modo displicere in ea, quæ defectuosa est; etenim sicut verum est objectum intellectus, ita bonum est objectum voluntatis, solumque intervenit illud discrimen, quod intellectus est potentia necessaria, voluntas verò libera: sed hoc satis est, ut possit tendere; ergo &c. Confirm. 2. Quia nulla est repugnantia ex parte objecti potentis attingi à potentia intentionali, antequam per statum existat: neque potest esse repugnantia ex parte Dei, cum simplex complacentia nequaquam inducat existentiam objecti: sicuti neque eam inducit sola simplex intelligentia; ergo ex nullo capite repugnat. Confirm. 3. Ex D. Thoma lib. 1. contra Gentiles c. 84. n. 4. dicente de Deo: *Qui non vult, nisi ea, quæ sunt, vel possunt esse bona*: atqui ea, quæ possunt esse bona, sunt bona possibilis; ergo &c.

730. 731. Asero 6. Cum Eximio Doctore disput. 3. Metaph. sect. 16. Valentia, Molina, Scoto, pluribusque aliis. Deus non complacet necessarîo in creaturis possibilibus. Prob. 1. Omnis bonitas creata limitata est, multisque immixta imperfectionibus: ac proinde neque intensivè, neque extensivè summè bona; ergo cognita plenè, & perfectè, uti cognoscitur à Deo, nequit præviè ad decretum liberum Dei rapere divinam voluntatem, eamque necessitare ad sui amorem, & complacentiam. Probatur consequentia. Quia, ut patet in nobis, quò perfectius bona creata, eorumque defectus, sive positivos, sive negativos contemplamur, eò magis manemus liberi ad ea amanda, vel non amanda: quælibet enim imperfectio, quæ apparet ex parte objecti amandi, sufficiens est ad retrahendum à sui amore voluntatem, alioquin ex sua natura liberam, qualis est divina voluntas; ergo &c. Confirm. 1. Amor efficacax, quo Deus causat creaturas, de facto non est necessarius, sed liber, ut docet fides, ac proinde bonitas possibilis creaturarum, à cuius cognitione Deus dirigitur ad talem amorem concipiendum, liberam relinquit voluntatem divinam ad creaturarum amorem; ergo etiam cognitio, qua proponitur possibilis bonitas, aut malitia, relinquit voluntatem divinam liberam ad simplicem amorem, vel displicentiam. Nulla enim est disparitatis ratio. Confirmat. 2. Major est vis in voluntate divina ad se retrahendum, quàm in bonitate creata purè possibili ad alliciendum; ergo præviè ad decretum liberum Dei necessitari non potest voluntas divina ad illius complacentiam, vel displicentiam.

732. Respondebis ex Vasquez, Arriaga, aliisque bonitatem limitatam creatam non ob stare, ne Deus necessarîo compleat in illa; quia summa bonitas solum requiritur, ut ad amorem efficacem sui cogat, non autem ut ad sim-

R. P. Gormaz Theolog. Tom. 1.

plicem complacentiam, ut patet in nobis, qui non possumus suspendere complacentiam circa multa objecta, etiam si non sint summè bona, neque ut talia cognoscantur. Contra tamen primò. Ideo circa multa objecta non possumus suspendere complacentiam; quia subjecti sæpè sumus inadvertentiæ, & ea perfectè non cognoscimus secundum meritum ipsorum; quando enim verè advertimus ea, quæ perfectè cognoscimus, non modò suspendimus, sed verè, & propriè eorum amori resistimus, & ea detestamur: atqui DEUS inadvertentiam habere non potest, sed plenam omnium cognitionem, & comprehensionem; ergo &c. Contra secundò, digniora sunt decreta DEI libera perfectè cognita affectus divini efficacis, quàm creaturæ possibile perfectè cognitæ sint dignæ amore inefficaci: sed decreta possibilis non necessitant ad amorem efficacem; ergo neque creaturæ possibile ad inefficacem.

754. Probat. 2. Perfectissimè volenti solum potest esse necessarius amor objecti adæquantis perfectionem voluntatis: atqui nulla bonitas creata adæquare potest perfectionem voluntatis divinæ; ergo &c. Confirm. 1. DEUS non est minus perfectè liber, quàm sit perfectè Dominus: sed de ratione perfectè Domini est, quòd non necessitetur ab eo, qui pollet inferiori perfectione; ergo de ratione perfectè liberi est, quòd non necessitetur ab eo, qui pollet inferiori perfectione, qualis est perfectio creata. Confirm. 2. ex D. Thoma 1. contra Gentes cap. 81. Et 1. Part. quest. 19. artic. 3. Corp. de Creaturis possibilibus dicente: *Divinam scire habere necessariam habitudinem ad scita: secus divinum velle ad volita*; ergo &c. Conf. 3. Non eodem modo se habent possibilis ut possibilis respectu divinæ voluntatis, ac se habent actualia, ut actualia; peccatum enim possibile, ut possibile non meretur divinam indignationem; neque creatura transgreditur præceptum ullum divinum ex eo præcisè, quòd sit potens peccare: atque adeò non præcedit decretum divinum ordinans illud ut medium ad finem à DEO ut supremo Governatore suarum creaturarum intentum: bene verò si actu peccet, aut mereatur; ergo quamvis ex præsuppositione decreti liberi DEI teneatur DEUS aliqua creata amare, aut odio prosequi, secus, si nullum liberum DEI decretum præsupponatur.

## SECTIO II.

### Solvuntur opposita.

755. Objic. 1. contra primam. Voluntas sequitur rationem: sed ratio non est formaliter in DEO, cum hæc requirat discursum, quo caret DEUS; ergo &c. Confirm. qui habet voluntatem, potest tristari, & dolere: sed DEUS hæc non potest; ergo &c.

X

Resp.

Resp. conc. maj. de subsequente in sub-  
stendi conseq. ex dictis num. 238. & neg.  
min. quia ratio solum importat intellectum  
cognoscentem, non autem requirit discurren-  
tem; cum autem in Deo detur intellectus cog-  
noscentis ex num. 212. Et si non discurrens  
ex num. 238. exinde datur in Deo ratio, etsi  
non detur discursus. Ad confirmationem dist.  
maj. qui habet voluntatem subiectam passio-  
nibus conc. perfectissimam, & nulli passioni  
obnoxiam neg. maj. & concessa min. neg. con-  
conseq. Quia exinde solum infertur DEUM  
non habere voluntatem imperfectam, sed per-  
fectissimam. Reliqua argumenta, quæ contra  
hanc primam assertionem objici poterant,  
plenè soluta sunt à num. 219.

756. Objic. 2. contra secundam. Deus est actus  
purissimus, & perfectissimus; ergo non habet  
potentiam volendi adhuc Logicam, & Meta-  
physicam. Retorqueo argumentum. Deus est  
actus purissimus; ergo non habet iudicium in-  
differens, quo potens sit ad volitionem, &  
nolitionem hujus mundi. Resp. Deinde dist.  
ant. est actus purissimus realis conc. formalis  
ex nostro modo concipiendi, & præcisivè neg.  
ant. & conseq. Ratio est, quia licet omnia,  
quæ reperiuntur in Deo, identificentur rea-  
liter cum actu necessariò voluntatis divinæ,  
non ita identificantur formaliter per cognitio-  
nem præcipientem ex dictis num. 233.  
Reliqua argumenta, quæ contra hanc asser-  
tionem fieri poterant, soluta sunt à num.  
223.

757. Obj. 3. contra tertiam. Si Deus se integrè, &  
perfectè amaret, vel se amaret necessariò, vel li-  
berè: atqui neutro modo potest; ergo &c. Mi-  
nor quoad secundam partem patet; quia aliter  
posset Deus cessare à sui amore. Quoad se-  
cundam partem probatur. Libertas finita  
nostre voluntatis non rapitur à bono finito;  
ergo neque libertas Dei infinita rapietur à bo-  
no infinito. Confirm. 1. Coniunctum ex Deo,  
& creatura, v. g. ex verbo, & humanitate,  
est tam perfectum ac essentia divina (idém-  
que esto de decreto libero) sed Deus non amat  
necessariò hoc coniunctum, neque decretum  
liberum; ergo neque suam essentiam divinam.  
Confirm. 2. Qui necessariò amat, se gerit mo-  
re pecudum ex necessitate nature, sine ele-  
ctione, & dominio sui actus; ac proinde se  
gerit imperfectè: atqui DEUS in amore  
sui, nequit se gerere imperfectè; ergo &c.  
Resp. conc. maj. & neg. min. quoad primam  
partem: ad probationem conc. ant. & neg.  
consequentiam. Ratio est, quia necessitas  
terminandi talem amorem est perfectio rei ne-  
cessariò existentis, & summè bonæ: unde di-  
vinum prædicatum non esset necessariò exi-  
stens, & summè bonum: si talem necessari-  
um amorem non terminaret: Bonitas verò  
finita non amittit rationem finitudinis, eò  
quòd destituta sit tali amore: ac proinde nul-  
la est paritatis ratio. Tum etiam, quia summè

bonum eo modo, quo est summè bonum,  
est summè felix, & beatum, quæ beati-  
tudo absque amore summi boni haberi non  
potest. Unde DEUS cum non possit non  
esse summè felix, & beatus, exinde nequit  
esse, quin habeat necessarium sui amorem.  
Hæc autem valdè aliena sunt à limitata bo-  
nitate boni finiti.

Ad primam confirmationem dist. maj. est  
tam perfectum ex suppositione, quòd sit conc.  
per suppositionem necessariam ut sit neg. maj.  
& dist. min. non amat necessariò ex supposi-  
tione, quòd sit, neg. ex suppositione, quòd de-  
ficiat conc. min. & neg. conseq. Itaque con-  
iunctum perfectum ex DEO, & creatura  
dummodo contingens sit, non continet ne-  
cessariò, sed contingenter suam perfectionem;  
atque aded non terminat necessariò, sed con-  
tingenter suum amorem: at prout existit tale  
coniunctum, necessariò terminat amorem sui  
iuxta necessitatem coniuncti: Unde si neces-  
sitas illius est ex suppositione, etiam necessitas  
amoris erit ex suppositione. Si autem neces-  
sitas sit, ut semper sit ex suppositione, quòd  
semel sit, ut contingit in actu divino libero,  
eodem modo correspondebit amor. Si verò  
non sit necessitas, ut semper sit, neque corre-  
spondebit necessitas, ut semper sit amor con-  
iuncti. Uno quidem verbo: necessitas amoris  
provenit à bonitate simpliciter infinita;  
atque aded eo modo, quo aderit ea bonitas,  
correspondet amor, secus aliter. Ad secun-  
dam confirmationem dist. maj. se gerit more  
pecudum si se irrationabiliter amet. conc. si se  
rationabiliter neg. maj. & concessa min. neg.  
conseq. Quia amare necessariò id, quòd est  
necessariò dignum summo amore, non est ir-  
rationabiliter, sed rationabiliter amare, ut per  
se patet.

758. Objic. 4. contra quartam & quintam asser-  
tionem ex Godoi, & recentioribus Thomistis.  
D. Thomas *quest. 19. art. 6.* contra conclusio-  
nem asserentem voluntatem Dei semper im-  
pleri: ita sibi opponit secundò. Sicut se habet  
scientia ad verum, ita voluntas ad bonum: sed  
Deus scit omne verum; ergo vult omne bo-  
num. Sed non omne bonum sit; multa enim  
bona possunt fieri, quæ non fiunt: non ergo  
voluntas Dei semper impletur. Huic argumen-  
to ita responderet: Ided Deus cognoscit omne  
verum: non tamen vult omne bonum, nisi  
in quantum vult se, in quo virtualiter omne  
bonum existit. Ergo expressè sentit D. Tho-  
mas, quòd licet creature possibiles sint bonæ,  
nihilominus non amantur à Deo, neque sunt  
objectum voluntatis divinæ. Confirmat. 1.  
D. Thomas infert Deum non amare omne bo-  
num, licet omne verum cognoscat ex disci-  
mine, quò intellectus, & voluntas attingunt  
sua objecta. Nimirum quia intellectus trahit  
res ad se, & eas in se ipso cognoscit. Voluntas  
verò fertur ad res ipsas, prout sunt in se ipsis;  
ergo ex D. Thoma nullo modo fertur divina  
volun-

voluntas ad res creatas : atque adeo istæ non sunt objectum materiale divinæ voluntatis. Confirmat. 2. Quia aliter nullum discrimen subsisteret inter intellectum, & voluntatem, si juxta D. Thomam amaret DEUS creaturas possibiles amore aliquo, quamvis inefficaci, cum neque illas intelligat intellectu efficaci effectiva, sed solum per simplicem intelligentiam; ergo &c.

760. Resp. Conc. ant. neg. conseq. quia D. Thomas non negat in præsentem amorem Dei inefficacem circa creaturas purè possibiles; sed solum efficacem, de quo ibi loquitur; dixerat enim ad primum, quidquid Deus simpliciter vult, fit, licet illud, quod antecederet vult, non fiat. Unde solum negat voluntatem consequentem efficacem, non autem antecedentem, & inefficacem. Ad primam confirmationem dist. maj. Ex discrimine, quo intellectus, & voluntas artantur sua objecta cum discrimine inter voluntatem antecedentem, & consequentem, conc. absque eo discrimine neg. maj. & dist. min. Salvatur eodem modo neg. diverso modo conc. min. & neg. conseq. Ratio est, quia discrimen inter intellectum, & voluntatem juxta D. Thomam non stat in eo, quod voluntas simplici affectu non amet possibilia, sed in eo, quod intellectus cognoscat omnia possibilia posse fieri: voluntas autem non vult omnia fieri: atque adeo ex parte intellectus sola scientia simplicis intelligentiæ sufficit, quantum requiritur ad illuminationem, ut res fiant & trahantur: ex parte vero voluntatis sola complacentia inefficax antecedens non est satis, ut detur, quidquid requiritur, ut fiant: atque adeo licet voluntas per eam simplicem complacentiam feratur ad res ipsas, non trahit eas ex non esse ad esse. Neque aliud discrimen est assignabile ex illa doctrina D. Thomæ. Exinde ad secundam confirmationem neg. ant. quia satis clarum apparet discrimen à nobis expositum, cum sola simplex intelligentia sufficiat ad rerum productionem secundum id, quod requiritur ex parte intellectus; licet aliquando ex parte divini domini requiratur scientia media, ut supra diximus. Simplex verò complacentia non sufficit secundum id, quod requiritur ex parte voluntatis.

761. Objic. 5. Ex iisdem. Omnis amor creaturarum, vel mediata, vel immediata liber est Deo: sed si daretur amor creaturarum possibilem, non posset esse liber Deo; ergo &c. Minor probatur. Ideo probat D. Thomas Deum non necessariò, sed liberè creaturas amare; quia bonitas, ratione cujus illas diligit, potest sine illis subsistere, utpote non connexa cum illis: atqui cum possibilibus essentialiter connectitur bonitas, & omnipotentia divina; ergo si creaturas possibiles diligeret, eas necessariò diligeret. Confirm. Ideo Deus necessariò intelligit creaturas possibiles, quia sunt cognoscibiles; & cum eis connecti,

R. P. Gormaz Theolog. Tom. I.

tur: sed etiam sunt amabiles: & cum eis connectitur; ergo &c. Resp. Conc. maj. & neg. min. ad probationem dist. min. Ideo probat. de omni amore neg. de efficaci, & consequenti conc. maj. & concessa min. neg. conseq. Quia amor consequens, & efficax connectitur cum creaturis actualibus, sine quibus omnipotentia, & bonitas divina poterant existere: amor verò liber simplicis complacentiæ non connectitur cum illis, in quo stat D. Thomæ discrimen. Ad confirmationem dist. maj. Ideo præcisè, quia sunt cognoscibiles neg. quia sunt cognoscibiles, & intellectus divinus necessitatur ad cognoscendum omne cognoscibile conc. maj. & dist. min. sunt amabiles, & voluntas divina est necessitata ad amandum omne amabile neg. & non est necessitata conc. min. & neg. consequent. Quia voluntas est libera: secus autem intellectus: adeoque licet voluntas actu non amaret, poterat tamen eam bonitatem possibilem amare, ut docet ipse D. Thomas n. 751.

Objic. 6. Amare est velle bonum alicui: 762. sed ex suppositione, quod Deus creaturam in statu puræ possibilitatis relinquit, nequit illi bonum aliquod velle; ergo &c. Confirm. quando Deus efficaciter vult carentiam existentiam rei possibilem, nullo modo amat illi existentiam, aut bonum aliquod: sed Deus vult carentiam existentiam rei merè possibilem; ergo &c. Resp. dist. maj. est velle bonum juxta naturam amoris conc. supra naturam amoris neg. maj. & dist. min. neg. conseq. Ratio est, quia simplex complacentia non exigit bonitatem, quæ talis sit per statum, sed quæ revera esset, si fieret; cum autem hanc tendentiam habeat Deus erga plura merè possibilia, ut constat à num. 750. exinde vult illis bonum non quidem supra, sed juxta naturam, & tendentiam simplicis complacentiæ. Ad Confirm. neg. maj. quia licet non amet illi existentiam, quæ bona moraliter sit, amat ei illius existentiam, quæ si daretur, bona moraliter esset. Quinimò plura sunt purè possibilia, quorum carentiam existentiam Deus neque efficaciter, neque inefficaciter vult, sed potius vult inefficaciter eorum existentiam: qualia sunt ipsa opera bona præcepta, quæ non sunt.

Objic. 7. Non potest Deus odio habere peccatum purè possibile; ergo neque amare creaturam purè possibilem. 763. Probat. ant. si peccatum purè possibile posset à Deo odio haberi, etiam posset odio haberi peccator purè possibilis, atque adeo B. Virgo, SS. angeli &c. posset à Deo odio haberi, propter peccatum possibile, quod secundum se spectati potuerunt committere: sed hoc absurdum est, ergo &c. Conf. non potest Deus odio habere id, quod summè necessarium esse videtur ad id, quod summè diligit: sed peccatum purè possibile necessarium est ad id, quod Deus summè diligit, cum necessarium sit, ut existat Deus cum peccato possibili connexus; ergo &c. Resp. neg. ant. ad prob. neg. maj.

Ratio est, quia peccatum purè possibile se habet tanquam purus terminus respectu voluntatis ex se potentis peccare, & non peccare: atque adeò non est tali voluntati imputabile ad vituperium. Quinimò est imputabile ad laudè, quòd non peccet cum potuerit peccare. Sic *Eccl. 31. Beatus vir, qui inventus est sine macula, qui potuit transgredi, & non est transgressus, &c.* At verò prædicata possibilia peccati non se habent respectu peccati, ut purus terminus, sed ut illius constitutum, quod si detur, non potest non esse divinæ sanctitati oppositum, atque adeò peccatum purè possibile potens est terminare displicentiam DEI: scelus autem peccator purè possibilis. Vide num. sequenti.

764. Ad confirmationem dist. maj. quòd summè necessariū esse videt tanquam medium ponendum ad sui felicitatem conc. tanquam purum terminum illius neg. maj. & dist. eodem modo min. neg. conseq. Ratio est, quia, ut peccatum sit possibile, non est necesse, ut Deus illum in illud influxum habeat: neque possibilitas rei intrinseca est ab ulla causa ponenda, ut possibilitas sit, cum non sit ens per statum, sed per alienationem. Atque adeò ut aliquid cum re ut possibili connectatur, necesse non est, quòd respiciatur à voluntate, vel approbative, vel ut medium ponendum, quòd requirebatur, ut non respiceretur ut purus terminus. Quando autem aliquis vult unum connexum cum altero, respiciendo illud alterum ut purum terminum, non est necesse, quòd amor unius connexi cum altero sit amor alterius: sic qui amat scientiam visionis de peccato Anti-Christi, non exinde amat peccatum Anti-Christi. Quinimò duo connecti possunt respiciendo se per convenientiam, vel per contrarietatem: quando autem se respiciunt per contrarietatem, quam optimè possum amare unum extremum, quin alterum amem: sic amo voluntatem, quam Deus habet de puniendo peccato, quin amem peccatum. Omnipotentia autem non connectitur cum peccato possibili per convenientiam in linea morali, sed per contrarietatem: nam peccatum possibile, licet non sit malum morale formaliter elicitorum, vel per statum, est tamen malum morale objective consideratum: atque adeò amor omnipotentiae nequaquam est amor peccati possibilis, sed potest esse vera displicentia.

765. Objic. 8. contra sextam. Peccatum actuale, & existens necessariò displicet Deo: opus etiam honestum actuale, & existens necessariò ipsi placet: tum etiam placet necessariò Deo ex suppositione existentiae humanitas Christi divini infinite sancta, ergo & bonitas possibile placet Deo necessariò, & malitia moralis objectiva possibile displicet ipsi necessariò. Respondent aliqui cum Isquierdo *disp. 33. q. 6. prop. 1.* Bona actualia nequaquam

placere Deo necessariò quoad exercitium, neque ita displicere necessariò peccata, sed solum quoad speciem, quatenus Deus non potest elicere actum approbativum peccati actualis, neque reprobativum operis actualis honesti: artamen manere liberum quoad exercitium, cum nullus sit titulus, ex quo cogatur ad eliciendum aliquem actum amoris circa opera honesta, vel displicentiae circa actualia peccata. Caterum, quia ista solutio nequaquam placet.

Resp. conc. ant. & neg. conseq. Quia Deus ex suppositione, quòd velit aliquem finem, quem poterat non velle, tenetur velle media necessaria ad finem, eo modo, quo necessaria sunt: cum autem finis creaturum rationalium actualium, quæ possunt honestè, & inhonestè operari, sit tanquam servos Deum Dominum colere, eo ipso, quòd Deus velit eas actu producere, eisque det libertatem ad utrumque, non potest eas exonerare ab hoc titulo servitutis. Unde non respicit eas operationes ut purum terminum: adeòque non potest non complacere in operibus honestis, quibus ipsum colunt: neque potest non displicere in peccaminosis, quibus ipsum offendunt. Hæc autem necessitas non provenit præcisè ex ipsa bonitate, aut malitia actionis create, sed ex ipso etiam decreto DEI libero actuali, & elicto, quæ præparat libertatem ad utrumque expeditam ad finem sui cultus, & honorationis: Illud enim decretum simul est volitio affectiva saltem inefficax, aut indifferens operis boni; & volitio saltem inefficax, aut indifferens operis peccaminosi; cum sint media ad finem à Deo intentum, quo sine Deo se privare non potest, dummodo ita sint constituta suæ creaturæ: cum autem, ut creaturæ sint possibiles, nequaquam requiratur tale decretum Dei liberum respiciens eum finem à Deo intentum, exinde non manet titulus necessitatis in Deo ad necessariam displicentiam, aut odium possibilem: bene verò actualium.

Quinimò doctrina nostra satis constare videtur ex Scriptura. Sic *Psal. 44. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem. Sap. 12. Quos exhorruisti Domine, quia odibilia tibi opera faciebant. Et 14. Similiter odio est Deo impius, & impietas ejus. Eccl. 12. Si bene feceris, scito cui feceris, & erit gratia in bonis tuis multa: Beneficio justo, & invenies retributionem magnam, & si non ab ipso, certè à Domino. Altissimus odio habet peccatores, & miseris est penitentis.* His Scripturæ testimoniis consonat Tridentinum *sess. 6. can. 6.* dicens: *Si quis dixerit, non esse in potestate hominis, vias suas malas facere, sed malas opera ita ut bona Deum operari, non permittit solum, sed etiam proprie, & per se, adeò ut sit proprium opus ejus non minus proditio Jude, quam vocatio Pauli, anathema sit.* Qui

Quibus in verbis satis indicatur decretum divinum applicativum omnipotentiae; ut homo constituitur liber ad bonum, & malum, ex parte Dei tendere affectivè ad bonum, & reprobativè ad malum ob rationem datam numero superiori. Unde adest clarus titulus in ordine ad necessitatem in Deo, ut eliciat actum complacentiae circa opera honesta actualia, & displicentiae circa peccaminosa. Qui quidem titulus nequaquam adest in ordine ad possibilia.

766. 768. **Objic. 9.** Simplex amor necessarius possibile est perfectio nulli alij perfectioni repugnans. ergo concedenda est Deo. **Confirm. 1.** Ad rectitudinem divinae voluntatis pertinet, quod sit summè propensa ad omne bonum: atqui summa propensio ad bona possibilia aut consistit in complacentia necessaria de ipsis; aut illam secum affert; ergo &c. **Confirm. 2.** Perfectius amat Deum, qui vult illi bona intrinseca, & extrinseca, quam qui vult sola intrinseca: atqui Deus necessariò se amat perfectissimè; ergo necessariò vult bona extrinseca, nempe creaturas possibiles. **Confirm. 3.** In Deo non datur pura omisio: neque potest dari amor peccati possibilis, aut odium operis honesti possibilis; ergo datur necessariò simplex complacentia, & displicentia.

769. **Resp. neg. ant.** quia ille necessarius amor pugnat cum libertate divina, quæ à nullo purè creato cogi potest ad amorem, vel odium: adeoque solum potest necessitari ex titulo sui decreti liberi, qualis titulus non adest in linea necessitatorum. Ad primam confirmationem dist. maj. summè propensa ad omne bonum quoad speciem conc. quoad exercitium actus erga illud subdist. Si adest titulus proportionatus necessitati divinae voluntatis conc. si non adest neg. min. & consequ. ut constat ex dictis. Ad secundam confirmationem retorquero argumentum: Perfectius amat Deum, qui vult illi efficaciter simul bona intrinseca, & extrinseca, quam qui vult in efficaciter extrinseca: atqui Deus necessariò se amat perfectissimè; ergo non solum ineffaciter, sed efficaciter vult sibi necessariò bona extrinseca.

770. **Respondeo deinde dist. maj.** qui vult per amorem debito suæ felicitatis proportionatum conc. non proportionatum neg. maj. & concessa minori neg. consequentiam. quia Deus independenter ab amore cujusvis creaturæ est perfecte jam, & adæquatè felix: & sic non indiget ad sui felicitatem amore ullius rei sibi extrinsecae; nec ulli debet talem amorem; cum à nullo alio suam felicitatem acceperit: at creatura suam felicitatem à Deo debet accipere; nec solvet debitum amando ea omnia, quæ Deo potest amare: adeoque perfectius se exercet, quando plura bona illi amat. Unde nulla est paritas ex hoc titulo à creatura ad creatorem. Ad tertiam confirmationem neg. consequ. quia iste actus positivus: nolo de creaturis possibilibus complacere, aut displicere,

non est pura omisio: & tamen est sufficiens ad excludendam complacentiam, & displicentiam: sicuti actus, quo dico: Neque amo Petrum, neque illum odio habeo, non est pura omisio, neque amor, aut odium Petri.

SECTIO III.

De objecto formali voluntatis divinae.

Suppono 1. Duplex assignari à Philosophis, & Theologis objectum formale: alterum 771. quidem intrinsecum, & alterum extrinsecum. Intrinsecum dicitur illud, quod intrinsecè attingitur per actum voluntatis, & sic amatum est ratio amandi objectum materiale. Extrinsecum est, quod non attingitur formaliter per actum tendentem in objectum materiale, sed per actum, à quo iste dependet vel tanquam ab imperante vel exercite excitante voluntatem ad prædictum actum prout cognitum utilem ad suum finem imperantis: sic conclusio, quæ formaliter reflectit supra præmissas, dicitur habere pro objecto formali intrinseco objectum præmissarum: Ea autem, quæ non reflectit supra illas, quia tamen eis innititur, dicitur habere pro objecto formali extrinseco objectum præmissarum. Suppono 2. Actum voluntatis non posse aliter, quam ex sua tendentia discerni. Quare si ex affectu, quo tendit aliquis actus in objectum suum, appareat animus voluntatis amplectens objectum materiale, propter duo objecta formalia: quæ ita coexistunt, ut amplecteretur idè objectum materiale, quocumque ex his formalibus deficiente; dicitur actus pertinens ad utramque speciem objecti formalis. Sic actus, quo dico, volo invadere agrorum, quia amicus est, & quia superior præcipit, ita ut amarem illum solum propter amicitiam, aut solum propter præceptum, dicitur actus pertinens ad amicitiam, & obedientiam. His positis

772. **Affero 1.** Nullum datur objectum formale physicè motivum actus divinae voluntatis; bene verò per identitatem motivum, quod est ipse Deus. **Prob.** Quia objectum physicè motivum esset productivum divinae volitionis, ut constat à n. 334. Objectum verò per identitatem motivum est, quod identificatur cum divina volitione, atqui divina volitio utpote improducta, non habet objectum, à quo producatur: deinde cum sit identificata cum Deo, quem amat, & à cuius bonitate movetur, habet objectum per identitatem motivum; ergo &c. Reolantur ea, quæ dicta de scientia n. 334. & hic proportionaliter applicentur.

773. **Affero 2.** Bonitas divina est objectum formale intrinsecum vel extrinsecum, & ratio formalis, sub qua divina voluntas movetur ad volendum, quidquid vult. **Prob. ex Proverb. 16.** *Universa propter semetipsam operatus est Dominus.* Ubi ly propter, licet ab aliquibus intelligatur de causa efficienti, ab omnibus verò ferè Philosophis, & Theologis intelligitur de ratione

ratione motiva; ergo tam bona, quæ Deus agit, quam mala, quæ permittit, ex motivo suæ bonitatis agit, & permittit, tamquam instrumenta nimirum suæ bonitatis, & attributorum justitiæ, misericordiæ &c. Unde quicunque actus divini vel habent formaliter istud motiivum, vel inmittantur, & descendunt ab actu habente tale motiivum: adeoque attingunt semper suum objectum materiale propter Deum, tamquam propter motiivum vel intrinsecum, vel extrinsecum ex n. 771. Quo in sensu intelliguntur testimonia SS. PP. asserentium, Deum ratione sui velle omnia, quæ vult, ut notavit Ruiz *disp. 3. de vol. sect. 1.*

774. **Assero 3.** Plures formalitates actuum divinæ voluntatis habent pro objecto formali intentionaliter motivo bonitatem creatam. Probatur 1. Objectum formale intentionaliter motiivum, est ratio, quam de suo amore reddit amans, ut constat à n. 270. & 333. Sed Deus sæpe dat bonitatem creatam pro ratione sui amoris; ergo &c. Prob. min. ex *Gen. 22.* ubi Angelus Domini dixit Abrahamo: *Per me metipsum juravi dicit Dominus, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito &c. benedicam tibi:* id est. Quia voluisti Filium tuum in holocaustum offerre, & ad eum immolandum fecisti, quidquid tibi præceptum erat: ubi ratio, quam reddit Deus de suo amore, sive motiivum benedicendi Abrahamo, fuit, quia fecit rem hanc: sed res illa facta est quid purè creatum; ergo &c. Confirm. ex *Sap. 11.* Ubi Deus dicitur dissimulare peccata hominum propter poenitentiam, quibus plures sunt similes locutiones in Scriptura, quas asserit citatus Ruiz; ergo &c.

775. **Prob. 2.** Deus vult præmiare Petrum, & non Paulum, quia Petrus elicit merita, & non Paulus: item Paulum punit, & non Petrum, quia Paulus habet peccatum, & non Petrus: sed meritum, & peccata sunt quid purè creatum; ergo &c. Confirm. 1. Deus cognoscit creaturas in se ipsis propter suam veritatem, ut constat n. 337. adeoque sunt objectum formale intentionaliter motiivum divini intellectus; ergo etiam poterit amare bonitatem creatam propter se ipsam: adeoque erit objectum formale motiivum divinæ voluntatis. Consequentia tenet, quia non minus veritas pertinet ad intellectum, quam bonitas ad voluntatem. Discrimen enim à libertate desumptum nullum est, cum libertas ad amandum non excludat, sed includat potentiam ad amorem; ergo &c. Confirm. 2. In Deo dantur omnes illæ virtutes morales, quæ nullam involvunt imperfectionem, v. g. misericordia, beneficentia, liberalitas, patientia, & sic de alijs. Sic S. Cyprianus *tract. de bono patient.* ait: *Est enim nobis cum Deo virtus ista communis.* Atqui virtutes morales respiciunt pro objecto formali bonitatem creatam; ergo &c.

776. **Obj. 1.** Contra primam. Sola formalitas omnipotentia est objectum formale motiivum

divini amoris; ergo non sunt omnia divina prædicata plenè, & perfectè sumpta. Prob. ant. Objectum formale divinum est ratio ultimi finis: sed ratio ultimi finis stat in sola formalitate omnipotentia: etenim ratio primi Principij, & ratio ultimi finis in eodem formaliter consistunt; ergo &c. Hoc argumentum, si bene expendatur, potius probat, quòd sola Paternitas sit objectum formale: cum Deus prius producat ad intra, quàm ad extra. Resp. deinde neg. ant. Ad probationem conc. maj. & neg. min. Nam ratio ultimi finis constituitur per id, per quod aliquid est à se infinite amabile, quod non solum convenit formalitati omnipotentia, sed cuicumque divinæ perfectioni: omnipotentia autem solum convenit ratio primi principij ad extra.

**Obj. 2.** Contra secundam. Deus non potest necessariò se amare ut finem sui amoris; ergo neque intrinsecè, neque extrinsecè respicit suam bonitatem, ut objectum formale. Prob. ant. si se necessariò amaret ut finem, necessariò amaret creaturas possibiles, quæ utpote connectæ cum Deo sunt medium ad existentiam Dei: atqui non amat necessariò creaturas possibiles, ut constat à n. 752. ergo &c. Resp. neg. ant. Ad probationem neg. maj. nam creaturæ possibiles non sunt medium, sed purus terminus respectu essentia necessaria Dei, ut n. 763. Atque adeò potest Deus se necessariò amare, quia eas necessariò amet: amor enim necessarius, quo Deus se diligit, non est per modum desiderij tendentis ad media necessaria ad finem, sed per modum fruitionis, & gaudij, quæ quidem tendentia vel nulla requirit merita: vel si aliquando respicit, supponit illa jam posita; unde respicit ea, ut purum terminum, quod manifestè patet experientià. Sic qui gaudet de hereditate possessa ex patre mortuo, non necessitatur ad amorem, aut executionem mortis paternæ: qui gaudet de filio optimis moribus instructo habito ex adulterio, non necessitatur ad gaudendum de peccato. Qui gaudet de sanitate possessa, non necessitatur ad amorem, aut executionem medicina, & sic de millenis alijs.

**Objic. 3.** contra tertiam asserentem. Nulla bonitas creata potest esse respectivè ad Deum principale volitum, ut habet D. Thomas 1. *contra Gentes c. 74.* atqui objectum formale est principale volitum; ergo &c. Confirm. 1. Quæcunque divina volitio amat se propter suam bonitatem, ut inferitur ex *Dyon. c. 1. de div. nom.* ergo non potest amare bonitatem creatam propter ipsam. Confirm. 2. Quælibet formalitas divinæ volitionis habet summam perfectionem moralem ex objecto motiivo: sed non potest habere summam perfectionem moralem ex bonitate creata: ergo &c. Confirm. 3. non potest in Deo dari una volitio perfectior alià: atqui ea, quæ haberet pro objecto formali intrinsecò bonitatem divinam esset, perfectior illà, quæ haberet pro objecto formali in-

trinfeco bonitatem creatam; ergo &c. Resp. conc. maj. & neg. min. quia nomine principalis voluti non intelligit D. Thomas objectum formale, sed virtutem intrinsecam potentia, ut constat à n. 365. ex defectu hujus doctrinae longè deviant adversarii, à vera intelligentia divi Thomæ.

779. Ad primam confirmationem conc. ant. & neg. conseq. quia nullatenus implicat, quòd eadem volitio moveatur à duplici objecto formali: imò sæpè ita contingit, ut constat ex n. 771. In Deo autem ita contingere, non solum ex ratione, sed etiam ex Scriptura nobis constat, ut patet à num. 774. Exinde movetur Deus à bonitate creata, ita, ut ea formalitas, & recta tendentia actus verè maneret, quantumvis non haberet pro objecto formali intrinsecò, sed solum extrinsecò bonitatem divinam. Quod requiritur, ut pertineat ad virtutem moralem, quam admittunt in Deo SS. PP. ex n. 775. ut bene notavit Hurradus. Unde virtutes morales non distinguuntur in D. E. O à Theologis, sicut in nobis per actus entitativè distinctos, sed per formalitates diversas; quatenus formalitas Theologica respicit pro objecto formali intrinsecò bonitatem divinam: moralis verò bonitatem creatam: Ita ut eadem virtualitas sub duplici formalitate ad duplicem virtutem ex modo suo tendendi pertineat, juxta dicta n. 771.

780. Ad secundam confirmationem dist. maj. ex objecto motivo intrinsecò, vel extrinsecò conc. semper intrinsecò neg. maj. & concessa min. neg. conseq. Ratio est, quia formalitas tendens in bonitatem creatam, nequit in Deo stare sine altera formalitate tendente intrinsecè in bonitatem divinam, qua ipse actus propter suam divinam bonitatem se amat, & cum qua realiter, & virtualiter identificatur ex numero superiori. Atque adeò non minus connectitur cum illa, quam actus imperatus cum imperante: quod sufficit, ut secunda formalitas ex modo nostro concipiendi non ficto habeat pro objecto formali extrinsecò bonitatem divinam. Ad tertiam confirmationem dist. maj. Perfectior alia intrinsecè, & entitativè conc. extrinsecè, & præcisivè neg. maj. & dist. min. neg. conseq. Quia licet in Deo omnes perfectiones sint æquales intrinsecè, & entitativè: fecus autem extrinsecè, & præcisivè ex nostro modo concipiendi, ut constat ex n. 232.

781. Objic. 4. Objectum formale voluntatis est finis volentis: sed bonitas creata non potest esse finis Dei; ergo non potest esse objectum formale voluntatis divinæ. Confirm. 1. Objectum formale voluntatis est quasi centrum amoris ab eo finalizati, in quo quiescit amans: sed bonitas creata nequit esse centrum, in quo quiescat Deus, neque potest finalizare actum divinum; ergo &c. Confirmat. 2. Bonitas creaturæ stat in convenientia cum suo ultimo fine; ergo non potest amari propter bonitatem creaturæ, nisi ametur propter ultimum fi-

nem, seu propter bonitatem divinam. Conf. 3. Actus specificatur à suo objecto formali: sed actus voluntatis divinæ nequit specificari ab objecto creato; ergo &c. Confirm. 4. Deus essentialiter est Dominus cujusque creaturæ, & hæc est sub dominio Dei: sed res Domini non potest amari nisi ut utilis Domino, & propter bonitatem Domini; ergo &c.

Resp. dist. maj. Est finis vel simpliciter, vel secundum quid conc. maj. semper simpliciter neg. maj. & dist. min. neg. conseq. Ratio est, quia finis simpliciter est, qui respicitur ex affectu voluntatis cum majori appreciatione super omnia essentialiter ab ipso distincta: Finis verò secundum quid non exigit talem tendentiam voluntatis, sed solum, quòd voluntas ab eo moveatur absque tali appreciatione. Quod patet evidenter in virtutibus moralibus, quæ solum attingunt pro objecto bonitatem creatam, quin appetunt illam supra bonitatem divinam: Ad primam confirmationem dist. maj. est quasi centrum simpliciter neg. secundum quid conc. maj. & dist. min. neg. conseq. ut constat ex dictis. Ad secundam confirmationem dist. ant. Inconvenientia transcendentali omitto; prædicamentali conc. ant. & neg. conseq. Quia illa bonitas transcendentalis non solum potest amari ut bona Deo, sed quia in se bona, ut patet in virtutibus moralibus. Sic creatura transcendentaliter dicens ordinem ad creatorem, potest amari non solum ut bona creatori, sed ut bona sibi, aut aliis. Ad tertiam confirmationem dist. maj. Specificatur extrinsecè conc. intrinsecè neg. & dist. min. neg. conseq. Quia objectum realiter distinctum ab actu non specificat intrinsecè, sed extrinsecè actum: actus enim intrinsecè specificatur à sua tendentia in objectum. Ad quartam conc. maj. & neg. min. Quia res Domini, cum non solum habeat bonitatem transcendentalem, quæ est bona Domino, sed quæ in se est honesta, potest amari non solum ut bona Domino, sed propter suam honestatem. Ad objectum enim formale voluntatis satis est, bonum, sive honestum, sive utile, sive delectabile.

Obj. 5. Affectus divinus habens pro objecto formali bonitatem creatam esset imperfectus in genere moris; ergo est impossibilis. Prob. ant. Ille actus est imperfectus in genere moris, cui aliqua talis generis perfectio deficit; sic talpa in genere animalis est animal imperfectum, quia deficit illi visus, qui est talis generis perfectio: sic attritio definitur à Tridentino dolor imperfectus; quia ei deficit respectus intrinsecus, & motivum charitatis, quod est perfectio in genere doloris. Et angelus in ratione entis est imperfectus, quia plures entis perfectiones ei deficiunt: atqui si effectus divinus moveretur formaliter ex bonitate creata, deficeret ei in genere moris honestas charitatis divinæ; ergo &c. Confirm. Affectus, qui non adæquat amabilitatem objecti, est imperfectus: sed ille affectus non adæquaret amabilitatem objecti;

cum

cum objectum etiam esset amabile propter bonitatem divinam; ergo &c.

784. Resp. neg. ant. ad probationem dist. maj. qui deficit eminenter, realiter, aut entitative, omitto, extrinsecè, & præcisivè ex modo nostro concipiendi neg. maj. & dist. min. neg. conseq. Quia ille actus utpote identificatus cum Deo, intrinsecè, & entitative habet jam omnem perfectionem in quocunque genere possibilem, quam in suo genere realiter, & entitative non habet, aut talpa, aut attritio, aut angelus, aut quævis alia creatura in genere entis. Quinimo ad perfectionem summam satis est omnem perfectionem vel formaliter, vel eminenter continere, quin requiratur continentia formalis, ut patet in paternitate, quæ formaliter non continet perfectionem filiationis, sed solum præcisivè, prout habet identitatem cum natura continente omnem perfectionem sine imperfectione, ut cum Augustino diximus numero 74. Actus autem liberi cum identificentur etiam cum natura, perfectissimè continent eminenter omnem perfectionem. Neque adhuc virtualiter deficit illi terminationi ea perfectio, ut constat n. 779. sed solum præcisivè, prout ea tendentia concipitur à nobis in ordine ad amandam propter se bonitatem creatam, præcindendo ab amore bonitatis divinæ, quæ præcisio non excludit positivè aliam perfectionem, ut constat ex n. 232. Ad confirmationem dist. maj. qui non adæquat eminenter, realiter, aut entitative conc. solum præcisivè ex nostro modo concipiendi neg. maj. & dist. min. neg. conseq. ut constat ex dictis.

785. Fit 1. Non esse omnino idem objectum materiale, & formale volitionis divinæ necessariæ, & objectum materiale, & formale volitionis divinæ liberæ. Fit 2. Voluntatem divinam

juxta diversas tendentias posse etiã exercere circa objecta sua diversos affectus: aliquando enim exercetur per voluntatem antecedentem, quæ se habet pro signo priori naturæ ad elicientiam alterius actûs; voluntas enim antecedens non requirit connexionem essentialem cum objecto voluto, ut patet in volitione divina, quæ Deus vult omnes homines salvos fieri, & tunc vocatur intrinsecè indifferens: voluntas verò consequens solet connecti cum objecto voluto, & tunc vocatur intrinsecè efficax. Sic voluntas divina dandi præmium propter merita prævisa connectitur cum præmio, & voluntas conferendi supplicium propter prævisa delicta connectitur cum supplicio. Exinde Damascenus lib. contra Manicheos circa finem ait: *Primaria voluntas est id, quod quisquam ex se ipso vult: Secundaria verò id, quo earum rerum, quæ contingunt, causa vult.* Pariter distinguunt in Deo Theologi voluntatem signi, & beneplaciti. Voluntas beneplaciti dicitur illa, per quam DEUS propriè, & formaliter aliquid vult: atque adeo re ipsa existit in Deo. Voluntas signi dicitur aliquis effectus externus, seu aliqua operatio externa, quæ ejus voluntas nobis significatur ad eum modum, quo testamentum indicans voluntatem testatoris vocatur voluntas testatoris, & ultimus codicillus dicitur ultima voluntas. Signa verò, & indicia, quæ apud nos indicant aliquam in Deo volitionem, assignantur communiter quinque hoc versiculo comprehensa. *Præcipit aut prohibet, permittit, consulit, implet.* Unde voluntas signi contrahi potest & ad voluntatem beneplaciti, & ad voluntatem Dei metaphoricam, qualis est illa *Gen. 6. Penituit Deum, quod hominem fecisset in terra.* Ex quibus deducet alios divinæ voluntatis affectus.

## DISPUTATIO XIV. DE CONSTITUTIONE ACTUS DIVINI LIBERI.

786. Quæstionem aggredimur inter omnes Theologicas difficillimam; pro qua multi plurimum defudarunt: Hinc variae sententiæ, quarum nulla adhuc planè satisfacit. Mysterium enim est à nobis pro statu hoc imperceptibile. Difficultas agnoscetur ex ratione dubitandi, quam sic propono. Deus liber est: Libertas enim, cum sit perfectio sine imperfectione verè, & propriè convenit Deo ex Resp. data n. 202. Quod etiam docet fides *Pf. 134. Omnia, quæcunque voluit Dominus, fecit.* Et *Pf. 93. Deus ultionum liberè egit.* Rursus Deus ex intrinseca sua perfectione simplicissimus est omnis expers compositionis: simplicitas autem, licet non excludat identitatem perfectionum inter se, vel in tertio, excludit tamen unionem, quæ requiratur, ut Deus perfectiones suas habeat; aliter non esset simplex.

omnino contra definitionem Lætanensis Maximi c. 3. Quæ habetur etiam, *de Summa Trinitate, & Fide Catholica* cap. 1. & constabit n. 392. Unde volitio Dei libera, utpote intrinseca perfectio volentis non potest uniri cum voluntate divina: sed debet cum ea identificari. Quomodo autem potest identificari cum voluntate? Voluntas enim divina est indefectibilis: volitio autem libera eo ipso, quod libera sit, potuit non existere: atque adeo est defectibilis. Quomodo autem potest reperiri identitas inter rem indefectibilem, & defectibilem? En maximam hujus disputationis difficultatem. Pro qua



## SECTIO I.

Exponuntur, & impugnantur  
contrariae sententiae.

787. **Q**uindecim sententias excogitarunt Theologi apud Ribadineiram *disp. 15. de Voluntate*. Quibus novissime possunt aliae superaddi. Eas autem omnes ad quatuor classes reducam. Prima classis est eorum, qui docent actum liberum DEI esse volitionem DEO adjectivè unitam, qua divina voluntas denominatur contingenter volens. Sicuti humanitas Christi denominatur subsistens, & personalizata per subsistentiam verbi sibi adjectivè unitam: & persona verbi denominatur unita humanitati per unionem hypostaticam sibi adhaerentem. Ita singulariter inter omnes Catholicos Bonafpes *tr. 1. dist. 13. dub. 5.* Cui consonat haereticus Bostrius Calvinista apud Becanum *q. 4. de Voluntate*, docens, decreta libera Dei verè esse accidentia ejus realia, distincta à divina substantia, ab eaque contingenter, & in tempore producta. Nec multum differt Aureolus *in 1. dist. 31. Part. 1. art. 4. & Part. 2. art. 4.* Negans Deo libertatem ad volendum, aut nolendum, solumque concedens libertatem ad producendum, vel non producendum.

788. Secunda classis est eorum, qui docent volitionem liberam Dei stare, secundum quod dicit pro forma volendi, in sola volitione necessaria, quæ actualiter denominatur liberè volens per aliquod extrinsecum complementum sive negativum, sive positivum consistens in effectu aliquo, actione, aut modo, quod se habet velut conditio, sine qua non: vel ut constitutum intrinsecum denominationis volendi. Quod sic explicatur: denominatio liberè volendi includit quatuor: nimirum voluntatem, volitionem, applicationem volitionis ad voluntatem, applicationem volitionis ad volitum. Tria prima identificantur cum Deo, & sunt ipsi necessaria: quarum verò nempe applicatio volitionis ad volitum consistit in extrinseco complemento, quod pro suo tempore produceretur. Cum autem hoc liberè produceretur, exinde applicatio volitionis ad volitum est Deo libera, quin addat aliquid supra praedicata Dei necessaria. Vide auctores hujus classis apud Herreram *q. 15. de Volunt. sect. 1.*

789. Tertia classis est eorum, qui admittunt quosdam modos essendi, quos vocant entia purè denominativa, sive habitudinem ad objectum non necessariam, quæ neque simpliciter est distincta ab entitate necessaria Dei, neque cum ea simpliciter identificata, sed distincta ante operationem intellectus ab ea entitate distinctione diminuta, & cum eadem entitate, diminuta identitate identificata. Quod sic explicant. Hæc terminatio contingens non est aliquis conceptus objectivus assumptibilis seorsim à Deo, sed est *Deum decernere*, acceptum in concreto, quod *decernere*, etsi involvat

Deum, & non sit duntaxat Deus, non addit aliud intelligibile seorsim à Deo: sicuti ens transcendens differentiam rationalis imbitur in rationali. Rationale verò non addit aliquod objectivum intelligibile seorsim ab ente, & quod ab ente non transcendatur. Unde etsi *Deum decernere* non identificetur realiter simpliciter cum Deo, cum de illo negetur: est enim falsa hæc propositio: Deus est decernere mundum: attamen non distinguitur realiter simpliciter à Deo, cum ad distinctionem simpliciter realem non sufficiat negare unum de alio, sed ulterius requiratur constituere numerum binarium cum alio. At *DEUM decernere* mundum non constituit numerum binarium cum Deo, eò quod DEUS transcendat totum illum conceptum, sicut ens non constituit numerum binarium cum rationali, eò quod transcendat totum rationale. Sic sonus Ba, licet includat aliquid supra sonum A, non constituit numerum binarium; quia non est in sono Ba aliquis sonus non includens sonum A. Exinde decretum liberum solum distinguitur à Deo distinctione reali diminuta, & identificatur cum illo diminuta reali identitate. Ita Ribad. *disp. 17. de Voluntate per totam*. Nec multum dissimilis est eorum sententia, qui dicunt denominationem esse identificatam cum Deo, at non deficere adhuc realiter secundum quid ullam virtualitatem ex defectu denominationis.

790. Quarta classis est eorum, qui docent actus liberos, & contingentes Dei esse virtualitates essentialiter, & simpliciter indefectibiles: defectibiles verò secundum quid, sive purè terminativè, & denominativè, quamvis cum DEO identificentur. Unde aliquid secundum quid, denominativè, & terminativè defectibile potest identificari cum Deo: cum autem essentia Dei, quæ est essentia hujus virtualitatis, sit indefectibilis, nunquam potest essentialiter, & simpliciter hæc virtualitas deficere, ut constat ex nrm. 718. Nec exinde potest dici, quando non datur virtualitas, quod simpliciter datur: nam manere simpliciter petit existentiam sufficientem, ut res sit; res autem petens duplicem existentiam, ut sit, simpliciter non existit, si utraque non est; sed nec simpliciter deficit, si manet aliqua, quæ est tota illius essentia. Exinde cum illæ terminationes sint specificativè defectibiles, & sint actus Dei liberi, aut contingentes, facile apparet, quomodo Deus intentionaliter se exercent liberè, & contingenter. Hanc sententiam sequuntur Salas, Fonseca, Henriquez, Palatius, Sylvester, Ovantus, Landulphus, Ant. Perez, Elparza, Martinonus, Hauldus, pluresque Thomistæ, quibus adherent Godo; & Gonet *disp. 3. de Volunt. art. 2. §. 5.*

791. Affero 1. contra auctores primæ classis. Volitio libera Dei non consistit in volitione creata, accidentali, aut producta. Probat. 1. Deus est in actu secundo liberè volens ab æterno: atqui ab æterno nulla datur creatura; ergo nulla datur volitio creata accidentalis, qua

qua Deus denominetur volens. Confirm. 1. ex Genes. 1. *In principio creavit Deus caelum, & terram.* Id est: Omnia, quae sive in caelo, sive in terra realiter à Deo distinguuntur; ergo &c. Confirmat. 2. ex Leone 1. *Epist. 93. ad Thurbium cap. 5.* dicente: *Solus Deus nullius participationis est indigens: de quo quidquid digne utcumque sentitur, non qualitas est, sed essentia.* Atqui si, ut DEUS habeat perfectionem volendi liberè, & contingenter, egeret volitione creata, perfectio volendi liberè non esset essentia Dei, sed qualitas; ergo &c. Confirm. 3. Antequam quidquam Deus produceret, habuit volitionem liberam, qua denominabatur volens. Sic ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* Prov. 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio;* ergo illa volitio libera Dei non stat in aliquo creato.

792. Prob. 2. Cognitio, & amor, ex conceptu suo perfectiones sunt amantis, & cognoscentis; atque nulla Dei perfectio potest esse à substantia Dei realiter distincta; aliter Deus non esset simplex omnino contra Lateranense Maximum cap. 2. dicens: *Cum substantia Patris indivisibilis sit, utpote simplex omnino.* Ut diximus n. 786. ergo &c. Confirm. 1. Ex Concilio Rhemensi, in quo approbatur est ab Eugenio illud, in quo definitur: Sapientiam Dei esse ipsum Deum: sed sapientia Dei non solum se extendit ad perfectionem necessariam, sed etiam ad contingentem; ergo &c. Confirm. 2. ex SS. PP. uno ore docentibus in Deo esse idem scientiam, & essentiam, ut constat ex n. 128. 214. & 216. Sed eadem est ratio de volitione & essentia; ergo &c. Confirm. 3. Sicut Deus distinguitur ab homine, ita volitio, qua vult Deus, distinguitur à volitione, qua vult homo, ut habet Augustinus in Ps. 32. *Quantum Deus distat ab homine, tantum voluntas Dei, à voluntate hominis.* Ubi, ut constat ex contextu, nomine voluntatis intelligit volitionem, qua in actu secundo Deus vult, sed non ita distaret, si volitio libera Dei non identificaretur cum voluntate; ergo &c.

793. Asero 2. Contra auctores secundae classis. Volitio libera Dei in esse liberæ non constituitur per extrinsecum complementum. Prob. 1. Res creata, quaecunque sit, pender à voluntate libera Dei, sive volente, sive permittente, ut ratione naturali facile demonstratur, & constat ex Paulo ad Ephes. 1. *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae:* atque si volitio libera DEI in esse liberæ constitueretur per complementum extrinsecum, res aliqua creata non penderet à volitione divina libera: etenim complementum illud creatum extrinsecum, cum à se ipso non dependeat, & constituat Deum in esse liberè volentis, non minus, quam frigiditas aquæ in esse frigidae, non penderet à Deo liberè volente; ergo &c. Conf. 1. Ideò volitio nostra libera non pender à volunta-

te liberè volente, sed à dominio voluntatis ad volendum, quia ipsa, ut procedat à voluntate, non praequirat voluntatem liberè volentem, sed dominium voluntatis ad volendum: atque complementum illud extrinsecum non praequireret voluntatem divinam liberè volentem, sed dominium voluntatis divinae ad volendum; ergo &c. Conf. 2. Dominium voluntatis ad volendum nequit denominari actu volens, nisi per terminum, qui sit ejus volitio: atque nullus terminus creatus est Dei volitio; ergo &c. Conf. 3. Hæc propositio est vera: Ideò res creata dabitur pro sua differentia temporis; quia Deus sive incentive, sive permissivè vult eam dari pro sua differentia temporis: & hæc est falsa: ideo Deus vult rem creatam dari pro sua differentia temporis, quia dabitur; ergo pro priori ad quantum; rem creatam præcedit volitio libera Dei; atque adeò in esse liberæ constitui non potest per rem ullam creatam.

794. Prob. 2. Quidquid includitur in hoc concreto: *Deus actu liberè volens*, est perfectio intrinseca Dei; est enim concretum vitale, quod ex intrinsecis suis adæquate pertinet ad intrinsecam perfectionem volentis: aliter sicut non repugnat, quòd Deus non producat ab æterno, producat in tempore, eò quòd concretum istud *Deus actu producat* includat aliquid, quod non est de intrinseca perfectione Dei, ita non repugnet, quòd Deus actu non volens ab æterno, actu veller in tempore: atque nullum extrinsecum complementum potest esse perfectio intrinseca Dei; ergo &c. Conf. 1. Volitio Dei necessaria, qua Deus denominatur actu volens, non potest constitui in esse necessariae per prædicata, quæ actu non sunt, licet sint necessariò possibilis; ergo volitio Dei libera, qua Deus actu denominatur liberè volens, nequit constitui in esse liberæ per prædicata, quæ actu non sunt, sed erunt liberè. Conf. 2. Extrinsecum complementum temporale non est sufficiens, ut omnipotentia denominetur actu producat ab æterno, licet eminenter contineat perfectionem omnium causarum producentium in tempore: ergo extrinsecum complementum temporale non est sufficiens, ut volitio divina dicatur actu volens ab æterno, licet eminenter contineat perfectionem omnium voluntatum volentium in tempore.

795. Probat. 3. De essentia volitionis, & cuiusvis actus vitalis est, quòd sit tendentia intentionalis in objectum; atque adeò, quòd actu sit formalis applicatio sui ad objectum: etenim applicatio actus ad objectum nihil aliud est, quàm tendentia illius in objectum: atque tendentia vitalis divini actus in objectum nequit constitui per aliquid creatum extrinsecum; aliter DEUS viveret per aliquid creatum extrinsecum; ergo &c. Confirm. 1. Si tendentia vitalis divini actus in objectum constitueretur per aliquid extrinsecum, tot imperfectionibus scateret, quot haberet res creata, qua constitueretur: sed hoc est im-

implicans ex terminis; ergo &c. Confirm. 2. SI DEUS nullo modo esset actu vivens ex tendentia sibi intrinseca, non posset esse actu vivens per objectum aliquid extrinsecum: ergo si ex se ipso non est contingenter vivens per tendentiam aliquam intrinsecam, neque poterit esse actu contingenter vivens per objectum aliquid extrinsecum. Confirm. 3. Deus ab æterno se exercet per actum vitalem contingentem, cum liberè ab æterno actu velit: atqui in ordine ad objectum creatum producendum nullum datur exercitium divinum ab æterno; ergo &c.

796. Prob. 4. Hæc sententia dum vult Deo concedere libertatem ad volendum, tollit à Deo libertatē ad nolendum: atq; adeo negat Deo perfectissimā rationem in esse liberi; ergo falsa est, & absurda. Prob. ant. De ratione perfectissimæ libertatis divinæ est non solum posse liberè vel le producere creaturas, sed etiam liberè posse nolle creaturam ullam producere: atqui juxta sententiam, quam impugnamus, non posset Deus liberè nolle creaturam ullam producere; cum notitio libera in esse libero dicat apud adversarios creaturam aliquam pro suo tempore à Deo productam, constituentem denominationem nolentis; ergo &c. Conf. 1. Illud complementum extrinsecum, vel esset res, vel modus rei? Si primum, ergo deberent produci & res, & modus, ut Deus denominaretur nolens. Si secundū, deberet produci modus: ergo: at ubi reciperetur? si nulla alia res esset creata, vel creanda? Certè si recursus non fiat ad subjectum phantasticum, esset modus sine subjecto, cujus sit modus. Quod satis ostendit hujus sententiæ absurditatem. Confirmat. 2. Modus ille utpote creatus, & finitus non posset habere supra se infinitas reflexiones; à Deo autem esset ordinabilis ad fines infinitos. Cur igitur producitur ex hoc fine, & non ex illo? à quo tollitur illa indifferentia, qua posset ad illos fines ordinari, & non ad istos? Sanè per complementum extrinsecum responderi non potest; ergo &c.

797. Prob. 5. Deus non solum est liber ad producendum, vel non producendum, sed etiam ad volendum, & nolendum: atqui si volitio Dei libera constitueretur in esse liberæ per complementum extrinsecum, licet Deus esset liber ad producendum, vel non producendum, non esset liber ad volendum, vel nolendum; ergo &c. Consequentia tenet. Major autem patet: quia creaturæ pendent à Deo volente, vel nolente pro sua libertate applicare omnipotentiam ad eorum productionem. Qua de causa volitio libera Dei se habet exercitè pro priori ad cujusvis creaturæ productionem: Sic Ps. 17. *Salvum me fecit, quia voluit me.* Ps. 134. *Omnia, quæcumq; voluit Dominus, fecit.* Eccl. 8. *Si Dominus magnus voluerit, spiritum intelligentia replebit illum.* Es. 43. *Si decrevit salvare nos, continuo liberabimur.* Unde Theologi sententiā Aureoli cit. 787. gravibus censuris inurunt. Fonseca, Sa-

R. P. Gormaz Theolog. Tom. I.

las, & Zumel dicunt eam à cæteris Theologis rejici tanquam parum consentaneam divinis scripturis, & in se valde absurdam. Exim. Doctor, & Gonzales nullo modo defendi posse juxta principia fidei. Ruiz non posse sine errore defendi. Videantur hic autor *disp. 11. de Vol. se. 2.* Et Isquierdo *disp. 31. q. 2. prop. 2. n. 100.* Varias Theologorum censuras referentes.

Minor autem prob. Exercitium divinum volendi, & exercitium producendi ad extra complementum extrinsecum in eo distinguuntur, quòd exercitium volendi utpote vitale est Deo intrinsecum: exercitiū verò producendi ad extra utpote extra Deum, neque est Deo vitale, neque intrinsecum: atqui in sententia adversariorum, licet Deus dicatur liber ad producendum ad extra, vel non producendum, non dicitur liber ad exercitium ullum sibi intrinsecum; ergo juxta adversarios, licet Deus esset liber ad producendum, vel non producendum, non esset liber ad volendum, vel nolendum. Confirm. 1. Voluntas non fertur necessariò intentionaliter in objectum per id, quod est necessariò extra voluntatem: sicuti neque intellectus exprimit intentionaliter objectum per id, quod est extra illum: ergo neque fertur contingenter in objectum per id, quod est contingenter extra voluntatem, sed per id, quod est intra voluntatem contingenter: atqui apud adversarios nihil daretur contingens intra divinā voluntatem; ergo &c. Conf. 2. Vel omnipotentia libera ad producendum, & non producendum ad extra includit aliquid, quod non includit voluntas libera ad volendum & nolendum, vel non? Si primum, ergo includit volitionem contingentem; nihil enim aliud assignabile est, ut expendenti constabit. Si secundum, ergo non est in Deo alia libertas, quam ad producendum, & non producendum ad extra.

799. Assero 3. Contra Auctores tertiæ classis. Actus liberi Dei non consistunt in habitudine Dei ad objecta non necessaria, distincta ante operationē intellectus ab ea entitate distinctione reali diminuta, & cū eadem entitate diminutā reali identitate identificata. Probat. 1. Si actus liberi Dei distinguerentur ante operationem intellectus ab entitate Dei distinctione reali diminuta, actus liber Dei essentialiter, & absolute non esset Deus: atque adeo includeret aliquid, quod non posset de Deo realiter prædicari: atqui, quod non est Deus, neque potest de Deo realiter prædicari, non potest habere cum Deo ullam realem identitatem diminutam; ergo hæc sententia implicatoria est. Conf. 1. Vel illud, quod realiter diminutè à Deo distingueretur, posset Deo deficere, vel non: Si primum, ergo actus liberi Dei sunt defectibiles, quod adversarii negant. Si secundum, ergo sunt necessarii: atque adeo ex hac explicatione non potest conciliari divina libertas. Confirm. 2. Quando Deus liberè vult, vel volitio libera habet aliquam identitatem cum Deo ultra identitatem realem diminutam, vel non.

Si primum; ergo habent identitatem defectibilem. Si secundum; ergo solum habent necessitatem denominandi DEUM, atque adeo non potest DEUS ex hoc titulo dici liberè volens.

300. Probat. 2. In illo concreto: Deum decernere mundum, datur objective aliquid præter totam substantiam necessariam Dei; aliter concretum illud non esset defectibile; cum tota Dei substantia indefectibilis sit; ergo illud aliquid vel realiter, & absolute potest negari de Deo, vel non: si primum, ergo realiter absolute distinguitur à Deo. Si secundum, ergo realiter absolute identificatur cum Deo; atque adeo aliquid defectibile, seu actus liber Dei secundum terminationem, quam dicit defectibilem, realiter absolute est Deus, & concretum istud Deum decernere est Deus realiter absolute. Confirm. 1. Exemplo adducto ab adversariis. Licet sonus Ba non possit dividi à sono A: attamen sonus A. dividi potest à sono Ba: etenim sonus Ba ultra sonum A. addit modum litteræ mutæ B. atque adeo licet non constituat dualitatem compositam ex duabus vocalibus, at constituit dualitatem compositam ex vocali, & modo vocalis: atqui ubi datur dualitas, dantur extrema realiter absolute distincta; ergo &c. Conf. 2. Actio productiva termini entitativi constituit dualitatem cum suo termino; non quidem ex entitate, & entitate consurgentem, sed ex entitate, & modo entitatis eo præcise, quod terminus possit essentialiter separari ab actione, licet actio non possit separari à termino, quod sufficit, ut actio distingatur realiter, & absolute à suo termino; ergo si eodem modo se habet hoc concretum Deum decernere respectu hujus entitatis Deus, concretum istud Deum decernere includit aliquid realiter distinctum à Deo: atque adeo constituetur Deus liberè decernens, & volens per aliquid reale à se distinctum, quod negant adversarii. Unde hæc sententia vel incidit in alias jam impugnatas, vel admittit vitalitatem Dei realiter à Deo distinctam contra Dei simplicitatem; vel negat Deo libertatem, vel non venit ad rem exemplum de transcendentia; cum res transcendens, & indefectibilis necessariò identificetur realiter cum re, quam transcendit.

301. Fit 1. Non posse constitui actum liberum DEI per terminationem non defectibilem realiter, & solum defectibilem virtualiter. Ratio est, quia illa denominatio liberè volentis, vel includit realiter aliquod abstractum, quod non includatur in prædicatis necessariis Dei, vel non. Si primum, ergo illud abstractum realiter poterat deficere: atque adeo secundum terminationem est defectibile. Si secundum, ergo ea denominatio non est liberè volentis, sed necessariò volentis: repugnat enim in terminis existere omnia, & singula constitutiva denominationis, & denominationem non esse. Et pariter implicat novam verificari denominationem liberi, & exercitii,

sive ulla nova liberi, & exercitii forma, seu quasi forma. Quinimò ut in illa denominatione detur aliquid virtualiter à DEO distinctum, debet assignari tertium, ratione cujus distinguatur, ut constat à num. 130. Sed respectu actuum liberorum nullum est assignabile tertium, nisi denominatio opposita, ratione cujus hæc impediretur, & deficeret, ut constat 171. Ergo illa virtualitas esset realiter terminativè defectibilis.

Fit 2. Actum liberum Dei quæ liberum non posse dici virtualiter defectibilem, & realiter indefectibilem, aut virtualiter productum, & realiter improductum. Ratio est, quia illa terminatio defectibilis, cum sit identificata cum Deo, etsi ab ipso virtualiter distinguatur, nequit dici virtualiter producta, sicut non possunt dici personalitates virtualiter productæ à natura, vel e contra. Unde vel terminatio illa defectibilis exigit necessariò existere, & sic non erit defectibilis, quod in ipsis terminis manifestè implicat: vel non exigit necessariò existere; atque adeo realiter erit defectibilis; ergo cum indefectibilitate reali quoad terminationem nequit stare divina volitio libera. Unde hæc sententia revera negat Deo libertatem realem, & solum quoad voces concedit libertatem virtualem; etenim volitionem existere realiter, & virtualiter, vel est aliquid supra hoc, quod est existere totam realitatem volitionis, vel non? Si primum, ergo illud aliquid, quo volitio realis virtualiter existit, distinguitur saltem virtualiter à realitate volitionis, & identificatur realiter cum realitate volitionis: sed illud aliquid est defectibile, ut de facto patet in volitione secundi mundi; ergo aliquid distinctum virtualiter à divina volitione, & cum ea realiter identificatum est defectibile, quod adversarii negant. Si secundum, ergo quocumque existit realiter tota realitas volitionis, existit etiam virtualiter: atqui per vos realiter existit de facto tota realitas volitionis efficax secundi mundi; ergo de facto existit realiter, & virtualiter volitio efficax secundi mundi: ac proinde DEUS de facto vult efficaciter secundum mundum, quod dici non potest.

## SECTIO II.

### Exponitur & probatur vera sententia.

Assero cum Auctoribus quartæ Classis. Actus Dei liber est virtualitas realiter identificata cum Deo, quæ secundum quid, sive terminativè, & denominativè est defectibilis, prout potuit non existere pro libero DEI. Probat. 1. Non minus est DEUS cum necessitate simplicitatis ad intra liber, quam sit cum necessitate unitatis ad intra secundus: sed ex eo, quod Deus sit cum necessitate unitatis ad intra secundus, identificatur in Deo mul-

multiplicitas cum unitate; ergo ex eo, quod sic cum necessitate simplicitatis ad intra liber, identificatur in Deo defectibilitas cum indefectibilitate; ergo actus liber Dei &c. Minor est de fide, & consequentiæ tenent; quia exercitium libertatis non minus affert secum defectibilitatem, quam exercitium fecunditatis affert multipliciter. Major verò probatur. Si Deus solum esset ad extra, & non ad intra liber, omne exercitium liberum DEI posset haberi in tempore, licet non haberetur ab æterno; atque adeo posset Deus liberè velle in tempore, quamvis non veller liberè ab æterno. Sicut potest liberè producere creaturas in tempore, quamvis eas non producat ab æterno: sed hoc manifestè est absurdum, ut constat à n. 791. ergo &c.

804. Confirm. 1. Ideo non potest Deus habere volitionem in tempore, quam non habeat ab æterno; quia volitio utpote actus vitalis pertinet ad perfectionem Dei, sive ad prædicatum ad intra; Perfectio autem Dei, sive prædicatum ad intra; cum identificetur cum Deo, debet habere omnem perfectionem possibilem in sua linea: atque adeo cum divinæ libertati solum opponatur necessitas ad eliciendum actum, non verò exigentia, ut si eliciendus sit, duret ab æterno, & in æternum; exinde actus, qui hanc perfectionem non haberet, non esset divinus, sed limitatus. Quare Deus impotens velle per actum limitatum, non potest velle per actum, qui ex suppositione, quod existat, non duret ab æterno, & in æternum: atqui hæc ratio nulla esset, si volitio libera Dei constitueretur in esse liberæ per aliquid Deo extrinsecum; ergo &c. Confirm. 2. Non repugnat in Deo ex titulo fecunditatis multiplicitas identificata cum unitate; ergo neque repugnat Deo ex titulo libertatis defectibilitas identificata cum necessitate. Prob. conseq. quia non minus est mysterium hoc, quod reperitur in divina libertate; quam istud, quod reperitur in divina Trinitate, ut constat ex Paulo ad Ephes. 1. de Deo dicente, *Sacramentum voluntatis suæ*; ergo &c.

805. Probatur 2. ex D. Thoma 1. contra Gentes c. 82. ubi hæc habet: *Voluntas Dei uno, & eodem actu vult se, & alia: sed habitudo ejus ad se est necessaria, & naturalis: Habitudo autem ejus ad alia est secundum convenientiam quandam, non quidem necessaria, naturalisque, neque violenta, aut innaturalis, sed voluntaria.* Mòdò sic: Libertas Dei ex D. Thoma non consistit in indifferentia ad habendos de facto actus realiter distinctos: adeoque in eodem actu debemus propter summam sui perfectionem; & simplicitatem assignare & rationem necessarij, & rationem liberi: quæ ratio assignatur à D. Thoma per habitudinem voluntariam; ergo idem actus ut terminatus ad Deum, est necessarius, & ut terminatus ad creaturas est liber: & consequenter actus liber non addit actum, sed terminationem ad creaturas, quæ terminatio,

quamvis voluntaria, ut ait D. Thomas, adeoque libera, & defectibilis, identificatur cum eodem actu dei necessario. Confirm. In eodem actu intrinseco dei distinguit D. Thomas duas habitudines, alteram quidem necessariam, quæ terminatur ad Deum, & non ad creaturas; alteram verò liberam, & voluntariam, quæ terminatur ad creaturas: atqui non potest idem actus revera constitui ex duabus illis habitudinibus, quin virtualitas libera, & defectibilis identificetur cum necessaria, & indefectibili, ita ut tendentia libera supra necessariam solum addat terminationem, quæ ex jure dei libero ponitur, solumque potest deficere terminativè, non verò simpliciter, & essentialiter ex dictis à n. 715. ergo &c.

806. Prob. 3. deus non potest liberè velle per aliquid extra Deum, ut constat à n. 793. ergo liberè vult per aliquid sibi intrinsecum, & cum ipso identificatum: atqui si illud, quod additur supra actum necessarium, non esset liberum, & defectibile, deus non veller liberè, sed omnino necessario; ergo virtualitas illa superaddita quoad terminationem, & denominationem est defectibilis. Confirm. non minus difficile est filiationem produci, & naturam indivisibilem realiter cum illa identificatam non produci, quam sic difficile Deum indefectibilem esse, & volitionem liberam potentem identificari cum deo non esse indefectibilem: sed produci, & non produci identificantur inter se ex titulo infinitæ perfectionis divinæ; ergo etiam defectibile, & non defectibile possunt identificari inter se ex titulo infinitæ perfectionis divinæ.

807. Respondebant olim quidam recentiores produci, & non produci quam optime componi posse beneficio distinctionis virtualis intrinsecæ, cum productio non sit effectus primarius, sed secundarius distinctionis realis: at deficere, & non deficere non posse ita componi, quia hoc imbibit separationem unius ab alio: & separatio non est effectus secundarius, sed primarius distinctionis realis. Effectus enim primarius est unum non esse aliud: separatio autem duorum secum præfert, quod unum non sit aliud: aliter tota Philosophia perturbaretur. Hæc responsio, quæ multum fidit in principijs Philosophiæ, totam destruit philosophiam. Principia enim philosophica vera nequaquam essent, si extenderentur ad infinitam Dei perfectionem, quæ rationem naturalem exsuperat: sic falsum esset hoc principium: quæ sunt eadem uni terrio, sunt idem inter se. Unde principia philosophica, ut vera sint, solum se debent extendere ad prædicata, in quibus reperitur motivum rei limitatæ à nobis assequibile. Quare quidquid supra Ethnicorum Philosophiam Catholici invenerunt, ista ad verborum responsio potius evertit. Quod ut appareat.

808. Contra 1. effectus primarius distinctionis realis negat identificabilitatē unius cum alio: atqui effectus primarius separationis non est negare identificabilitatem unius cum alio; ergo &c.

&c. Major, & consequentia tenent. minor verò pater; quia effectus primarius separationis solum negat inseparabilitatem: atqui inseparabilitas neque est identitas, neque identificabilitas unius cum alio; unio enim inter materiam & formam est inseparabilis ab extremis, & non est identificata, neque identificabilis cum illis: Personalitates divinæ sunt mutuo inseparabiles, & non sunt identificatæ, neque identificabiles inter se: Pariter de actione respectu termini, & agentis, & de millenis alijs, ut ex Philosophia constat; ergo &c. Contrà 2. & explicatur magis hæc ratio: Licet separabilitas in rebus finitis arguat negationem identificabilitatis; cum sit separabilitas simpliciter, & essentialis, non exinde potest arguere negationem identificabilitatis in actibus Dei liberis: qui non sunt separabiles simpliciter, & essentialiter ab ipso Deo; sed solum secundum quid, sive pure terminativè, & denominativè ex n. 715. Atqui ubi non datur negatio identificabilitatis, dari potest vera identitas; ergo &c.

809. Probatur 4. Conclusio. Deus ab æterno est per statum liberè volens, ut constat ex testimonijs Scripturæ adductis n. 791. & ex ratione n. 804. ergo per statum est omne id, quod necessarium est, ut actu sit liberè volens: atque adeò est per statum aliquid liberum ultra volitionem necessariam: sed ut constat ex Fide, non est per statum ab æterno ulla creatura: ergo illud liberum, quod per statum additur ab æterno volitioni necessariæ, non est quid creatum, sed divinum, identificatum cum Deo; ac proinde, cum liberum modo, quo est liberum, potuerit deficere, datur ab æterno aliquid identificatum cum Deo, quod potuit deficere, quod nihil aliud est nisi libera terminatio, de qua loquimur. Confirm. 1. Si non daretur ea terminatio defectibilis ab æterno, Deus per statum non decerneret ab æterno, quasnam creaturas veller, & quasnam noller producere, aut permittere in tempore: sed hoc est contra Scripturas citatas; ergo &c.

810. Confirm. 2. Si actu Deum liberè velle ab æterno non stare in ea virtualitate quoad terminationem defectibili, sed in termino extrinseco producendo in tempore, loquutiones Scripturæ non nisi absurdè possunt exponi: ea enim propositio 1. ad Cor. 12. *Hec omnia operatur unus, atque idem spiritus dividens singulis, prout vult, ita deberet exponi: dividens singulis prout dividit.* Et ista: *Omnia, quacunque voluit, fecit,* redderet hunc sensum: *Omnia que fecit, cum posset non facere, fecit,* quod est ridiculum. Denique ista: *Salvum me fecit, quoniam voluit me:* sic deberet interpretari: *Salvum me fecit, quoniam salvum me fecit,* quæ est nugatoria repetitio; ergo &c.

811. Fit 1. Volitionem Dei necessariam utpote simpliciter infinire perfectam continere omnem perfectionem sine imperfectione: atque adeò continere formaliter omnem perfectionem ad necessariò actu volendum; perfectionem verò

ad actu volendum liberè continere, non quidem formaliter in se, sed in jure ad eam habendam secum identificatam absque alterius ope, & influxu; vel ad habendam oppositam æquè perfectam: Ratio est, quia continentia perfectæ non est chymærica, sed possibilis: atqui si volitio Dei necessaria ultra omnem perfectionem ad actu necessariò volendum, contineret etiam necessariò formaliter in se, & non solum in eo jure perfectionem ad actu liberè volendum, ea non esset perfectio possibilis; sed chymærica: etenim, cum illud actu velle non esset Deo liberum, sed necessarium, chymericum profus esset, quòd ita actu veller, & quòd non necessariò, sed liberè veller; ergo &c.

Fit 2. Hoc concretum identificatum cum Deo nimirum, *Deus actu liberè volens*, sive Deus actu liberè decernens continere duplicem virtualiter distinctam identitatem: Alteram quidem se tenentem ex parte prædicati absoluti necessarij; alteram verò se tenentem ex parte terminationis liberæ ad eum modum, quo hoc concretum identificatum cum Deo, nimirum filius constitutus ex natura, & filiatione, continet duplicem virtualiter distinctam identitatem, alteram quidem se tenentem ex parte naturæ: alteram verò se tenentem ex parte filiationis. Unde, sicut in hoc concreto filius identitatis virtualis se tenens ex parte filiationis est producta, & nihilominus identificatur cum identitate se tenente ex parte naturæ, quæ est improducta: ita etiam in hoc concreto, Deus liberè volens identitatis se tenens ex parte terminationis liberæ est defectibilis: & nihilominus identificatur cum identitate se tenente ex parte voluntatis, & volitionis necessariæ, quæ est indefectibilis. Hæc enim, licet in creatura propter suam limitatam perfectionem verificari non possit: in Deo autem propter suam infinitam perfectionem potenter admittere distinctionem virtuales intrinsecas ex dictis n. 124. facile componuntur. Quare sicut in Deo ista est irreductibilissima argumentatio: Filiatio est natura: sed filiatio est producta; ergo natura est producta: ita etiam est inutilissima argumentatio: Volitio libera est Deus: sed volitio libera est defectibilis; ergo Deus est defectibilis.

Fit 3. Terminationem liberam Dei, quæ actu quoad terminationem non datur, neque identificatur cum Deo, potuisse actu dari, & identificari cum Deo. Quare distinctio realis inter Deum, & actum liberum probanda non est ex defectu identitatis terminativæ, sed ex defectu identificabilitatis cum Deo, essentia autem illius terminationis, quæ est essentia necessaria Dei, est etiam necessaria identificabilitas ejus terminationis cum Deo, sive cum essentia Dei. Sic pro signo Paternitatis intelligitur natura, & non intelligitur filiatio, quin intelligatur pro eo signo natura distincta realiter à filiatione, ex eo, quòd sit essentia filiationis sive identificabilitas cum filiatione. Unde est factus

fectus primarius distinctionis realis prout comprehendit prædicata divina, & creata, non fit in eo, quod unum prædicatum actu non fit aliud, sed in eo, quod ex intrinsicis suis neget identificabilitatem cum alio. Sic paternitas ex intrinsicis suis negat identificabilitatem cum filiatione, & volitio efficax hujus mundi ex intrinsicis suis negat identificabilitatem cum nolitione efficaci hujus mundi, ex dictis à n. 171.

814. *Fig. 4.* Nullum prædicatum posse deficere Deo, adhuc defectibilitate contingentiæ ex suppositione, quod sit divinum; sed solum specificativè, antequam foret. Ratio est, quia solum potest denominari actus divinus ille, qui identificatur cum divinitate: sicut solum potest denominari homo albus ille, cui unitor albedo; sed actus semel identificatus cum divinitate nullo modo potest deficere, ut constat ex num. 804. Aliter Deus posset retractari, & mutari, quod ex ipsis terminis implicat; ergo &c. Quapropter, quando dicitur actum Dei esse defectibilem, non intelligitur de actu divino reduplicativè sumpro, sed specificativè accepto, nempe de actu, qui potuit esse divinus; actus enim divinus reduplicativè acceptus est actus habens omnem perfectionem in sua linea possibilem, quam non haberet, si ex suppositione existentiae posset deficere: atque adeo cum actus ille non habeat perfectionem, nisi prout est divinus, nulla divina perfectio est amissibilis, aut defectibilis. Quinimò juxta communem sententiam docentem defectibilitatem propriè, & absolutè prolatam significare rem, postquam exitit, posse deficere, & deficere esse quoddam corrumpti, ut loquitur S. Thomas 2. *contra Gentes* c. 25. ad 3. Actus divinus non erit propriè, & absolutè defectibilis, sed solum impropriè, & cum addito limitante modo dicto.

### SECTIO III.

#### *Solvuntur opposita.*

815. *Objic. 1.* Impossibile est, purè divinum esse secundum omnia constitutiva sua id, quod potest non existere: sed volitio Dei libera per modum actus secundi, sive exercitium divinæ libertatis denominantis volitum mundum v.g. potius, quam nolitum potest non existere. Ergo impossibile est tale exercitium esse purè divinum secundum omnia constitutiva sua. Major est evidens, quia purè divinum est purè necessarium, cum sit realiter *DEUS præcisè*: si autem non esset purè necessarium id, quod est realiter *DEUS præcisè*, illud posset non existere, & non posset non existere, quæ est formalissimè complexio contradictionis. Minor videtur non minus evidens supposita libertate indifferentiæ, & negata fatali necessitate DEI; actus enim secundus, sive exercitium libertatis indifferentiæ est contingens:

ac proinde potest existere, vel non existere; quod si non esset contingens, non posset suspendi. Si autem non posset suspendi, contra suppositum non daretur libertas indifferens ad illud exercitium, & non ad illud.

Confirm. 1. Implicat in terminis, *DEUM* esse indifferentem, ut entitativè sit in se, quod non est, & non sit, quod est: sed *DEUS* ita esset indifferens, si exercitium divinæ libertatis denominantis volitum mundum esset totum entitativè ipse *DEUS*; ergo non est. Majore evidentius nihil. Quia terminus illius indifferentiæ est, quod idem sit non idem: & non idem sit idem. Minor probatur. Nam Deus quateus habens libertatem indifferentiæ ad volendum, & nolendum mundum, indifferens est, ut sit exercitium denominandi volitum, aut exercitium denominandi nolitum: atqui defacto juxta doctrinam nostram Deus entitativè est totum exercitium denominandi volitum mundum, atque entitativè non est totum exercitium denominandi nolitum; ergo defacto est Deus indifferens, ut entitativè non sit, quod est, exercitium denominandi volitum; & entitativè sit, quod non est, exercitium denominandi nolitum. Confirm. 2. Ex terminis est incredibile potuisse esse nihil, quod est *DEUS*, & potuisse esse *DEUM* nunc quod nunc est nihil: sed hoc creditur apud nos, qui dicimus exercitium denominandi volitum mundum, quod nunc est Deus, potuisse non existere: exercitium autem denominandi nolitum, quod nunc non existit, potuisse esse Deum; ergo &c. Hoc argumentum servata sua forma, & mutata materia æquè ac doctrinam nostram impugnat mysterium SS. Trinitatis, ut satis constat ex dictis tota ista disputatione. Quare

817. *Resp. dist. maj.* Secundum omnia constitutiva sua essentialia conc. secundum purè terminativa subdist. Si sumantur reduplicativè ut divina conc. si sumantur purè specificativè, & objectivè ut identificabilia, sive ut potentia existere, & identificari cum Deo neg. maj. ejusque probationem sub eadem distinctione ex num. 814. & dist. min. potest non existere, si sit divinum neg. si non sit conc. min. & neg. consequentiam. Ad minoris probationem dist. ant. est contingens consequenter, & ex suppositione, quod sit divinum neg. antecedenter, & purè specificativè sumprum subdist. Simpliciter, & essentialiter neg. secundum quid, sive purè terminativè; & denominativè conc. ant. & neg. consequentiam. Ratio est, quia ex eo, quod essentia illius terminationis sit essentia necessaria Dei, quæ non potest deficere, ea terminatio essentialiter sumpra, atque adeo & Deus deficere nequit, ut satis constat num. 790. Quare ea terminatio solum potest deficere secundum quid, & purè specificativè, in quo nulla est imperfectio, sed summa perfectio, quam affert libertas intrinseca Dei simpliciter infinita.

Ad

§18. Ad primam confirmationem dist. maj. Ut entitativè sit in se, quod non est entitativè, sive substantivè, & essentialiter conc. quod non est denominativè subdistinguo consequenter, & ex suppositione, quod non sit conc. antecedenter, & prout potuit esse neg. maj. ejusque probationem sub eadem distinctione, & dist. eodem modo min. neg. conf. ad minoris probationem dist. maj. indifferens est, ut sit exercitium denominandi volitum sumpro exercitio illo secundum essentiam suam neg. secundum puram terminationem subdistinguo: consequenter, & ex suppositione, quod sit neg. antecedenter, & prout potuit non esse conc. maj. & dist. eodem modo min. neg. conseq. Ad secundam confirmationem conc. maj. in sensu explicato, & neg. min. quia non potest dici absolutè nihil, quod manet quoad essentiam suam. Unde solum potest dici non esse secundum quid, & purè terminativè, quod nulla est imperfectio, sed perfectio conciliativa libertatis Dei cum summa ipsius simplicitate, ut constat à n. 803.

§19. Itaque si hoc argumentum bene expendatur, nihil aliud præfert, nisi puram probationem principii sub caligine terminorum. Diximus enim, & latè probavimus n. 803. Terminationem illam essentialiter sumptam esse essentiam necessariam Dei, atque adeò Deum non esse liberum ad eam terminationem essentialiter consideratam, cum non sit liber ad habendam, vel non habendam suam essentiam, quæ ex intrinsicis suis est identificabilitas cum ea terminatione, quamobrem DEUS non est liber, ne sit identificabilis cum tali terminatione. Diximus insuper eam terminationem quidditativè acceptam esse virtualitatem, quæ pro libero jure Dei potuit non esse secundum partialem identitatem se tenentem ex parte ipsius virtualitatis: secus autem secundum partialem identitatem se tenentem ex parte essentiae, ac proinde non esse simpliciter, & essentialiter, sed solum secundum quid, & purè terminativè defectibilem ex n. 790. & 812. Unde nec Deus, nec ejus essentia est defectibilis. Sic Pater in divinis producit filium quoad partialem identitatem virtualem se tenentem ex parte virtualitatis filiationis, secus autem quoad partialem identitatem virtualem se tenentem ex parte virtualitatis naturæ, quæ absoluta est, & improducibilis. Unde sicuti produci virtualitatem identificatam cum essentia non est produci essentiam; ita & esse defectibilem virtualitatem contingentem identificabilem cum essentia, non est esse defectibilem essentiam.

§20. Obj. 2. Instando solutionem. Nequit Deus liberè velle per volitionem realiter ab ipso distinctam. Atqui si formalitas volitionis liberæ hujus mundi potuisset realiter ab æterno non esse in Deo, Deus vellet per volitionem realiter ab ipso distinctam; ergo &c. Probat. min. Nullum est evidentiùs signum distinctionis realis, quàm realis separabilitas; sed ex eo,

quod volitio libera hujus mundi potuerit realiter ab æterno non esse in Deo, intercederet realis separabilitas inter volitionem liberam hujus mundi, & ipsum Deum; ergo &c. Confirm. 1. Unum non esse realiter aliud est distingui realiter ab illo: sed Deus non est notitio hujus mundi, qua Deus ab æterno nolle potuit; ergo potuit Deus ab æterno nolle per notitionem realiter ab ipso distinctam. Confirm. 2. Quæ possunt separari quoad locum, ita distinguuntur intrinsicè, ut non possint identificari realiter; ergo quæ possunt separari quoad existentiam in rerum natura, ita distinguuntur inter se, ut non possint identificari realiter: etenim non est minus evidens contradictio, quod idem possit existere simul, & non existere in rerum natura, quàm quod idem possit existere simul, & non existere in loco A.

Resp. Conc. maj. & neg. min. ad probationem dist. maj. quàm realis separabilitas essentialiter sumpta conc. purè terminativè, & denominativè accepta neg. maj. & dist. min. neg. conseq. Ratio est, quia ex eo, quod solum sit separabilitas terminativa, relucet in ea formalitate vera identificabilitas ex n. 813. Ad proinde non manet locus reali distinctioni. Ad primam confirmationem dist. maj. non esse per exclusionem identificabilitatis conc. præcisè actualis identitatis neg. maj. & dist. min. neg. conseq. ex dictis eodem numero. Ad secundam confirmationem conc. ant. & neg. consequentem, quia quando duo possunt separari realiter quoad locum, separantur essentialiter, & simpliciter, sicque non habent omnem perfectionem possibilem: cum nulla perfectio intrinseca entis summè perfecti sit impossibilis cum immensitate: atque adeò nequit exigere separationem localem ab altera. Unde ea mutua separabilitas verè negat identificabilitatem, at verò separari quoad exercitiù non est separari essentialiter, & simpliciter, sed purè denominativè, quod non negat identificabilitatem unius cum alio, cum sit de exigentia entis summè perfecti ex jure libertatis ad intra ex n. 803. Unde nulla est paritatis ratio.

Obj. 3. In Deo omnia sunt communia, nisi ubi adest oppositio relativa producentis & producti, ut habet axioma comune Theologicum cum Anselmo; atque adeò omnia sunt identificabilia, si nõ intercedat ea oppositio: sed juxta principia nostra nõ ita esset; cum volitio & notitio efficaces hujus mundi, utpote ex intrinsicis suis impossibiles non solum dicerent exclusionem actualis identitatis, sed etiam identificabilitatis; ergo &c. Resp. dist. maj. sunt communia omnia, quæ reperiri simul possunt in DEO, conc. quæ simul reperiri non possunt neg. maj. & concessa min. neg. conseq. Ratio est, quia illud Theologorum axioma solum intelligitur de prædicatis, quæ actu sunt in Deo: secus de denominatione, quæ actu est in Deo ex intrinsicis suis excludens aliam, quæ poterat esse: nam similes denominationes habent inter se oppositionem impediens, & impediti, ut pa-

ter in volitione efficaci hujus mundi, quæ ex intrinsicis suis impedit, & impossibilis est cum nolitione efficaci hujus mundi: ea enim, quæ inter se componi non possunt, non sunt inter se identificabilia, ut constat à num. 171. Arque adeò secundùm denominationem sunt inter se realiter distincta.

823. Adest autem inter utramque oppositionem hoc grande discrimen, nimirum, quod ea, inter quæ versatur oppositio producentis, & producti, possunt simul existere: ac proinde simul existunt patet producentis, & filius productus. At verò ea, inter quæ versatur oppositio impediens, & impediti, non possunt simul existere. Quare volitio, & nolitio efficaces hujus mundi non possunt existere simul: unde non possunt reperiri simul in DEO prædicata realiter distincta, nisi ratione oppositionis producentis, & producti. Neque ullus alius est verus sensus illius axiomatis.

824. Obj. 4. Quidquid contingenter existit, ita ut pro libito Dei potuerit non existere, accipit à Deo esse per productionem; ac proinde realiter ab illo distinguitur: atqui formalitas volitionis liberæ ita existit, ut pro libito Dei potuerit non existere; ergo accipit à Deo esse per productionem, ac proinde realiter ab illo distinguitur: Unde actus liber Dei non est adequatè intrinsicus Deo. Confirmat. 1. Quod contingenter existit, non est à se, sed ab alio: atqui esse ab alio est accipere esse per productionem; ergo &c. Confirm. 2. Ut hæretici Ariani defenderent verbum divinum esse creaturam dicebant ipsum contingenter, & liberè existere: Econtra PP. & consilia, ut tuerentur verbum esse Deum, docebant existere necessariò, & non liberè, vel contingenter: ergo certum erat aquid PP. & concilia ut tuerentur verbum esse Deum, docebant existere necessariò, & non liberè, vel contingenter; ergo certum est apud SS. PP. & Concilia posse esse Deum illud prædicatum, cui adest contingentia in existendo. Resp. dist. maj. quidquid contingenter existit essentialiter, & simpliciter conc. purè terminativè, & denominativè neg. maj. & dist. min. neg. conseq. ut constat ex dictis.

825. Ad primam confirmationem dist. eodem modo præmissas, & neg. conseq. quia si non est ejus contingentia simpliciter, & essentialis, habet essentialitatem necessariam, quæ est à se: ac proinde non est ab alio, ut constat ex n. 34. Ad secundam confirmationem dist. ant. ut tuerentur in sensu controversiæ conc. extra illum sensum neg. ant. & conseq. Ratio est, quia Catholici docebant verbum divinum necessariò à Patre produci, atque adeò ab æterno communicari ipsi per identitatem naturam Patris. Hæretici verò docebant, non produci ab æterno, sed in tempore: atque adeò non habere omnem perfectionem in linea sua, & exinde esse creaturam. Eorum fundamentum erat, quia, quod producitur à Patre, producitur in

tempore, & liberè; ac proinde est minus ætate producente: minoritas autem ætatis planè significat productionem in tempore. Nequè in hoc dubitare potest, qui legerit Athanasium Orat. 2. & 4. contra Arianos, ubi ait, eos confueros fuisse hoc modo philosophari cum mulierculis: dic mihi, habuisti ne tu filium, antequam pareres; nullo modo. Ergo tu major es natu, quàm filius tuus. Quis dubitat? at isti (id est Catholici) dicunt Patrem habuisse filium, antequam gigneret, nec esse majorem ætate filio, quem genuit. In quo argumento plura falsa continentur, ut habet Athanasius, & Basilus lib. 2. contra Eunomium.

826. Ad diluendam enim illam interrogationem Arrianorum ad mulierculas inquit, Athanasius, interrogemus etiam nos ad architectum hoc modo. Potesne tu domum ædificare sine materia? Respondèbit non possum, non potes tu? ergo neque DEUS poterit mundum ex nihilo condere sine materia, en consequentiam; quæ ad extremas angustias duxit Arianos. Quare eorum sophisma facilè solvitur dicendo: Patrem genuisse filium existentem per productionem necessariò procedentem à Patre tota æternitate; qua existit Pater: sicuti in tempore sol producit splendorem existentem per productionem procedentem à sole toto tempore, quo existit sol. Unde, sicut malè arguitur existere aliquo tempore solem sine splendore, vel quin producat splendorem; ita malè arguitur existere in aliqua æternitate Patrem sine filio, vel quin generet filium. Eodem solis, & splendoris exemplo utitur Tertullianus in libro contra Praxeam, & Concilium XI. Toletanum per hæc verba: *Nam etsi attendamus illud, quod scriptura sacra dicit de sapientia: splendor est lucis æternæ, sicut splendorem luci videmus inseparabiliter inherere, sic confitemur filium à patre separari non posse.* Ex quibus constat, quam conformis sit solutio nostra menti Catholicorum.

827. Obj. 5. Si volitio libera, quæ nunc est in Deo, potuisset realiter quodam terminationem non esse in ipso, & opposita nolitio, quæ modo non est, potuisset quoad terminationem esse, fieret inde DEUM potuisset aliter se habuisse intrinsicè; ac de facto habet: sed hoc argueret mutabilitatem in DEO; ergo &c. Confirmat. 1. Talis contingentia esset imperfectio, utpote opposita perfectioni necessitatis; etenim oppositum perfectioni est imperfectio, sed imperfectio repugnat Deo; ergo &c. Confirm. 2. Deus est summè necessarius: sed actus contingens non est summè necessarius; ergo non potest esse Deus. Conf. Deus nullius perfectionis habet privationem: atqui si nolitio hujus mundi, quam poterat habere, & non habet, esset perfectio intrinsicæ Dei, Deus haberet privationem perfectionis; ergo &c.

828. Resp. dist. maj. Potuisset aliter se habere intrinsicè, essentialiter, & simpliciter neg. secundùm quid, & purè terminativè conc. maj.

maj. & dist. eodem modo minori neg. consequentiam. Quia sicut Deus Pater improductus, & DEUS Filius productus non est alter, sed idem Deus, eò quòd sit eadem simpliciter, & essentialis Deitas, & natura: Ita DEUS liberè volens, aut nolens non esset alter, sed idem DEUS, cum sit eadem simpliciter, & essentialis Deitas, & natura. Ad primam Conf. neg. maj. nam illa contingentia utpote identificabilis cum summa necessitate ex dictis à n. 803. non est opposita perfectioni essentiali simpliciter infinita, quod requirebatur, ut esset imperfectio. Ad secundam Conf. dist. maj. est summè necessarius per virtualitatem naturæ, & essentiæ divinæ Conc. per virtualitatem determinatam volitionis, aut nolitionis liberæ neg. maj. & distincta minori neg. consequentiam, ut ex dictis. Ad 3. Conf. conc. maj. & neg. minorem: Nam ad privationem requiritur, quòd subjectum existat cum carentia illius perfectionis, quam postea acquirit. Privatio enim apud Philosophos est transitus à carentia formæ ad formam: Deus autem non potest acquirere perfectionem ullam, cujus carentia semel habuit; cum actus divinus ex suppositione, quòd sit, debeat esse ab æterno, & in æternum ex n. 804.

829. Obj. Ultimò. Si actus liberi, ac contingentes essent adequatè intrinseci DEO, DEUS posset crescere quoad velle: Sed hoc malè sonat; ergo &c. Confirmatur 1. actus contingens non est necessarius, ut ex ipsis terminis patet: Sed si volitio libera esset defectibilis, actus contingens esset necessarius; ergo &c. Confir. secundo. Volitio necessaria DEI est simpliciter infinita in volendo: Atqui si ad volendum liberè superadderetur volitio contingens, non esset simpliciter infinita in volendo; ergo &c. Resp. neg. major: Quia crescere absolute significat additamentum realiter distinctum: quinimò & quantitativum: Quare neque Angelus, neque anima crescunt, quamvis plures habeant volitiones; cum autem volitio libera DEI neque sit quantitativa, neque realiter distincta à Deo, nequit Deus per eam crescere. Ad primam Conf. disting. majorem: Non est necessarius per identitatem virtualem cum necessario conc. per identitatem realem neg. maj. & distincta eodem modo minori neg. consequentiam. Ratio est, quia sicut virtualitas Filiationis producta est realiter natura improducta, ita virtualitas volitionis contingens est realiter volitio necessaria.

830. Quapropter sicut Filiatio producta non potest dici absolute improducta; quia hæc locutio significaret eam virtualitatem non esse productam. Ita volitio libera nequit dici absolute necessaria; quia non est subjectum capax; ideòq; hæc locutio absolute dicta significaret virtualitatem illam nullo modo potuisse deficere. Unde ne detur locus æquivocationi, respondendum semper est sub distinctione allata, quæ satis predit pe-

tionem principii, qua arguunt adversarii. Vide num. sequenti. Ad secundam Confirmationem disting. maj. est simpliciter infinita per identitatem realem cum omni volitione conc. per identitatem virtualem neg. majorem & distincta minori neg. Conf. Quia non aliter potest esse simpliciter infinita, nisi in linea possibili: Linea enim chymica non potest esse perfectio naturæ divinæ. Quòd autem ea volitio necessaria absque virtuali distinctione à Volitione libera denominet DEUM liberè volentem, est pura chymera, ut constat ex n. 811. Quòd autem Doctrina nostra prober dat in DEO Mysterium libertatis simile Mysteria Trinitatis, non est probare imperfectiorem, sed perfectionem divinam: Quot enim & quanta erunt in DEO Mysteria nobis non revelata non minus superantia caprum nostrum quam Trinitatis mysterium nobis revelatum? Nequaquam sanè dubitabit ille, qui antè concipiat, quid sit Deus. Unde si in hoc statu per principia Theologica quasi per speculum in ænigmate apparet nobis mysterium aliquod, irrationabile esset illud respicere, præcisè, quia mysterium est. Quenam enim irrationabilitas major, quam concedere principia Theologica, & negare consequentiam exinde legitime deductam? ex dictis.

Fit actus contingentes intellectus divini esse virtualitates defectibiles, non quidem absolute, & simpliciter, neque omnino secundum quid, sed cum addito limitante, nimirum, antequam forent: Sicuti diximus de actibus liberis DEI. Dicere enim, esse absolute defectibiles, esset coincidere in sententiam Cajetani prima parte quæst. 19. artic. 2. Nullatenus distinguuntis inter defectibilitatem essentialem, & purè terminativam. Quòd idem esset, si pro voce defectibilis, quam assumpsit Cajetanus, substitueretur hæc vox *Contingens*, alterando *Actum liberum DEI dicere aliquam rationem positivam DEO intrinsecam, & in existendo contingentem*; Hæc enim verba absolute dicta continent doctrinam similem sententiæ Cajetani, prout ipsi communiter attribuitur; etsi aliqui Thomistæ illum aliter explacent; nam contingens, & defectibile idem profus sunt quoad substantiam, solumque distinguuntur quoad voces. Qua de causa prohibitum in Congregatione 9. Generali, ne tradatur à nostris sub illis terminis ea propositio, & merito quidem; Nam in rebus Theologicis cautè semper loquendum est: Concedere autem alicui prædicato divino defectibilitatem, aut contingentiam in existendo, absque ulla distinctione inter contingentiam essentialem, & purè terminativam, vel concedere contingentiam terminativam absque ulla distinctione inter contingentiam ex suppositione, quòd sit, vel antequam foret, non bene sonat. Quamobrem solum concedenda est sub distinctione & terminis à nobis expositis, modo, quo post eam 9. Generalem Congregationem defendunt illam nostrum Doctores cit. n. 709. Quo

Quo in sensu concedenda est etiam de actibus contingentibus intellectus divini. Ratio est, quia sicut Deus non est necessitatus ad volendum id, quod liberè vult: ita non est necessitatus ad cognoscendum id, quod contingenter cognoscit. Unde sicut potuit Deus non habere volitionem liberam huius mundi, quam habet, sed oppositam: ita potuit non habere scientiam mediam de concursu Petri sub auxilio A, quam habet, sed oppositam. Potuit

enim Petrus sub auxilio A non consentire, sed dissentire. Quo in casu Deus non haberet hanc virtualitatem scientiæ mediæ de consensu, sed oppositam virtualitatem de dissentio: ac proinde scientia contingens non minus stat in virtualitatibus specificativè defectibilibus modo dicto quàm liberæ volitiones. Quomodo autem quævis virtualitas divina contingens sit simul scientia, & amor, constabit num. sequenti.

## DISPUTATIO XV.

## DE PROVIDENTIA DIVINA.

63. Divus Thomas prima parte quæst. 22. Sic incipit de Providentia discurre: consideratis autem his, quæ ad voluntatem absolūtè pertinent, procedendum est ad ea, quæ respiciunt simul intellectum, & voluntatem. Quare virtualitates divinæ contingentes aptissimæ sunt ad constituendam providentiam, cum nulla ex illis sit, quæ simul non sit actus intellectus, & voluntatis, ut bene notavit Quirós in Indice Quæstionum quæst. 14. art. 4. n. 158. & cum ipso omnès, qui nullam agnoscunt distinctionem virtualem intrinsecam, quæ non sit realis in tertio. Ratio est, quia quævis virtualitas divina contingens debet habere omnem perfectionem in sua linea sibi possibilem: atqui virtualitati scientiæ mediæ contingentiæ possibilis est identitas virtualis cum aliqua volitione; & virtualitati volitionis liberæ possibilis est identitas virtualis cum aliqua cognitione; etenim scientia media utpote identificata cum Deo digna est amore; atque adeò realiter, & virtualiter est amor sui: Pariter volitio libera est verè cognoscibilis; atque adeò realiter, & virtualiter est cognitio sui; siquidem non minus implicat, quòd conveniat aliquid scientiæ mediæ, quòd realiter non conveniat amori scientiæ mediæ in se ipsa, aut quòd conveniat aliquid volitioni liberæ, quòd realiter non conveniat cognitioni volitionis in se ipsa, quàm implicet, quòd conveniat aliquid cognitioni Dei necessariæ, quòd necessariæ volitioni realiter non conveniat, aut econtra: sed ob istam rationem cognitio, & volitio necessaria sunt in Deo realiter, & virtualiter idem, ut constat à n. 130. ergo &c. Unde non solum potest dari in Deo volitio libera, sed etiam contingens: neque solum potest dari scientia contingens, sed etiam libera, quæ solum distinguantur ex modo concipiendi.

## SECTIO I.

De Existentiâ, & Constitutiõne  
divinæ Providentiæ.

63. A Sero 1. Fide, & ratione constat dari in Deo providentiam. Probatum facile ex R. P. Gormaz Theolog. Tom. 1.

Scriptura Sap. 12. Non est alius Deus, quàm tu, cui est cura de omnibus. Et 11. Tu autem Pater Providentia gubernat, vel ut legit D. Thomas 1. Part. q. 22. art. 1. Tu autem Pater gubernas omnia Providentiâ; ergo &c. Confirm. Ratione. Omnia extra Deum, utpote essentialiter contingentiâ, strictè pendent à Deo, qui necessarius est, & habet notitiam comprehensivam omnium rerum, & prudentissimam, simulque voluntatem, qua res omnes ordinat ad suos fines: sed ita est Providentiâ, ut constabit n. 840. ergo &c. Unde veritas ista adeò certa est, ut ipse naturæ lumine innotescat, atque adeò inutile esset ex aliis capitibus rationes quærere. Quâ de causâ Clemens Alexandrinus V. Strom. accuratè dixit: quæstiones quædam dignæ, quæ puniantur. Cujusmodi est, quærere probationes, an sit providentiâ. Neque monstra, fortuita, aut peccata finem effugiunt divinæ providentiæ; cum semper Deus primarium suum, & universalem finem obtineat, pluresque particulares, ut statim constabit; neque quidquam unquam fiat, quin Deus effectivè concurrat, effectum illum intendens, aut permitrens ob altissimos fines suos; cum plena rerum omnium comprehensione, & notitiâ: atque adeò nihil est monstruosum, fortuitum, aut casuale respectu Dei, ut constabit à n. 868. Sed respectu causarum secundarum. Videatur quoad casualia, & fortuita Aristoteles lib. 2. Physicorum cap. 7. Et quoad peccata Augustinus in Enchiridio c. 27. dicens: melius putavit de malis bene facere, quàm nulla mala esse permittere. Si enim Deus honestè non posset peccata permittere, absolūtè non posset. Videatur Cardinalis Sforzia lib. 1. Theolog. assert. n. 194.

834. A Sero 2. Cum Bonaventura, Molina, Lessio, Herrera, pluribusque aliis. Providentiâ divina concretè, & adæquatè sumpta non stat in solo actu intellectus, neque in solo actu voluntatis, sed in actibus simul intellectus, & voluntatis. Probatum 1. ex 1. Petr. c. 1. Ubi de Providentiâ, quam erga Prædestinatos Deus habet, ait Apostolus: *Electis secundum præscientiam Dei Patris*. Ubi electio significat actum voluntatis, Præscientia verò actum intellectus.

lectus. Sic etiam Paulus ad Rom. 8. *Quos præscivit, & prædestinavit*, id est: adjuncto actu voluntatis, ut habet ad Ephes. 1. dicens *Qui prædestinavit nos secundum propositum voluntatis suæ*; ergo &c. Confirm. ex Augustino Tom. 7. lib. de Bono Perseverantiæ c. 14. dicente: *Prædestinatio SS. nihil aliud est, quam præscientia scilicet, & preparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur.* Atqui præscientia est actus intellectus: preparatio verò, cum sit immediatè libera, est actus voluntatis, ut notavit D. Thomas in 1. *quest.* 40. *art.* 2. ergo &c.

835. Probat. 2. Providentia non est in provisis, sed in providente, ut docent omnes Theologi cum D. Thoma 9. *art.* 2. atque adeò debet esse prudens, & recta cognitio de utilitatè mediorum ad finem: idque significat ipsum nomen providentia. Providere enim ait Boëtius lib. 4. de Consolatione est à longe, sive præcul videre. Unde præcisè ablata cognitione, etsi reliqua per impossibile maneat, tollitur constitutivum providentiæ. Rursus si aliquis homo plene cognosceret, quid omninò prodesset, & quid obesset ad finem, nihil tamen de applicatione curaret; neq; ulla media parare vellet ad consecutionem finis, hic certè non esset providus, sed positivè improvidus. Unde præcisè ablata volitione, etsi reliqua per impossibile maneat, tollitur constitutivum providentiæ. Tandem posita ea recta cognitione de utilitate mediorum ad finem, & volitione collativa mediorum, præcisè omnibus aliis concipitur adæquata providentiæ; ergo &c.

836. Probat. 3. Ad Theologum spectat conciliare testimonia SS. PP. modo, quo verè, & propriè conciliari possunt: atqui si providentia concretè, & adæquatè sumpta constituitur ex actibus simul intellectus, & voluntatis, conciliari rectè possunt omnia SS. PP. testimonia; secus autem, si ex solo actu intellectus, aut ex solo actu voluntatis constituitur; ergo &c. Probat. min. Plures SS. PP. docent providentiam stare in actu intellectus. Sic Dionysius cap. 2. de Divin. Nom. *Deus prospicit cuncta providentia mirabili.* Boëtius l. 4. de Consolatione prof. 6. *Providentia est ipsa divina ratio in summo Principe constituta, qua omnia disponit.* D. Thomas q. 5. de Verit. *art.* 5. in corp. *Providentia includit & scientiam, & voluntatem: sed tamen essentialiter in cognitione manet.* Quod reperit 1. *Part.* q. 22. Et sæpe alibi. Augustinus tom. 4. lib. 83. *Quest.* q. 21. Inter partes prudentiæ apponit providentiam dicens: *Providentia, per quam futurum aliquid videtur, antequam factum est.* Rursus alii SS. PP. docent providentiam stare in actu voluntatis. Sic idem Augustinus citatus num. 665. & 834. Damascenus 2. de Fide cap. 29. dicens: *Providentia est voluntas Dei, per quam omnia, que sunt, aptè gubernantur.* Quo in sensu loquuntur alii videndi apud Exim. Doctorem lib. 1. de Prædest. c. 17.

Modò sic: Providentia constituta ex actibus intellectus, & voluntatis sumi potest, vel ut prudens; & sic solum dicit essentialiter in recto actu intellectus, modo, quo loquitur semper D. Thomas, vel ut immediatè libera: ut sic solum dicit essentialiter in recto actu voluntatis modo, quo Damascenus, & alii PP. loquuntur. Ex quo facilè conciliantur: sed non ita conciliarentur, si providentia concretè, & adæquatè sumpta solum diceret actum intellectus, aut solum actum voluntatis; ergo &c. Confirm. Si istud concretum album ex Petro albedine, & unione constitutum, non diceret concretè, & adæquatè sumptum Petrum simul, & albedinem, non possent conciliari propositiones veræ apud omnes Philosophos, in quibus album aliquando sumitur pro subiecto solo essentialitèr, & in recto, ut in ista: Petrus est album; etenim quod dealbatur, non est albedo, sed Petrus. Aliquando verò pro sola forma essentialitèr, & in recto, ut in ista: album est disgregativum visus; etenim quod disgregat visum, non est Petrus, sed albedo: aliquando autem pro omnibus partibus simul ut in ista: album est concretum, vel album est Petrus, albedo, & unio: etenim neque solus Petrus, neque sola albedo est concretum, sed ambo simul: Conciliari autem possunt ex eo, quod concretum istud album includat ea omnia concretè, & adæquatè sumptum; cum hujusmodi concreta ex usu hominum, penes quos est jus & norma loquendi, eos omnes veros sensus accipiant, sed idem evenit in casu nostro ex usu SS. PP. Theologorum; & scripturarum fumentium providentiam aliquando concretè, aliquando ut prudentem, aliquando ut immediatè liberam; ut constat ex dictis; ergo &c. Unde inferes, quam rectè dixerit Ariaga, & Ribadeneira quæstionem istam potius, quam de re, esse quæstionem de nomine.

Affero 3. Cum communi contra Cajetanum, & alios Thomistas. Licet providentia divina assequatur semper finem suum universale, non assequitur semper omnes suos fines particulares. Probat. facilè. Finis universalis divinæ providentiæ est Dei gloria relucens in eo, quod prima causa, causas secundas aptissime gubernet, eisque provideat media proportionata, ut unaquæque finem particularem suum obtinere possit, nisi impediatur ab aliis causis secundis, quas Deus ut auctor universalis impedire non tenetur, aut ipse ex sua libertate se velit eo fine, aut aliis mediis privare. Finis verò particularis est ille specialis, quem per media provisiva Deus intendit: atqui licet Deus assequatur semper illum finem universale, ut ex terminis patet; & constat à n. 773. Non assequitur semper illum finem particularem, quem per provisiva media intendit; ergo &c. Probat. min. quia Deus conferens per suam providentiam auxilia indifferentia hominibus vult omnium salutem, ut constat à n. 750. atqui non obit.

obtinere finem particularem salutis unius cuiusque, cum plures ex illis damnentur; ergo &c. *Confirm.* Providentia divina sufficientia utpote constituens liberas creaturas est potens componi cum pluribus finibus particularibus, eorumque omissione; aliter non esset libera ad illos; ergo est potens carere finibus illis particularibus. Quapropter divina providentia semper obtinet finem universalem, & aliquem etiam particularem, licet non omnes.

839. Ratio est, quia si voluntas libera ad bonum, quod Deus inefficaciter intendebat, nolit efficere bonum, sed operetur peccatum, licet fugiat finem Dei misericordis, & præmiantis, non fugit ordinationem illius peccati ad manifestationem attributi iustitiæ punientis. Sic Augustinus *lib. de Spiritu & Littera cap. 33. Insidens contra Dei voluntatem faciunt; cum ejus Evangelio non credunt: nec ideo tamen eam vincunt; sed se ipsos fraudant magno bono, malisque implicanti, experturi supplicium ejus, cujus in donis misericordiam contempserunt.* Et D. Thomas 1. Part. *quæst. 19. art. 6. Cum voluntas Dei sit universalis causa omnium rerum, impossibile est, quod divina voluntas suum effectum non consequatur.* Unde quod recedere videtur à divina voluntate secundum unum ordinem, relabitur in ipsam secundum alium. Sicut peccator, qui, quantum est ex se, recedit à divina voluntate peccando, incidit in ordinem divina voluntatis, dum per ejus iustitiam punitur: Sic etiam Augustinus citatus num. 833. & D. Thomas *quæst. 6. de Veritate art. 3. in corp.* Nihil potest deficere à generali sine providentiâ, quamvis quandoque deficiat ab aliquo particulari sine. Et infra. *Nec tamen hoc modo certus est ordo prædestinationis, sicut erat ordo providentiæ; quia in providentiâ ordo non erat certus respectu particularis finis; nisi quando causa proxima necessario producebat effectum suum; in prædestinatione autem invenitur certitudo respectu singularis finis, & tamen causa proxima scilicet liberi arbitrii non producit effectum illum, nisi contingenter.* Ex dictis

840. Fit 1. Providentiâ aliam esse purè physicam, quâ creaturas ut non liberas dirigit Deus in suos fines: aliam moralem, quâ creaturas ut liberas dirigit. Fit 2. Providentiâ creaturæ ut libere aliam esse naturalem, quâ Deus naturalia media consentit ad finem naturalem. Aliam supernaturalem, quâ ordinat media supernaturalia ad finem supernaturalem. Fit 3. Supernaturalem providentiâ aliam esse salvandorum; quæ prædestinatio vocatur: aliam damnandorum; quæ dicitur reprobatio: aliam utriusque communem, quantum ad sufficientiam salutis, supposita elevatione creaturæ rationalis ad æternam beatitudinem; quæ vocatur providentiâ universalis moralis: Prædestinativa enim dicitur providentiâ particularis, & specialis benevolentis. Fit 4. Providentiâ ut sic ita explicatâ: prudens, & libera dispositio

Dei activa per media proportionata dirigens creaturas in suos fines: Prædestinationem vero ita: providentiâ divina efficax, quâ creatura rationalis ordinatur ad vitam æternam per media ad DEI filiationem conducentia. Unde prædestinatio puræ creaturæ respicit media ad filiationem adoptivam: Prædestinatio vero hominis DEI quâ hominis respicit media ad filiationem propriam, vel naturalem: sic de nostra prædestinatione Paulus ad Ephes. 1. *Prædestinavit nos in adoptionem filiorum Dei.* Et de Christo ad Rom. 1. *Qui prædestinatus est filius Dei;* Et enim ex titulo filiationis habetur jus ad gloriam, sive ad Dei Patris hæreditatem tam per ordinariam prædestinationem communem puris creaturis, quam per extraordinariam propriam Christi ut hominis. Utrumque membrum comprehendit Paulus ad Rom. dicens: *Quod sumus filii Dei; si autem filii, & hæredes: hæredes quidem Dei, coheredes autem Christi.* Expositionem reprobationis dabimus n. 904.

## SECTIO II.

### Solvuntur opposita.

Objic. 1. Contra primam Conclusionem. 841. Deus non habet providentiâ circa creaturas vilissimas, v. g. muscas. Ergo non habet providentiâ de omnibus. Probat. ant. ex Hieronymo id asserente; ergo &c. Resp. dist. ant. non habet providentiâ moralem conc. physicam neg. ant. & conseq. ad probationem dist. eodem modo antecedens, & neg. conseq. quia Hieronymus solum negat circa eas vilissimas creaturas providentiâ moralem, quam negavit Apostolus, secus autem purè physicam, ut constat num. 302. Neque contra ordinem divinæ providentiæ est permissio peccatorum, aut plura, quæ ex fortuita, & casuali collisione causarum procedunt; cum respectu Dei nihil sit peccaminosum, fortuitum, aut casuale, qui omnia causalata ad fines suæ providentiæ dirigit, quin universale suum finem effugere possint, simulque alium aliquem particularem, ut constat ex n. 839. vide n. 829.

Objic. 2. Contra secundam assertionem. 842. D. Thomas pluribus in locis docet providentiâ stare in solo actu intellectûs; ergo non includit essentialiter actus intellectûs, & voluntatis. *Confirm.* Omnes aliæ perfectiones divinæ stant vel in solo actu intellectûs; ut prudentiæ, vel in solo voluntatis; misericordiæ v. g. ergo etiam providentiâ stabit, vel in solo actu intellectûs, vel in solo actu voluntatis. Resp. dist. ant. Providentiâ sumpta ut prudentialis conc. concretè; & adæquatè accepta neg. ant. & consequentiam. Ratio est; quia, quâvis S. Thomas agit de providentiâ; agit semper de illa ut pertinente ad prudentiam, quæ stat in actu intellectûs. Sicuti Damascenus; & alii agunt de providentiâ ut

immediate libera. Quare eam reducunt ad solum actum voluntatis. Unde si concretè, & adæquatè sumatur, utrumque actum necessariò, & essentialiter includer: neque aliter componi possunt testimonia SS. PP. & significatio, quam Providentia apud homines habet, ut ex n. 834. Ad confirmationem neg. ant. non enim possent adversarii ita arguere in hac prima parte, nisi sui immemores essent, & obli- ti eorum, quæ in secunda secundæ cum D. Thoma docent, dum ajunt, auctoritatem divi- nam, quæ est objectum formale fidei, stare in veritate pertinentè ad intellectum, qua Deus non potest se fallere, & in veracitate pertinente ad voluntatem, qua nequit fallere nos. Unde aliqua perfectiones divinæ stant in solo actu intel- lectus, aliæ in solo actu voluntatis, aliæ in utroque. Quænam autem ad primam, quæ- nam ad secundam, & quænam ad tertiam clas- sem pertineant, ex rationibus Theologicis de- ducendum, uti nos de Providentia præstitimus.

843. Objic. 3. Contra tertiam D. Thomas 1. P. quest. 22. art. 2. ad 1. ait: *Impossibile est ali- quem effectum ordinem cause universalis effu- gere. In quantum igitur aliquis effectus ordi- nem alicujus cause particularis effugit, dicitur esse casuale, vel fortuitum respectu cause parti- cularis: sed respectu cause universalis, à cujus ordine subtrahi non potest, dicitur esse provi- sum.* Et art. 4. ad 2. *In hoc est immobilis, & certus divina providentiæ ordo, quod ea, quæ ab ipso providentur, cumlibet eveniant eo modo, quo ipse providet, sive necessariò, sive contingenter.* Ergo divina providentia semper obtinet finem suum. Resp. conc. ant. & dist. conseq. Ob- tinet finem suum universalem, conc. omnes fi- nes particulares neg. ant. & conseq. ut constat ex dictis à n. 838. & ex ipso D. Thoma n. 839. & 760.

844. Objic. 4. Providentia supponit volitionem finis, ut habet D. Thomas q. 22. art. 1. ad 3. Sed divina volitio est infrustrabilis; ergo Pro- videntia carere nequit sine ullo intento particu- lari. Confirm. Imprudenter ageret agricola, si seminans spargeret sine intentione efficaci colligendi fructum, nisi fortè impediretur ef- fectus intentionis à violentia aliarum causa- rum. Atqui Deus nequit imprudenter agere, nec divinæ intentionis effectus potest ullius causæ violentia impediri; ergo dum semina suorum mediorum emittit ex intentione finis particularis, nequit non obtinere talem finem particularem. Resp. dist. maj. supponit voli- tionem finis universalis, conc. particularis sub- dist. efficacem, vel inefficacem conc. semper efficacem neg. maj. & dist. min. neg. conseq. Ratio est, quia volitioni Dei indifferenti inef- ficaciter intendenti finem resistere possumus non minùs, quam gratiæ indifferenti, ut constat à n. 626. licet non possumus resistere efficaci. Sic Deus præcipiens opera bona, intendit illa, cui intentioni resistit peccator nolens præcepto divino obedire. Ad confirmationem dist. maj.

imprudenter ageret, si deberet seminare in agro, quem deberet constituere liberum ad fructifi- candum, vel non fructificandum neg. si non deberet liberum constituere omitto maj. & dist. min. neg. conseq. Quia Deus ita confert media creaturis, ut velit eas liberas constituere: at- que adeò ea volitio constitutiva libertatis non est efficaciter intentiva finis.

Neque exemplum agricolæ venit ad rem, quia agricola, si non intendet efficaciter fru- ctum spargendo semen; quod ex intentione agricolæ poterat fructificare, & ex defectu in- tentionis non fructificare, imprudenter se ge- reret; quia sine ullo rationabili motivo pare- retur detrimentum, ut suppono; & utilita- tem seminis amitteret: Deus autem nullum detrimentum patitur, sive creatura utatur bene mediis collatis, sive eis abutatur. Neque per illa media quærit utilitatem illam suam, sed nostram, quam habebimus, si liberè cooperemur. Cum autem hæc munia haberi non pos- sint, nisi ea volitio libera ex se indifferens sit, ut obtineatur, vel non obtineatur finis ille parti- cularis, exinde nequaquam Deus se gerit im- prudenter, quamvis non obtineat finem illum intentum particularem. Quinimò exemplum de semine clarè nobis favet, si supponamus grana seminis esse libera ad reddendum fru- ctum, & non reddendum, quod Matth. 13. Satis docet celestis illa parabola de agricola fac- iente sementem, cujus partem in via, partem in terram petrolam, partem in terram spinosam casuram prævidebat sine fructu: & solum partem in terram bonam fructum reddituram, quin exinde dammandus sit tanquam impru- dens celestis agricola propter rationem à no- bis datam.

Objic. 5. Ex D. Thoma non datur volun- tas antecedens in Deo, quæ non adimpleatur quoad effectum quemlibet particularem, sed solum dicitur antecedens, & consequens ratio- ne volitorum, quorum unum consequitur al- terum; ergo &c. Prob. ant. D. Thomas expli- cans Damascenum 1. P. q. 19. art. 6. ad 1. ait: *Secundum Damascenum intelligitur de volun- tate antecedente, non de voluntate consequente, quæ quidem distinctio non accipitur ex parte ipsi- us voluntatis divinæ, in qua nihil est prius, vel posterius, sed ex parte volitorum.* Hæc D. Thomas; ergo &c. Confirmat. 1. Actus in Deo se habens pro signo priori ad alium potest esse efficax: atqui voluntas antecedens non potest esse efficax, cum ex D. Thoma loco cit. solum sit quædam velleitas; ergo &c. Con- firm. 2. Omnis effectus creatus causatur à di- vina voluntate, ac proinde est consequens di- vinam voluntatem; ergo si divina voluntas esset consequens respectu illius, supponeret causatum, quod causaret, quod implicat: at- qui si voluntas iustigendi penam v. g. pro- pter delictum, esset consequens demeriti- tum, supponeret causatum demeritum; ergo &c.

Resp.

## SECTIO III.

De Scientia, & Volitione ex parte  
Providentiæ requisitis.

47. Resp. dist. ant. non datur voluntas antecedens realiter distincta à consequente conc. virtualiter distincta neg. ant. & conseq. ad probationem conc. ant. & neg. conseq. Quia D. Thomas non excludit ibi in voluntate divina prioritatem, & posterioritatem virtuales, sed solum realem ex dictis n. 85. Quod satis patet in ipso textu, si adversarii integrum illum legissent, in quo se latè explicat, dicens: voluntatem autem haberi ante scientiam demeriti: consequentem verò post scientiam demeriti: sic enim subjungit: *Unde potest dici, quod d. iudex iustus antecedenter vult omnem hominem vivere, sed consequenter vult homicidam suspendi: similiter Deus antecedenter vult omnem hominem salvari: sed consequenter vult quosdam damnari secundum exigentiam suam iustitiae.* Et tandem concludit: *Et sic patet, quod d. quidquid Deus simpliciter vult, fit: licet illud, quod antecedenter vult, non fiat.* Quod etiam habet in 1. Tim. 2. Lect. 1. dicens: *Alie verò modo secundum Damasceum intelligitur de voluntate antecedente, non consequente: in voluntate enim Dei, licet non sit prius, & posterius, dicitur tamen voluntas antecedens, & consequens: secundum ordinem volitorum.* Quibus in verbis distinguit voluntatem antecedentem, & consequentem ex parte voluntatis: & item ex parte volitorum.

48. Ad primam confirmationem dist. maj. potest esse efficax intrinsecè, si sit composibilis cum libertate neg. extrinsecè conc. maj. & dist. min. neg. conseq. Quia, licet juxta D. Thom. voluntas antecedens non sit intrinsecè efficax, quando est constitutiva actus primi proximi libertatis sufficientiæ: attamen, cum sit composibilis cum recta libertatis operatione: & cum scientia Dei de ea operatione sub tali libertate potest esse extrinsecè efficax, cū ratione scientiæ connexa, cum tali operatione habeatur extrinsecè efficacia in via D. Th. ut constat ex n. 639. Ad secundam confirmationem dist. ant. causatur à divina voluntate per omnes suas volitiones neg. per aliquam saltem permissivam conc. ant. & dist. conseq. supponeret per unam volitionem causatum idiplum, quod per eandem causaret neg. supponeret, quod saltem permissivè per aliam priorem causaverat conc. consequentiam, & dist. minorem subjunctam: voluntas infligendi poenam supponeret demeritum causatum permissivè per ipsam neg. per voluntatem indifferentem applicativam omnipotentia: ad utrumque conc. minorem, & neg. consequentiam. Ratio est, quia volitio efficax infligendi poenam propter delictum supponit causatum delictum: ac proinde supponit omnes causas ad ipsum prærequisitas, quæ dari non possunt absque decreto indifferenti permissivo D E I applicante indifferentem omnipotentiam ad bonum, vel malum.



Supp. 1. Providentiæ ut prudentem acceptam supponere in DEO ex parte scientiæ formalitates omnes, quas requirit prudentia; dummodo sint verè perfectiones detractis imperfectionibus ex dictis à num. 202. *Prudentia autem*, ut ait D. Thomas 1. Part. q. 22. art. 1. ad 1. *proprie est præceptiva eorum, de quibus Eubulia, & Sinesis rectè judicat.* Unde licet consiliari non competat Deo secundum quod consilium est inquisitio de rebus dubiis: tamen precipere de ordinandis in finem, quorum relecta rationem habet, competit Deo secundum illud Psal. *præceptum posuit, & non prateribit.* Et secundum hoc competit Deo ratio prudentiæ. *Quamvis etiam dici possit, quod ipsa ratio rerum agendarum consilium in Deo dicitur, non propter inquisitionem, sed propter certitudinem cognitionis, ad quam consiliantes inquirendo perveniunt:* Hæc D. Thomas. Exinde omnis perfectio, quæ deputari potest ab imperfectione, ad quam perveniunt prudentes providentes humani, rectè competit D E O. In providente autem humano intendente aliquem finem distingui solent quatuor actus. Primò Actus virtutis Eubulæ; ad quam attinet inquirere media utilia ad finem. Secundò Actus virtutis Sinesis, ad quam attinet judicare, quodnam medium sit utilius altero, juxta naturam intentionis, quæ habetur de fine. Tertio Actus virtutis Gnomes, ad quam attinet dare regulam, ut media ponantur. Quarto Actus prudentiæ, ad quam attinet illis omnibus prævisis dirigere hic, & nunc ad positionem mediorum. Quæ de causa actus iste dicitur Imperium directivum.

Supp. 2. Ex parte voluntatis in providente humano assignari etiam quatuor alios actus. 1. Intentio finis. 2. Electio mediorum utilium, vel efficacium ad finem. 3. Volitio executiva mediorum, quæ appellatur usus activus. 4. Receptio mediorum in proviso, vel executio, quæ dicitur usus passivus, quæ subsequitur decretum executivum finis post executionem mediorum. Quale est in prædestinatione decretum collativum gloriæ post merita, vel in reprobatione decretum inflictivum poenæ post delicta. Si autem providens humanus prudenter se gerat, nunquam intendit finem, quin prius habeat cognitionem de eo, quod si intendat finem, habebit media ad illius consecutionem juxta modum intentionis suæ. Cæterum, cum homines non possint habere omnem perfectionem, sæpe eliciunt eos actus se habentes ex parte intellectus, vel ex parte voluntatis cum subordinatione, unum nimirum post aliud, at Deus per scientiam simplicis intel-

Intelligentiæ cognoscit omnia media possibilis ad finem, & naturam voluntatis, cui providere potest, si velit eam producere, & liberam constituere, quin possit medium ullum utile ignorare: Atque adeo omnes formalitates, quæ ad constituendam providentiam sufficientiæ ex parte intellectus in providente humano reperiuntur, inveniuntur realiter, & virtualiter in scientia simplicis intelligentiæ. Nec possunt distingui virtualiter; cum DEUS non sit liber, ne cognoscatur in aliquo signo, quod in eo signo cognoscibile est. exinde.

851. Supp. 3. Præsupposita scientia simplicis Intelligentiæ posse etiam Deum per eundem actum realiter, & virtualiter indivisibilem intendere finem, eligere media utilia, velle ea conferre, & applicare creaturæ, atque adeo intentio, electio, & usus activus, quæ se habent ex parte Providentiæ, sive in Providente, nullam requirunt in DEO distinctionem adhuc virtualem, sed solum formalem ex modo nostro concipiendi. Licet aliqui cum Errera doceant, posse etiam Deum prohibito suo eos actus virtualiter distinctos elicere, prout voluerit, cum sit plene liber. Usus autem passivus non est de constitutivo Providentiæ, sed sublequens providentiam, ut constat ex dictis & ex D. Thomæ cit. n. 835. dicente: *Providentiam non esse in Providente, sed in Providente.* Cæterum, cum duplex detur in Deo providentia præsertim moralis altera quidem sufficientiæ, quæ vocatur providentia generalis moralis, & altera particularis moralis, si sit ad constituendam providentiam efficaciæ. Ea de causa quærimus hîc, per quid constituatur utraque providentia tam ex parte intellectus, quam ex parte voluntatis.

852. Affero 1. Providentia sufficientiæ, sive Universalis moralis includit necessariò ex parte intellectus scientiam simplicis intelligentiæ circa finem & media. Probat. 1. Providentia generalis moralis sive providentia sufficientiæ includit necessariò ordinationem mediorum ut sufficientium ad finem, quibus voluntas, si ei conferantur, constituta sit ut pro libito suo possit, si velit, operari, vel non operari: Atqui talis ordinatio mediorum ut sufficientium ad finem stare nequit sine formali notitia utilitatis, & conducentiæ mediorum ad finem: Talis autem notitia est in Deo simplex Intelligentia, quæ dicitur naturam mediorum, eorumque utilitatem sive adæquatam, sive in adæquatam sive mediatè, sive immediatè conducentem ad præfixum finem, ut constat ex n. superiori ergo &c. Conf. Licet scientia simplicis Intelligentiæ non sit libera in representando, est tamen libera in operando, ut constat ex dictis à n. 495. atqui ad Providentiam Dei liberam non requiritur ex parte scientiæ alia scientia, nisi ea, quæ est libera in operando; ergo &c.

853. Affero 2. Providentia generalis moralis, sive providentia sufficientiæ non constituitur ex scientia Media. Probat. 1. Providentia generalis moralis, sive providentia sufficientiæ

ad æquatè præsupponitur ex parte hypothese scientiæ mediæ. In hac enim hypothese, si conferam Petro auxilium, consentiet, præsupponitur quidquid sufficientis est, ut Petrus cum illo consentiat; aliter scientia Dei esset falsa: Atqui hypothesis scientiæ mediæ non constituitur ex scientia mediæ, sed ad eam præcedit; ergo &c. Conf. Licet Deus, quando conferat auxilium creaturæ, habeat scientiam Visionis de eventu futuro, providentia sufficientiæ non constituitur ex scientia Visionis, eo quod scientia Visionis subsequatur ad principia sufficientiæ: Atqui etiam scientia mediæ subsequitur ad principia sufficientiæ, cum subsequatur ad hypothese sufficientem ad effectum; ergo &c.

Probat. 2. Illud non constituit providentiam sufficientiæ, quod contingenter adiungitur ipsi providentiæ prævisæ constitutæ: Sed scientia mediæ contingenter adiungitur Providentiæ sufficientiæ prævisæ constitutæ; ergo &c. Major & consequentia tenent. Minor verò probatur. Auxilium indifferens, & Decretum indifferens collativum auxilii, & applicativum omnipotentiam, quæ prævidentur ex parte hypothese, constituunt adæquatam sufficientiam, quin exigant scientiam mediæ de consensu, neque scientiam mediæ de dissensu: Aliter exigent unum ex extremis libertatis, & non essent indifferencia ad utrumque contra id, quod ex parte hypothese supponit scientia mediæ ex dictis à n. 455. Sed ex eo, quod non exigant scientiam mediæ de consensu, neque scientiam mediæ de dissensu, coniungitur illis subsequenter, & contingenter scientia Media; ergo &c. Conf. Licet Deus, antequam eliciat exercitè suum decretum, habeat scientiam mediæ de illo, nequit ea scientia mediæ dirigere Deum ad eliciendum suum decretum, eo quod talis scientia mediæ naturâ posterior eo decreto ex dictis à n. 728. atqui scientia mediæ subsequitur ad illius hypothese adæquatè constituentem providentiam sufficientiæ, est naturâ posterior tali providentiæ; ergo &c.

Affero 3. Providentia efficaciæ, sive particularis moralis & specialis Benevolentiam includit constitutive scientiam mediæ. Probat. Sicut divina providentia sufficientiæ includit præparationem mediorum; ut infallibiliter sufficientiæ: Ita providentia efficaciæ includit præparationem mediorum, ut infallibiliter efficacium ad finem consequendum: Sed præparatio mediorum ut infallibiliter efficacium ad finem consequendum, actus nimirum liberos creaturæ, includit necessariò scientiam mediæ; ergo &c. Probat. Minor: præparatio mediorum ut infallibiliter efficacium includit scientiam infallibilem de actibus liberis creaturæ ponendis, si detur hypothesis ex se indifferens: Atqui scientia infallibilis de actibus liberis creaturæ sub hypothesis indifferenti est scientia mediæ ex dictis à n. 658. ergo &c. Conf. antequam Deus eliciat exercitè ullum Decretum sicut scientiam mediæ de eventu quod

quocumque libero sub tali hypothesi: arque adeo cognoscit, quamam media sint efficacia, quamam inefficacia: ita ut efficacia non sit intrinseca illis mediis, sed extrinseca ratione scientiæ mediæ; ergo Providentiæ ut efficax includit scientiam mediã.

856. **Assero 4.** Providentiã divinã, sive particulã, sive universã, ut sit essentialiter, & adæquatè constituta, non requirit ultra scientiam mediã, & simplicis intelligentiæ ex parte intellectûs iudicium practicum distans post intentionem finis, quæ mediã præ aliis sint eligenda: neque imperium intellectuale correspondens his vocibus: *Fac hoc*, post electionem præscribens mediõrum executionem. Probat. 1. Cum communi notitronum contra Thomistas, & alios. Ex sola præluentiã simplicis intelligentiæ instructus est Deus ad eliciendum actum voluntatis, qui realiter, & virtualiter sit intentio, electio, & usus activus; prævidet enim DEUS per scientiam simplicis intelligentiæ, quidquid per omnes prudentiæ actus prævidere posset homo: atque adeo per actum voluntatis realiter, & virtualiter indivisibilem præluentiã illam subsequenter potest velle Deus, quidquid per distinctos actus intentionis, electionis, & usus activi posset velle homo: quando enim motiva actuum inter se sunt compossibilia, si adsit præluentiã eõrum omnium, possunt per eundem indivisibilem actum attingi, ut patet adhuc in humanis ex dictis num. 771. Pariter præluente scientia mediã potest DEUS per eundem realiter, & virtualiter indivisibilem actum velle efficaciter consensum per mediã prævisã, & eo modo, quo fuit prævisum; atqui tunc non dantur illi actus iudicii practici, & imperii mediõrum post intentionem finis, & mediõrum electionem; & datur providentiã tam universã, quã particulãrẽ sufficienter constituta; ergo &c.

857. **Probat. 2.** Licet darentur in Deo intentio, electio, & usus activus per actus virtualiter distinctos, ipsa intentio utpote realiter; & virtualiter perfectissimã cognitio sui, satis proponeret obligationem transeundi ad electionem absque iudicio practico eam subsequente: Tum etiam electio, utpote realiter, & virtualiter cognitio sui satis indicaret obligationem transeundi ad executionem dandi mediã, sive ad usum activum absque ullo actu imperii eam subsequente. Etenim intentio, electio, & usus activus non solum sunt virtualitates voluntatis, sed simul intellectûs ex dictis n. 832. Insuper scientia mediã subsequens, & præluens ad præmissionem, aut permissionem sufficientis illuminatio est ex parte intellectûs ad providentiã particulãrem; ergo in nullo casu necessarium est ullum aliud iudicium practicum subsequens intentionem, ut Deus transeat ad electionem: neque ullum imperium intellectuale subsequens electionem, ut

DEUS transeat ad usum activum: arque adeo illi actus necessarii non sunt ad essentiam providentiæ, sive universãlis moralis sufficientiæ, sive particularis, & efficaciæ.

858. **Respondebis primò.** Ad divinã providentiã requiri cognitionem practicã, quã Deus determinetur ad non omittendam hypothesin, quã vider sufficientem ad providentiã, si ponatur. Cum autem Deus subsequenter ad scientiam simplicis intelligentiæ, quã vider possibilem hypothesin, habeat scientiam mediã, quã vider eventum, si ponatur hypothesin, manet liber ad dandã hypothesin, quãvis sequatur, vel non sequatur eventus. Unde sicut ille actus voluntatis, quo nolit omittere hypothesin, est requisitus ad providentiã ex parte voluntatis, ita etiam dictamen practicum, & imperium intellectuale impellens ad talem actum, requiritur ad divinã providentiã ex parte intellectûs. Contra tamen primò. Ille actus voluntatis subsequens scientiam mediã, quo DEUS non vult omittere prævisã hypothesin, non est de constitutivo providentiæ universãlis, sive quoad sufficientiam ex parte voluntatis, sed de constitutivo libertatis omniscientis, subsecutæ ad scientiam mediã; ergo neque dictamen, aut imperium illius erit requisitum ad providentiã sufficientiæ ex parte intellectûs. Probatur antecedens. Ille actus præsupponit ex parte hypothesin totã providentiã, ita, ut quãvis DEUS posset purè omittere, aut non esset cognoscitivus eventûs conditionati, atque adeo non gauderet libertate subsequente scientiam mediã. Si tamen daretur hypothesin, quin darentur ille actus, maneret tota providentiã sufficientiæ adæquatè constituta. Sed id, quo deficiente, maneret tota providentiã adæquatè constituta, non est de constitutivo providentiæ; ergo &c.

859. **Contra 2.** Ille actus subsequens scientiam mediã, quo Deus nolit omittere prævisã hypothesin sufficientiæ ad utrumque, non requiritur in DEO ut providente quoad sufficientiam, sed ut providentè, ut specialiter benefico, aut excludente specialem benevolentiam: ergo nequit constituere ex parte voluntatis providentiã sufficientiæ. Consequentia tenet, & antecedens patet; quia post præluentiã scientiæ mediæ solum potest DEUS elicetè unum ex tribus actibus assignatis num. 726, cum maneat liber ad conferendam hypothesin, quãvis videat auxilium futurum inefficax, vel quãvis videat futurum efficax, vel quia efficax prævidetur: sed ita conferre hypothesin, est se gerere ut providentem providentiã particulãri, non autem providentiã solum universãli, & sufficientiæ. Quã de causã talem actum attribuit D.Th. non quidem providentiæ, sed gubernationi, quã res cum circumstantiis in particulãri

respicit: ait enim 1. P. q. 23. art. 2. in Corp. Executio Providentiæ, quæ Gubernatio dicitur, passivè quidem est in Gubernatis: activè autem est in Gubernante. Executio autem Providentiæ Providentiæ supponit; ergo &c.

360. Contra 3. Si per impossibile daretur tota hypothesis præcedens scientiam mediam, nullo alio Dei actu intellecto, daretur vera Providentiæ sufficientiæ: maneret enim, quidquid requiritur, ut creatura posset pro libito suo operari, quod velit, id enim affertur à divina scientia, quæ falsa esse non potest; ergo &c. Probatur consequens. Ex eo præcisè, quòd si per impossibile, licet non maneret Deus, maneret homo, si maneret animal rationale; homo non constituitur per prædicata divina, sed per animal rationale; ergo ex eo, quòd per impossibile manente sola hypothesis prævia ad scientiam mediam, licet nullus alius actus divinus maneret, staret tota providentiæ sufficientiæ, nullus actus alius divinus requiritur ad constituendam providentiæ sufficientiæ. Ex quo facile intelliges, quomodo distinguatur usus activus prævius ex parte hypothesis scientiæ mediæ ab executione scientiæ mediæ subsequente.

361. Contra 4. Si Deus non esset omniscius, neque cognoscere posset effectus liberos purè conditionatos, adhuc maneret Providor quoad sufficientiam ratione actuum, quos ex directione scientiæ simplicis intelligentiæ elicere potest: atqui tunc non daretur nova libertas ex nova cognitione scientiæ mediæ proveniens; quæ Deus debeat decernere, utrum ex eventu conditionatè præviso, velit, vel nolit se retrahere à collatione hypothesis; ergo talis actus non requiritur ex parte providentis quoad sufficientiam, sed ex parte omniscientis. Unde sicut scientia visionis, quia non requiritur ex parte providentis, sed ex parte omniscientis non constituit providentiæ, ita decretum exercitum libertatis subsequenti hypothesis scientiæ mediæ, quia non requiritur ex parte providentis quoad sufficientiam, sed ex parte omniscientis, & potentis specialius ex illa decernere, non constituet providentiæ, sufficientiæ, & universalem, sed providentiæ efficaciam, aut particularem.

362. Respondebis 2. Ex communi Thomistarum, requiri ex parte intellectus imperium intellectuale, quod neque est apprehensio, neque iudicium, neque discursus, sed præcisè impulsivum, & metaphysicè connexum cum actu voluntatis subsequente, quem exigit, correspondens præcisè his verbis: *Fac hoc*. Contra tamen primò. Quia ut bene ait Exim. Doctor, intellectus essentialiter non est nisi potentia cognoscitiva, & intellectiva; ergo quilibet illius actus debet esse intellectio, & cognitio, sed non potest esse intellectio, & cognitio, quin exprimat objectum, vel per expressionem apprehensivam, vel iudicativam, vel discursivam; ergo &c.

Contra secundò. Et præoccupantur adversarii. Interrogatio, promissio, & oratio, non solum fieri possunt per actus intellectus, & expressivos, sed per actus voluntatis, & affectivos, ut constat experientia; ergo illa verba non inferunt actum intellectus.

Qua de causa inter alias, de quibus num. 888. distinguit D. Thomas Secunda secundæ quest. 83. artic. 1. ad 3. Tres operationes intellectus ab oratione, & aliis actibus, quatenus contrahi possunt non solum ab intellectu, sed etiam ad voluntatem: non verò quatenus contrahi possunt ad intellectum, quòd sit apprehensio, iudicium, & discursus: sicut enim nullus potest dari actus potentia visivæ, qui non sit visio, aut potentia auditiva, qui non sit auditio, & sic de reliquis; pariter nequit dari actus intellectus, qui non sit expressio: etenim sicut potentia visiva per suum actum videt, & potentia auditiva per suum actum audit, & sic de reliquis: ita intellectus per suum actum intelligit, neque formido intellectualis pertinet ad aliquam extra assignatam intellectus operationes; est enim, ut communiter dicitur, iudicium reflexivum, quo quis iudicat objectum affirmatum per iudicium directum fortè non esse ita, hoc vel simili modo tendendi, fortè fallor, fortè oppositum est verum; ergo &c. Contra tertio. Licet omitteretur possibile tale imperium, non pertineret ad scientiam simplicis intelligentiæ, neque ad ullum actum ex his, quos supra assignavimus, sunt veræ expressiones: sed illi actus sufficientes sunt ad constituendam providentiæ sufficientiæ, ut constat ex dictis; ergo tale imperium intellectuale non est de constitutivo providentiæ sufficientiæ, sive universalis moralis.

Assero 5. Divina providentiæ sufficientiæ solum includit constitutivè ex parte voluntatis intentionem, electionem, & usum actuum prævisum ex parte hypothesis scientiæ mediæ. Providentiæ verò efficaciam libertati consentanea, & specialis benevolentiam ex parte voluntatis superaddit decretum intrinsecè efficax dependens à scientia mediæ: atque adedò evitabile à voluntate, quin possit constitui per decretum efficax inimpedibile, sive independens à scientia mediæ. Probatur facile conclusio. Positis intentione, electione, & usu activo prævisis ex parte hypothesis scientiæ mediæ datur, quidquid requiritur ad providentiæ sufficientiæ ex parte voluntatis, ut constat à num. 856. Rursus positò decreto efficaci, quò DEUS vult conferre hypothesis, quam videt per scientiam mediam conjungendam cum consensu, sufficienti propositum ut ex parte voluntatis ad veram efficientiam, & specialem benevolentiam, nec ex ullo capite implicatorum; cum non inmutet principia.

cipia immediatè proxima libertatis; & impedibile fit à libertate, cum pendeat à scientia media impedibili; si autem inimpedibile foret, libertas rueret; cum non posset impediri consensus, sine quo decretum illud existere non posset; adeoque tale decretum inimpedibile constituitur nequaquam potest providentiæ moralem, quæ constitutiva est libertatis; ut ex num. 457. ergo &c.

865. Respondebis non repugnare decretum inimpedibile, quo Deus efficaciter decernat consensus liberum elicendum à voluntate per principia proxima indifferentia, quæ postea videntur per scientiam mediam conjungenda cum consensu. Illud enim solum esset necessarium respectu voluntatis quoad existere; secus autem quoad operari; nam dum manent principia propria, & immediata ad utrumque indifferentia, manet libertas, quamvis inevitabile sit principium remotum, quale esset illud decretum. Ex hac paritate insultant contra nos Goner, & Godor, sed immeritò, quia assumunt principium falsum, ut videbimus in tractatu de Gratia; ubi ostendimus eam sententiam esse contra principia Societatis, quæ dabimus à num. 577. atque adeo non posse componi cum libertate, modò autem breviter eam rejicimus; ideoque contra primum, vel illa prædefinitio vult efficaciter consensum pro hoc instanti A determinato, vel pro aliquo instanti vago, & indeterminato, si primum, ergo nullum auxilium potest esse pro instanti A, proximè indifferens, sed secundum remotè indifferens, cum non possit conjungi cū dissentiu pro instanti A, ad eum modum, quo virtus hominis loco motiva ex se potens constitui expedita ad ambulandum, & non ambulandum, si in instanti A catena constringitur, non manet proximè, sed remotè indifferens ad ambulandum. Si secundum, ergo non manet voluntas libera ad substantiam actus præfinitis, quem non potest impedire, sed ad solam circumstantiam non præfinitam hujus, vel illius instantis; ad eum modum, quo si iudex efficaciter decerneret suspendere hominem, relinquendo illi libertatem, ut eligeret locum supplicii, in hac v. g. vel in illa platea, homo ille nequaquam esset liber ad non moriendum, sed ad puram circumstantiam mortis, non decretatam; ergo voluntas non esset libera ad consensum, sed ad circumstantiam purè non decretatam.

866. Contra 2. Qui non est liber ad carendum tenebris, sed solum ad istum, vel illum locum tenebrosum, nequaquam est liber ad habendum lucem, neque ipsi imputabile est, supposito decreto inevitabili continendi illum in loco tenebroso, si non legat, aut si præceptum recitandi officium non adimpleat; quinimò impossibile esset, quòd Deus ei homini præceptum recitandi officium imponeret. Sed eodem modo se haberet voluntas in nostro casu in ordine ad evitandum consensum; ergo &c. Contra 3. Principia immediata libertatis non solum consi-

stunt in entitatibus intrinsicè indifferentibus, sed in illis cum exclusione cujuscunq; exigentis inevitabiliter exclusionem alterius extremi libertatis; etenim si actus primus proximus immediatus talem exclusionem non diceret, homo catenà ligatus adhuc esset liber proximè ad ambulandum, eo quòd virtus illius entitativa, quæ est principium immediatum, & activum moris deambulatorii fit ad utrumque potens, solumque impedita per aliquid illi virtuti extrinsecum: sed hoc planè est absurdum; ergo &c. Contra 4. Libertas proxima requirit principia immediatè influentia entitative ad utramque expedita: sed, sive detur principium proximum inevitabile, sive inevitabile remotum cum alterutro libertatis extremo essentialiter connexum, non manent principia immediata ad utrumque expedita, ut in homine ligato planè constat; ergo &c.

867. Affero 6. Decretum prædefinitivum peccati nequit constituitur providentiæ efficacis, utpote Deo impossibile, licet sit possibile Deo decretum prædefinitivum actus boni, & constituat providentiæ efficacis. Probatum facile; quia tale decretum prædefinitivum peccati sævitiam saperet, & macularet sanctitatem Dei: nec eo posito posset Deus prohibere peccatum, cum esset interpretativa peccati volitio, ut constat à n. 585. Quapropter Africanum ibi citatum Can. 21. dixit: *Aliquos verò ad malum divina potestate prædestinatos esse non solum non credimus, sed etiam, si sunt, quantum malum credere velint, cum omni detestatione in illos anathema dicimus*; ergo &c. Vide alia cum argumentorum solutione loco cit. De Prædefinitioibus verò impedibilibus, & à scientia media pendentibus latè dicemus in Tractatu de Gratia; est enim eadem difficultas, quæ de scientia media. Unde sicut scientia media non tollit libertatem, ita neque ejusmodi præfinitiones.

#### SECTIO IV.

##### *Solvuntur opposita.*

868. Objic. 1. Contra primam. Providentiæ divina adæquatè sumpta est libera; potuit enim Deus nihil gubernandum creare: atque adeo omninò liberè gubernat, & providet: sed scientia simplicis intelligentiæ non est libera; ergo scientia simplicis intelligentiæ nullatenus constituit providentiæ. Confirm. 1. Intentio virtualiter identificata cum cognitione sui adæquatè constituit providentiæ; ergo ad istam non requiritur scientia simplicis intelligentiæ. Conf. 2. Providentiæ divinæ nihil accidere potest casuale, & fortuitum: sed scientiæ simplicis intelligentiæ accidere potest aliquid casuale, & fortuitum, cum effectus creatus liber per accidens illi adveniat; ergo &c. Resp. dist. maj. est libera ratione actus voluntatis, quo DEUS liberè causat, quod scientia repræsentat concuratione liberæ repræsentationis objecti. N. maj. & dist. min. neg. cons. ut constat à num. 495.

Ad primam Confirmat. neg. ant. quia ad eliciendam illam intentionem liberam præsupponi debet cognitio, quæ est simplex intelligentia. Virtualitas enim intentionis ad ipsam virtualitatem non præsupponitur. Ad secundam confirmationem. conc. maj. & neg. min. quia, ut habet D. Th. Ex. Doct. omnèsq; Philosophi, & Theologi cum Arist. *Lib. 2. Physic. cap. 7.* Casuale & fortuitum dicitur in ordine ad causam, & causam, quæ non physice, sed pure accidentaliter est causa effectus. Cum autem nullus effectus produci & causari possit, quin à Deo physice fiat cum noticia comprehensiva talis effectus, ex inde nulla res casualis esse potest respectu DEI. Sic qui fodiens terram inopinatio invenit thesaurum, dicitur causa per accidens thesauri inventi; quia actio effectiva fodiendi neque ex præcognitione agentis, neque ex natura, sive intentione talis actionis exigit inventionem thesauri: Neque illi communiter, sed raro adjungitur. Effectus autem, qui tali actioni per accidens, & raro adjungitur, dicitur casualis respectu causæ efficientis. Si autem causa sit rationalis, dicitur etiam eventus fortuitus. Fortuna enim solum respicit causam rationalem: atque adeo omne fortuitum est casuale, at omne casuale non est fortuitum.

869. Quamobrem Aristoteles loco cit. à textu 57. ait: *Sunt igitur ambo cause, quemadmodum dictum est, secundum accidens & Fortuna & Casus in iis, quæ possunt fieri, non simpliciter, neque frequenter: Et horum quæcunque utique fient in iis, quæ propter aliquid. Differunt autem, quoniam in plus est, quod enim est à fortuna, est & à casu: Hoc autem non omne à fortuna est: Fortuna enim, & quod à fortuna est, iis inest, quibus & fortunatos esse inerit, & omnino actio. Quocirca & necesse est circa agenda esse fortunam. Signum autem est; quoniam videtur vel idem esse cum felicitate prospera fortuna, aut prospera felicitas autem actio quedam est; est enim bona actio; quare quibus cumque non contingit agere, iis neque à fortuna aliquid agere continget.* Hæc Aristoteles. exinde D. Thomas 1. parte q. 22. art. 2. ad 1. ait: Unde cum omnes causæ particulares concludantur sub universali causa, impossibile est aliquem effectum ordinem causæ universalis effugere. In quantum igitur aliquis effectus ordinem alicujus causæ particularis effugit, dicitur esse casuale, vel fortuitum respectu causæ particularis. Sed respectu causæ universalis, à cujus ordine subtrahi non potest, dicitur esse provifum. Sicut & concursus duorum fervorum, licet sit casualis in quantum ad eos, est tamen prævisus à Domino, qui eos scienter sic ad unum locum mittit, ut unus de alio neficiat.

870. Hæc omnia late explicat Ex. Doct. *disp. 20. metaph. sect. 12. n. 2.* dicens: *Nomen igitur casus potius significat effectum, quam causam, diciturque de quolibet effectu inopinato. Cum autem nullus divinus actus possit esse effectus, vel inopinatus,*

exinde nullus potest esse casualis. Quinimò etiam nullus effectus creatus effici possit, quin jam Deus habeat ab æterno prævisionem ejus sub causis suis: exinde nequit esse fortuitus, & casualis respectu Dei. Unde n. 4. ita subjungit: *Atque ex hac explicatione intelligitur non esse in universo effectus casuales respectu Dei, sed tantum respectu causarum secundarum, & paucis interjectis. Respondetur in primis respectu causæ operantis per intellectum, & voluntatem non solum requiri ad hoc, quod effectus sit casualis, sed fortuitus, ut sit præter voluntatem, sed etiam ut sit præter scientiam, vel opinionem operantis. Nam si ex actione mea aliquid sequatur, quod ego futurum esse prævidi, non potest dici esse mihi casuale, vel fortuitum: etiamsi esse possit vel non voluntarium, sed permissum tantum, vel etiam aliquo modo involuntarium. Unde Arist. lib. 2. Mag. moral. c. 8. dicit: *ibi minus esse fortuna, ubi plus est intellectus; ut ergo Deo nihil casu accidat, satis est quod nihil præter ejus scientiam, & præscientiam eveniat.* Hæc Ex. Doct. quam doctrinam applicans casui n. 5. addit, *Hæc est sententia Aristotelis, & omnium Philosophorum in locis citatis, eamq; declarat D. Thomas.* Hæc Exim. Doct. Exinde apparet, quam magna irrogeretur injuria D. Thomæ, Exim. Doct. Aristoteli aliisque ab illis; qui adeo præfidenter eos afferunt pro sententia contraria.*

Objic. 2. Contra secundam assertionem. §71. Contra infinitam perfectionem Dei esset decernere aliquid circa nostras operationes liberas, sine noticia effectus futuri ex illo decreto; sicuti est imperfectio agentis humani decernere aliquid non prævidendo, quid inde eventurum sit; ergo nequit Deus habere decretum collativum auxilii pertinens ad providentiam sufficientiæ sine prælucentia, & connexionem cum scientia media. Confirmat. primò. Providentia divina est summè, & infinite sapiens, certa, & prudens: sed non ita esset, si non dirigeretur ex scientia media, & illud decretum haberet connexionem cum illa; ignoraret enim, quem eventum media haberent; ergo &c. Confirm. 2. Provifor humanus eo est prudentior, quò melius penetrat, & considerat eventum, quem habebunt media ab ipso provifa ad finis consequutionem: atqui providentia divina est prudentissima; ergo &c.

Confirmat. 3. Scientia media est ante omnè divinum decretum; ergo dirigit Deum ad eliciendum quodcunque decretum: atque adeo dirigit, & constituit providentiam universalem. Confirmat. 4. Post prælucentiam scientiæ mediæ adhuc manet DEUS liber ad eliciendum decretum, quo velit conferre hypothefin, & elicere decretum primarium ex parte hypothefis prævisum: vel non elicere, neque hypothefin conferre; ergo scientia media dirigit Deum ad illud decretum

primarium : atque adeo constituit providentiam universalem sufficientiam. Confirm. 5. Decretum divinum est amor efficax omnium prædicatorum, quæ, quando elicitur, sunt in Deo ; ergo est amor scientiæ mediæ præcedentis ad ipsum : atque adeo essentialiter dirigitur à scientia mediæ, quæ exinde constituet universalem providentiam sufficientiam.

873. Resp. dist. ant. contra infinitam perfectionem Dei ut universalis providentis neg. ut omniscientis, vel ut efficaciter intendentis eventum conc. ant. & neg. conseq. Ratio est, quia ex titulo universalis providentis solum debet intendere eligere, & conferre mediæ resp. utilia ad finem, & quæ satis sint, ut provilus pro libito suo possit cum his mediis finem obtinere. Cùm autem utilitatem mediæ cognoscat Deus per scientiam simplicis intelligentiæ, decretum efficaciter collativum mediæ, ut sufficientium, non prærequirit scientiam mediæ, sed solam scientiam simplicis intelligentiæ : etenim, quod mediæ ex intrinsicis suis sint utilia, & sufficientia, vel non sint, non est veritas contingens, sed necessaria, atque adeo non pertinet ad scientiam mediæ, sed ad simplicem intelligentiam, quare decretum collativum mediæ, præcisè ut sufficientium, non pender à scientia mediæ, sed à simplici intelligentiâ. Unde si Provisor humanus solum teneretur conferre providentiam sufficientiam, non esset imprudens, quamvis non sciret eventum, dummodo certissimè sciret mediæ collata sufficientiam esse, ut Provilus, si veller, posset pro libito suo cum iis mediis finem obtinere. Verum, quia Provisor humanus quærens per providentiam suam finem sibi utilem, vult, quantum potest, efficaciter finem, quem optat per ea mediæ, eo præcisè, quod, quando confert mediæ, non habeat scientiam de eventu, dicitur ejus providentia incerta, non quidem prout incertitudo opponitur providentiæ sufficientiæ, sed prout opponitur providentiæ efficaciæ. Exinde

874. Ad primam confirmationem dist. maj. est summè, & infinitè sapiens certa, & prudens infinitate possibili, & quam exigit in signo suo conc. non possibili, & quam non exigit neg. maj. & dist. min. neg. conseq. Ratio est, quia in signo providentiæ universalis, & sufficientiæ solum datur potentia ad utrumque, ratione cujus non est cognoscibilis effectus præ omissione, sed est cognoscibilis effectus potens poni pro libito voluntatis, quod jam cognoscit. Unde sicut scientia simplicis intelligentiæ non est incerta, & imprudens, quamvis non cognoscat eventum futurum, utpote pro eo signo non cognoscibile, neq; illum exigens, sed est infinita in sua linea, eo quod cognoscat, quidquid eo signo est cognoscibile : ita providentia universalis non est incerta, & imprudens, sed infinita in sua linea, cùm cognoscat, quidquid pro eo signo est cognoscibile. Ad secundam confirmationem dist. maj. est prudentior pru-

dentia spectante ad providentiam particularem conc. ad universalem & sufficientiam neg. maj. & dist. min. est prudentissima per perfectionem suæ lineæ conc. lineæ non suæ neg. min. & consequentiam, ut ex dictis. Ad tertiam confirmationem dist. ant. est ante omne divinum decretum prioritate exercita conc. prioritate naturæ neg. ant. & conseq. Quia scientia mediæ est posterior naturâ consensu : consensus autem est posterior naturâ hypothese ad consensum. Cùm autem hypothesis constituta per decretum indifferens sit prior naturâ consensu, & consensus sit prior naturâ scientiâ mediæ ; decretum indifferens est prius naturâ scientiâ mediæ, ex illo principio lumine naturæ noto : *Quod est prius priori, est prius posteriori.*

Ad quartam confirmationem dist. ant. & elicere decretum primarium per libertatem naturâ posteriorem scientiâ mediæ neg. natura priorem conc. ant. & neg. consequentiam. Ratio est, quia libertas ad producendum, vel non producendum, eliciendum, vel non eliciendum decretum primarium constitutivum providentiæ sufficientiæ, sive hypothese scientiæ mediæ est Deo necessaria : & scientia mediæ est Deo contingens. Prædicata autem necessaria in Deo sunt priora naturâ contingentibus, ut diximus à n. 734. Unde nequit Deus dirigi per scientiam mediæ ad eliciendum decretum primarium, sed ad eliciendum secundarium ex libertate propria omniscientis, & absoluti Domini in linea physica, & morali ex dictis à n. 642. Quæ libertas constituitur per scientiam mediæ de eventu futuro sub ea hypothese. Ex qua secunda libertate potest Deus se exercere ; quin apponat hypothese, vel eam apponendo : atque adeo si non apponatur, manebit scientia mediæ naturâ posterior consensu conditionato ; ejusque hypothese : si autem apponatur, manebit naturâ posterior consensu absoluto : cùm ex eo detur in Deo ista scientia mediæ : quia ponetur consensus absolutus, si ponatur hypothese, & non e contra. Quæ maxime notanda sunt. Tam pro his, quæ pertinent ad providentiam, quam ad tractatum de Gratia.

Ad confirmationem dist. ant. quæ, quando elicitur, sunt necessariò in Deo in suo signo naturæ conc. in signo posteriori naturæ neg. ant. & consequentiam. Ratio est, quia decretum liberum potens existere in Deo absque omni eo, quod est posterius naturâ ipso decreto : atque adeo decretum indifferens constitutivum scientiæ mediæ, cùm possit dari in Deo, sive subsequatur scientia mediæ de consensu, sive de dissensu & non e contra : ea de causa, neq; est amor efficax scientiæ mediæ de dissensu, neq; scientiæ mediæ de consensu. Aliter, si esset amor efficax scientiæ mediæ de consensu, non posset existere sine illa. Unde cùm esset connexum cum alterutro extremo libertatis, non posset constituere hypothese indifferens, & tollere à

Deo scientiâ mediam. Quapropter miror valdè, quòd efformetur tale argumentum à defensoribus scientiæ mediæ. Neque sat est dicere, omnipotentiam non applicari per decretum indifferens, atque adeò non præsupponi decretum indifferens ex parte hypothæsis, sed applicari per præfinitionem subsequenter scientiam mediam, quæ non est necessitas physica necessitans voluntatem ad consensum, sed solum logicè inferens consensum. Hæc enim responsio satis impugnata manet ex doctrina totius tractatûs, præcipuè à num. 244. & 449. ubi & ex ratione Theologica, & ex testimoniis SS. PP. constat non posse concipi applicatam omnipotentiam sine divino decreto: cum autem ex parte hypothæsis scientiæ mediæ non possit decretum illud esse efficax, sed indifferens, ut constat à num. 379. per sex integras disputationes. Exinde clarè apparet negari non posse in schola nostra decretum indifferens.

877. Quapropter Rev. Pater noster Generalis Carolus de Noyelle rogatus, an aliquæ propositiones defendi possent in schola nostra Resp. Provinciali Aragoniæ literis Romæ datis 26. Sept. 1682. severè prohibens, ne ullus ex nostris aliquas ibi præfixas propositiones doceret, quarum secunda hæc est: dum sit consensus bonus, applicatur omnipotentia salva libertate per præfinitionem efficacem consensus absque ullo decreto indifferenti: & talis præfinitio non est consequens, sed antecedens consensus. 3. Hujusmodi præfinitio omnipotentia applicativa non est necessitas physica necessitans voluntatem ad consensum: sed solum logicè inferens, quòd consentiet liberè, & relinquit intactam indifferentiâ physicam voluntatis ex vi causarum proximarum potentis physicè facere dissensum, & per illum impedire consensum, & prædictam necessitatem Logicam, quæ dicitur consequentiâ. 4. Prædicta præfinitio efficaciter volens consensum, & efficaciter nollens dissensum, est sufficiens applicatio omnipotentia ad dissensum. 5. Quamvis, dum sit consensus prædefinitus, non sit decretum indifferens omnipotentia applicativum, est tamen in voluntate sic constituta per hæc principia undecunque provenientia, potestas faciendi, quod esset (puta decretum indifferens) pro casu, quo ipsa dissentiret. 6. Implicat absolute decretum applicativum omnipotentia ad operationes liberas honestas esse indifferens, sed necessariò debet esse prædefinitio Dei efficax; ex quarum propositionum prohibitione clarè constat, quàm propria sit Societatis doctrina à nobis hucusque tradita. Verùm de his agemus latè in Tract. de Gratia, cum de prædefinitionibus erit sermo.

878. Objic. 3. Decretum primarium collativum auxilii per se procedit à libertate divina constituta per scientiam mediam, qua Deus est liber ad conferendum auxilium quia efficax, vel præcisè quia utile; ergo ex se habet connexio-

nem cum scientiâ mediâ: atque adeò non est indifferens, sed connexum cum altero libertatis extremo. Confirm. 1. Ex parte hypothæsis scientiæ mediæ, licèt non requiratur hæc, vel illa scientia mediâ determinata, requiritur aliqua vagè, & disjunctivè sumpta, ne Deus cæco modo procedat; ergo decretum primarium connecti debet vel cum scientia mediâ de consensu, vel cum scientia de dissensu, atque adeò non erit indifferens, sed prædefinitivum. Confirm. 2. Licèt Trinitas Personarum, aut æternitas decreti non requiratur ex parte effectûs creati, requiruntur tamen ex parte præfinitionis divinæ in actu primo proximo providentiæ sufficientiæ: ergo etiam scientia mediâ. Confirmat. 3. P. N. Generalis Claudius Aqua viva die 14. Decembr. 1613, præcepit ut Magistri Societatis docerent efficaciam auxilii in actu primo, sed hæc stare non possunt, si scientia mediâ non constituar actum primum providentiæ universalis: & exinde decretum primarium connectatur cum scientia mediâ; ergo &c.

Resp. neg. ant. Quia tale decretum solum procedit per se à jure divino constituendi creaturâ ad utrumque indifferens, non verò determinatam ad unum: cum autem jus illud, utpote prædicatum necessarium, sit prius naturâ scientiâ mediâ, & decreto ab ea pendente, ut constat à n. 734. & 873. Exinde decretum indifferens nõ procedit per se à decreto subsequente scientiam mediam. Cæterum, quia decretum pendens à scientia mediâ existit in signo priori exercito ex dictis à n. 826. simulq; vult, & imperat principia immediata elicientia decretum indifferens, exinde dicitur concurrere imperativè ad decretum indifferens: at cum istud imperium sit contingens decreto indifferenti ex dictis à n. 858. Ea de causa nõ procedit ab illo per se, sed per accidens: etenim decretum indifferens aequè potest existere cū efficacia, vel cum inefficacia, cū hoc imperante, vel cum ejus contradictorio, aut cum pura omissione ex dictis à n. 858. Cum autem actus potens componi cum quolibet ex duobus contradictoriis, à neutro ex illis per se dependeat, aut procedat; & potens ex se componi cum omissione alicujus actus, non pendeat ab eo actu, exinde decretum indifferens nequit per se procedere à decreto pendente à scientia mediâ.

Ad primam confirmationem neg. ant. nam in signo hypotesis scientiæ mediæ, neque datur scientia mediâ de consensu, neque de dissensu; sed conditio, ut in signo posteriori naturæ habeat Deus unam è duabus, sicuti in signo libertatis, neque datur consensus, neque dissensus; sed potentia ut in signo sequenti jungatur cum consensu, vel dissensu. Ad secundam confirmationem conc. ant. & neg. consequentiâ. Quia Trinitas Personarum est prædicatum necessarium compossibile cum utroque libertatis extremo: atque adeò præcedit libera. Decretum verò utpote divinum, & ha-

& habens omnem perfectionem in suo genere possibilem, debet esse æternum ex n. 804. Verum ut sit componibile cum libertate, si sit cum altero libertatis extremo connexum, debet esse natura posterius libertate, ut sæpe diximus. At scientia media, si præcederet ex parte hypothesis requisitæ ad providentiam sufficientiæ, non esset posterior naturâ libertate: & cum aliunde sit connexa cum altero libertatis extremo, libertatem everteret. Ad tertiam confirmationem dist. maj. efficaciam auxilii in actu primo providentiæ universalis, & sufficientiæ neg. providentiæ particularis, & efficaciam conc. maj. & dist. min. neg. conseq. Quia actus primus providentiæ particularis efficacis constituitur ex scientia media evitabili à creatura ex num. 884. qua Deus videt auxilium, si conferatur, futurum efficax: atque adeo talis actus primus nequaquam officit libertati.

881. **Objic. 4.** Contra tertiam. Per scientiam simplicis intelligentiæ cognoscit Deus se habere plura auxilia, quibus quancumque voluerit, obtinebit consensum liberum cujuscumque voluntatis; ergo ad providentiam efficaciam sufficienter dirigitur Deus à scientia simplicis intelligentiæ, atque adeo providentia efficaciam non includit constitutivè scientiam mediam. Probat. ant. Deum obtinere quotiescumque voluerit, consensum liberum cujuscumque; creaturæ est perfectio Dei necessaria, ut constat ex Augustino in Enchiridio. c. 98. dicente: *Quis enim tam impiè despiat, ut dicat Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non posse convertere?* ergo cognoscit Deus per scientiam simplicis intelligentiæ nullam esse voluntatem intrinsecè possibilem, cujus liberum consensum non obtineat, quancumque voluerit.

882. **Resp. dist. ant.** Cujuscumque voluntatis, quæ producatur conc. quæ non producatur neg. ant. & conseq. ad probationem dist. eodem modo ant. & neg. conseq. Ratio est, quia per scientiam simplicis intelligentiæ solum cognoscit Deus veritates necessarias. Cum autem dari consensum liberum sub principiis indifferentibus, non sit veritas necessaria, sed libera, non cognoscit illam Deus per scientiam simplicis intelligentiæ; Cæterum; quia ex titulo necessarii dominii habet Deus posse uti creaturis, ut voluerit, ea, quæ sub nullo auxilio consensura forent, non maneret extrinsecè possibile, neque producibilis, quod cognoscit Deus per simplicem intelligentiam; an autem, & quanam creatura dissensura foret singulis auxiliis, nequit cognosci nisi per scientiam mediam, per quam cognoscit Deus, quanam auxilia erunt efficaciam, & quanam inefficacia, cum autem totum hoc requiratur ad providentiam efficaciam, exinde scientia media indispensabiliter includitur in constitutivo providentiæ efficacis libertatem non evertentis. neque alia est mens Augustini, aliorumque SS. PP. ut late constat num. 642.

**Objic. 5.** Si scientia media constitueret providentiam efficaciam, destrueretur objectum scientiæ mediæ; ergo nequit illam constituere. Probat. ant. Objectum scientiæ mediæ erat consensus sub hypothesis indifferente, atqui in providentia efficaciam non manet consensus sub hypothesis indifferente, sed cū determinatione ad unum; procedit enim à directione scientiæ mediæ determinatè ad unum; ergo &c. **Confirmat. 1.** Ex parte hujus hypothesis. Si dederò Petro auxilium A, vel intelligit Deus providè, vel si dederò improvidè, etenim datio ipsa nequit esse neutra: atqui si Deus intelligeret secundum, falleretur, cum nihil fieri possit ipso operante improvidè; ergo intelligi debet, si fiat providè: atque adeo ex parte hypothesis includi debet scientia media. **Confir. 2.** Ex parte hypothesis, vel intelligitur decretum, & auxilium efficaciam, vel inefficax? Si efficaciam, intelligitur scientia media de consensu: si inefficax, intelligitur scientia media de dissensu; ergo &c.

**Resp. neg. ant. ad probationem dist. major.** sub hypothesis indifferente se habente pro priori naturæ ad consensum liberum conditionatum conc. se habente pro posteriori naturæ neg. maj. & dist. eodem modo min. neg. conseq. Ratio est, quia providentia efficaciam complectitur duplicem actum primum, videlicet, & actum primum providentiæ sufficientiæ, qui est hypothesis scientiæ mediæ indifferens ad utrumque libertatis extremum, se habens pro priori naturæ ad scientiam mediam: & actum primum providentiæ particularis, sive specialis benevolentiam, qui alterius constitutivo superaddit scientiam mediam. Cum autem scientia media non destruat hypothesis, à qua dependet, sed cum ea jungatur ad constituendam providentiam particularem: exinde scientia media constituens providentiam particularem, non destruit, sed infert ipsius objectum, & hypothesis.

**Ad primam confirmationem dico:** Deum per suum actum intelligere, si dederò providè, providentiâ in eo signo hypothesis possibile, quæ sola est providentia sufficientiæ. Unde ex parte illius hypothesis utpote præviæ ad scientiam mediam, nequaquam includitur scientia media. Si verò ex parte illius hypothesis, si dederò, non intelligat Deus decretum indifferens, aut auxilium nudè sumptum, cum exclusionè omnis impedimenti inevitabilis, sed ut affectum scientiæ mediæ de consensu sub illo, jam illa hypothesis non esset hypothesis solius providentiæ sufficientiæ præviæ ad scientiam mediam: sed hypothesis providentiæ particularis, includens scientiam mediam evitabilem à voluntate ex dictis à n. 744. Unde sub ea hypothesis nequit cognosci consensus per scientiam mediam, sed per scientiam visionis, & simplicis intelligentiæ, ut constat à n. 547. Exinde ad secundam confirmationem dico, ex parte hypothesis scientiæ mediæ intelligi auxi-

lium, & decretum nudè sumptum cū exclusio-  
ne impedimentorum, & capax, ut pro signo se-  
quenti jungatur cum consensu, & appareat  
extrinsecè efficax, vel cum dissensu, & appa-  
reat extrinsecè inefficax: sicuti voluntas libe-  
ra in actū primo, neque intelligitur volens,  
neque nolens, sed capax, ut pro signo sequenti  
jungatur cum volitione, & denominetur  
volens: aut cum nolitione, & denominetur  
nolens. Vide reliqua argumenta soluta à num.  
734. & 890.

886. *Objic. 6.* Contra quartam. Deus nunquam  
potest actū elicere decretum, quin præviè se  
habeat scientia media: atqui ut Deus prælu-  
cente scientia media habeat providentiam, sive  
universalem moralem, sive particularem, re-  
quiritur dictamen practicum, & imperium in-  
tellectuale essentialiter connexum cum ob-  
jecto dictans: *fac hoc*; ergo &c. Confir-  
matur primò. Scientia simplicis intelligen-  
tiæ, utpote affirmans rem possibilem, &  
scientia media, utpote affirmans eventum  
conditionatè futurum, sunt veræ, earumque  
contradictoriæ falsæ: atqui imperium intelle-  
ctuale *fac hoc*, non est iudicium capax verita-  
tis, aut falsitatis: ergo ultra scientiam medi-  
am, & simplicis intelligentiæ requiritur in  
providente. *Conf. 2.* Scientia media, & simplex  
intelligentia pertinent ad unam è tribus o-  
perationibus intellectus: atqui imperium in-  
tellectuale ad nullam è tribus operationibus in-  
tellectus pertinet; ergo &c. *Probat. min. ex*  
*D. Thoma Secunda secunda q. 83. art. 1.* ubi  
agens de oratione post enumeratos tres actus  
intellectus apprehensionem, iudicium, & dis-  
cursum, addit: *Illi tres actus pertinent ad ra-  
tionem speculativam, sed ulterius ad rationem  
practicam pertinet causare aliquid per modum  
imperii, & petitionis; ergo &c.* *Confirm. 3.*  
Formido, dubitatio, suspicio, admiratio, &  
id genus alii, sunt actus de linea intellectuali,  
quin pertineant ad aliquam è tribus operatio-  
nibus intellectus: sed ejusmodi naturam habent  
imperium, & petitiō, sive dictamen practicum;  
ergo &c.

887. *Resp. dist. maj.* Quin præviè se habeat sci-  
entia media prioritate exercita conc. priorita-  
te naturæ neg. maj. min. & conseq. Etenim  
scientia media, licet sit prior exercite, est poste-  
rior naturæ suæ hypothese: cum hypothesis sit  
prior naturæ consensu. Consensus autem sit  
prior naturæ scientiæ mediæ. Quod autem est  
prius priori, planè etiam prius est posteriori,  
ut patet in Avo, Filio, & Nepote. Verum,  
quamvis major esset vera: minor adhuc esset  
falsæ: cum in Deo non sit necessarium aliud  
imperium præter scientiam mediā, & sim-  
plicè intelligentiam, licet necessarium esset in  
hominibus, cum per has scientias habeat Deus  
sufficientem certitudinem, quod satis clarè do-  
cet D. Thomas num. 849. Unde istæ scien-  
tiæ solum possunt dici dictamen practicum, &  
imperium directivum: atque adeo, cum scien-

tia constituens providentiam particularem sub-  
sequatur posterioritate naturæ intentionem, &  
electionem: secus autem simplex intelligen-  
tia constituens providentiam universalem,  
exinde dictamen practicum, & imperium dire-  
ctivum providentiæ particularis subsequitur in-  
tentionem, & electionem; quo in sensu loqui-  
tur aliquando D. Thomas: secus dictamen, &  
imperium providentiæ universalis, de qua nec  
verbum ibi habet D. Thomas.

Ad primam confirmationem conc. maj. &  
neg. min. Quia si imperium istud, *fac hoc*, sit  
intellectuale contradistinctum ab affectivo, de-  
bet habere aliquam expressionem denunciatio-  
nis, obligationis, vel utilitatis, aut conducen-  
tiæ ad finem: unde si res non haberent utilita-  
tem, aut conducentiam, quæ denunciatur, il-  
lud imperium intellectuale *fac hoc*, esset fal-  
sum. Ad secundam confirmationem conc. maj.  
& neg. minor. Ad probationem conc. ant. &  
neg. conseq. Quia D. Thomas in illis verbis  
non contra distinguit orationem, & petitiō-  
nem à tribus intellectus operationibus in tota  
sua latitudine sumptis, sed ab illis, quæ non re-  
præsentant rem factibilem, sed in ea, ut præ-  
cisè facta sistunt: atque adeo dicuntur actus  
purè speculativi: Oratio verò, & petitiō in-  
tellectualis, cum respiciant praxin, reducuntur  
ad iudicium practicum assertivè significans de-  
siderium rei obtinendæ, ut habet Ex. Doct.  
*rom. 2. de Religione Tract. 4. lib. 1. cap. 4. & 5.*

Ad tertiam confirmationem neg. maj. &  
min. Major enim est falsæ; nam omnes illi a-  
ctus sunt iudicia; formido enim ita assentitur,  
ut ex suo modo tendendi sit componibilis cum  
actu ex opposito motivo dicente: Fortè ita non  
est, atque adeo solum affirmat ex alio motivo:  
Fortè ita est. Dubitatio est assensus, quo mens  
utrimque fluctuans affirmare potest apprehen-  
siones, quas habet utriusque partis cum defe-  
ctu sufficientis motivi ad alterutram. Suspicio  
ita eas apprehensiones fluctuantis mentis attingit,  
ut simul inclinet in eo, quod in hoc motivo  
præ alio aliquid lateat. Admiratio est iudici-  
um, quo annunciamus rei magnitudinem, vel  
insolentiam, aut simul nostram inexpectatio-  
nem, vel inferioritatem ad illam. Unde major  
ea propositio est planè falsæ. Minor etiam est  
falsæ; nam dictamen practicum, vel imperi-  
um intellectuale non alio modo tendit, nisi ex-  
primendo rem faciendam, vel obligationem  
faciendi. Sic dictamen naturale, quo cognoscimus,  
quid nobis permittitur, quid prohibetur, sit,  
dicitur imperium, & lex naturalis. Unde, licet  
darentur alii actus intellectuales, qui neque es-  
sent apprehensio, neque iudicium, neque discursus,  
non esset talis naturæ dictamen illud practicum,  
& imperium directivum, quod constituerent  
providentiam, sed essent verum iudicium.

*Objic. 7.* Contra quintam conclusionem.  
Scientia media reflexa, qua Deus dicit: si vi-  
dero per scientiam mediā directam, quòd Pe-  
trus dissentiret, si conferrem illi auxilium A.

non conferrem auxilium A, est inevitabilis à voluntate Petri, & impossibilis cum dissensu: atqui non tollit libertatem; ergo licet decretum efficacis inimpedibile independens à scientia media, sit inevitabile, & impossibile cum dissensu, non exinde auferret libertatem.

Confirmat. 1. Si decretum inimpedibile decerneret consensum pro aliquo instanti vago, & indeterminato, posset voluntas illud elicere, vel non elicere in instanti A; ergo esset libera ad substantiam in instanti A. Confirmat. 2. Decretum illud inimpedibile non constituit actum primum proximum: ergo non impedit libertatem ad substantiam actus. Resp. dist. min. est inevitabilis à voluntate nudè sumpta conc. à voluntate instructa comprincipiis ad utrumque expeditis neg. maj. & dist. minor. non tollit libertatem, si conjungatur cum comprincipiis ad utrumque expeditis conc. si non conjungatur neg. minorem, & consequentiam.

Ratio est, quia, ut voluntas sit actu libera, non satis est, quòd esset libera, si darentur illi requisita omnia ad utrumque expedita; sed requiritur quòd actu dentur. Licet enim actus non requirat principia ad omissionem, aut e contra: at libertas in actu primo proximo ad utrumque requirit principia expedita ad utrumque. Sic Petrus, ut sit actu liber ad comburendam supparam Neapoli, non satis est, quòd esset liber, si esset approximatus, & existeret Neapoli, sed requiritur, quòd existat Neapoli, & sit approximatus. Exinde

891. Non satis est, ut Petrus sit liber actu per auxilia ad consensum, vel dissensum, quòd esset liber, si ei conferrentur ea auxilia, sed requiritur, quòd actu illi sint collata. Quomobrem voluntas nudè sumpta non est proximè libera, & expedita ad consensum, vel dissensum; atque adeò nudè sumpta nequit evitare liberè dissensum, neque decretum, aut scientiam reflexam illi naturæ subsequenterem. Si autem voluntati conferantur auxilia indifferentia, & constituatur proximè libera ad utrumque, tunc jam potest pro libito suo elicere dissensum, & sic impedire decretum DEI de non dando auxilium pro casu dissensu. Pariter, quando cum illo auxilio elicet consensum, potest evitare consensum, & scientiam mediam de consensu sub illo, atque adeò decretum subsequens pro posteriori naturæ scientiam mediam de non dando auxilio, nisi pro casu dissensu, ex dictis à num. 744. Licet enim verum sit, quòd non evitabit illam scientiam mediam directam, est æquè verum, quòd poterat illam evitare: sic etiam, licet sit verum, quòd non evitabit scientiam reflexam de non dando auxilio pro casu dissensu, est æquè verum, quòd poterat pro libito

suo cum eo auxilio ad utrumque expedito eam evitare. Unde si scientia mediæ directæ non deserviat, ad deservendam libertatem voluntatem, sicuti deserviret, ut dicemus num. 931. casu, quò DEUS diceret: quia video, quòd si conferam hæc principia voluntati, erit libera; & peccabit, nolo conferre libertatem, sed necessitare voluntatem ad bonum; sed deserviret ad dandam libertatem prævisam ex parte hypothesis, tunc deserviret ad dandum id, quò poterat ea scientia directæ de eventu impediri, licet de facto non impedienda sit; eò quòd voluntas, quæ pro libito suo poterat dissentire, de facto non dissentiet, sed consentiet, aut e contra. Cæterum, cum voluntas à DEO libera constituta non solum dicat voluntatem constitutam, sed etiam DEUM illam constituentem, exinde illa inevitabilitas non est in actu primo à sola voluntate, sed à voluntate simul, & à DEO.

Ad primam confirmationem dist. antecedens: illum elicere, vel non elicere in instanti A cum necessitate metaphysicæ ad elicendum illum in alio instanti, si non eliciat in isto conc. absque tali necessitate neg. antecedens, & consequentiam, ut constat à num. 865. Ad secundam confirmationem dist. ant. non constituit, neque impedit id, quòd constituit actum primum proximum neg. & impedit conc. antecedens, & neg. consequentiam.

Ratio est, quia actus primus proximus non constituitur ex voluntate, & auxilio indifferente nudè sumpto, sed ad utrumque expedito. Hæc autem expeditio ad utrumque dicit exclusionem cujuscunque impedimenti inimpedibilis, sive extrinseci, sive intrinseci; & inconjunctibilis cum utroque libertatis extremo, ut patet in homine damnato ad mortem, vel catenâ extrinsecus ligato, aut intrinseca qualitate ad ambulandum impedito, qui ob defectum exclusionis talis impedimenti sive intrinseci, sive extrinseci non esset proximè liber; & expeditus ad evitandam absolutè mortem, aut ad absolutè ambulandum. Cum autem illud decretum impediret exclusionem talis impedimenti, non minus, quàm catenâ impediret exclusionem catenæ; exinde impediret, quòd constituit actum primum proximum: atque adeò tolleret libertatem. Et certè scire vellem ab adversariis, quare nos non sumus immediatè liberi, sed solum liberi in capite, nempe in Adamo, ad non incurrendum originale, vel ad nunquam moriendum, nisi ob rationem à nobis datam requisitam ad proximam libertatem.

Objic. 8. Licet DEUS ante prælucentiam scientiæ mediæ decerneret efficaciter consensum Petri, adhuc postea prævidere poterat per

bb

scien

scientiam mediam, quod si conferret ei hæc principia proximè indifferentia, Petrus potens cum eis dissentire, non dissentiret, sed liberè consentiret; ergo Providentia efficaciæ libertati consentanea constitui potest ex tali de-creto. Confirm. 1. D E U S per scientiam simplicis intelligentiæ videt voluntatem infal-libiliter consenturâ alicui auxilio indifferenti; ergo Deus à sola scientia simplicis intelligen-tiæ directus potest efficaciter decernere con-sensum liberum. Confirmat. 2. Licet nulla occasio se solâ actu necessitet voluntatem mor-aliter ad peccatum, cumulus autem omni-um occasio necessitat moraliter volunta-tem: ergo licet nullum auxilium indifferens se solo inferat metaphysicè consensum liberum; cumulus autem omnium auxiliorum indiffe-rentium inferat metaphysicè consensum libe-rum; adeoque ex necessaria cognitione, quam D E U S habet de cumulo auxiliorum, pote-rit salva libertate decernere efficaciter consen-sum liberum.

894. Resp. dist. ant. Liberè quoad substantiam actus præfinitam, nego, quoad circumstantiam non præfinitam conc. ant. & neg. consequ. ut constat à n. 865. Ad primam confirmatio-nem neg. ant. nam per scientiam simplicis in-telligentiæ solùm videntur necessaria, non au-tem libera: libertas autem ad unum è duo-bus nequit esse metaphysica necessitas ad nu-num neque id est contra dominium Dei, ut constat à n. 642. Plures autem admittentes ant. adhuc negant consequent. cum Henao Par-te 1. de Scientia media sect. 444. at de hoc ipsi curent. Ad secundam confirmationem conc. ant. & neg. consequ. Ratio est, quia neces-sitas moralis potest vinci physicè, ac proinde, sive ab intrinseco, sive ab extrinseco proveniat, sive ad unum, sive ad multa devolvatur, relinquit absolutum conceptum libertatis; sicuti dum manet homo, licet maneat vulne-ratus, manet animal rationale. Unde concep-tus absolutus libertatis non excludit eam necessitatem moralem, at verò necessitas me-taphysica nullo modo vinci potest, ac proinde tollit conceptum absolutum libertatis. Un-de neque ab uno, neque à pluribus, neque ab intrinseco, neque ab extrinseco provenire po-test manente libertate; sicuti neq; ab intrinseco, nec ab extrinseco, nec ab uno, nec à pluribus tollitur homo, dum manet animal ratio-nale.

895. Cæterum, propter utilitatem doctrinæ, non renuam insinuare breviter, quæ tradam in tractatu de gratia, itaque necessitas moralis nihil aliud est, quàm fundamentum ad prudenter ju-dicandum effectum aliquem in his circumstan-tiis existurum, nisi valde difficuliter, aut per valde extraordinarium agendi modum impe-diat, uti revera impediri potest. Hoc autem fundamentum ad ita judicandum aliquando stat in intrinseco, v. g. quando aliquis pravis

habitibus, & pessimis inclinationibus instru-ctus ad malum habet urgentem occasionem, ad quam pessimæ illæ inclinationes alliciunt. Licet enim tunc libertas absolūtè maneat, sine qua peccatum formale non foret, at ea indoles, & lubrica natura ita inclinata, fundamenti satis est ad eliciendum iudicium prudens, quale de-scripsimus; aliquando etiam hoc fundamentum stat non solum in intrinseco, sed partim in ex-trinseco, v. g. in natura fragili ad plures dura-tiones protracta cum jure ad operandum diffor-miter, cum enim superveniant motiva allici-entia ad bonum, & allicientia ad malum, valde difficile, & irregulare esset, quod ea fragilitas non operaretur quasi fragilitas, sed quasi natura stabilis firmata in bonum, quin unquam transi-eret ad malum. Unde in eo complexo darentur totum illud fundamentum, quod vocatur neces-sitas moralis. Exinde, cum eodem modo quan-tum ad illâ fragilitatem se habeant mille homi-nes in ordine ad unam durationem, ac se habet unus homo in ordine ad mille durationes, si est moraliter impossibile, quod unus homo in ali-qua ex mille durationibus non proferat ullum verbum orisum, aut non committat aliquid veniale, ita erit moraliter impossibile, quod in una duratione aliquis ex mille hominibus non committat aliquid veniale.

Quapropter, cum illud fundamentum, sive moralis adæquata necessitas ster in complexo, quod de uno solo prædicari non potest, sive ho-mine, sive duratione; ea de causa moralis neces-sitas adæquata nequit in eo sensu ad unum de-terminatū ex ea collectione reduci: etenim si-curi nullus determinatus est complexum, sed om-nes simul, ita nullus determinatus arguit deter-minatè, quod aliquis ex illis moraliter peccabit, sed solum arguitur ex complexo. Cæterum, cum ad peccandū requiratur libertas, complexum illud nequit tale esse, ut non sit absolūtè compossibile cum peccato, & illius omissione, adeoque nequit esse tanta necessitas, ut conne-ctatur metaphysicè cū peccato. Ex quo apparet, quàm à longè perita sit paritas à necessitate morali ad metaphysicam: nam necessitas moralis non excludit constitutum libertatis, ideoque præcedere potest exercitium libertatis; at ne-cessitas metaphysica excludit constitutum lib-ertatis, unde nequit præcedere ad ipsum lib-ertatis exercitiū. Quinimò dici debet, unum-quemque ex illa collectione operantem in illis circumstantiis operari, cum necessitate morali inadæquata, quin dici possit, operari cum neces-sitate metaphysica inadæquata. Nam necessitas illa moralis inadæquata nullum adæquatum præsupponit destructivum indifferentiæ, bene verò ea necessitas metaphysica inadæquata, ut ex dictis constat.

Exinde quando Tridentinum sess. 6. cap. 23. ita definit: *Si quis hominem semel iustificatum dixerit amplius peccare non posse, nec que gratiam amittere, atque ideo unum-qui*

peccati habitur, & peccat, nunquam verè fuisse iustificatum, aut contra posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare nisi ex speciali DEI privilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia, anathema sit. In hac, inquam, definitione non solum attendit Tridentinum necessitatem moralem antecedentem, sed etiam ad necessitatem metaphysicam consequentem; adest enim lex divina universalis ex denominatione saltem extrinseca à consortio scientiæ mediæ, qua Deus ob altissimos suæ providentiæ fines non vult se retrahere, sed conferre iustis Adami posteris plura auxilia, quibus vidit per scientiam mediæ, quòd, si conferrentur, tales homines diu viventes, multa venialia peccata committerent, à qua regula generali excepta fuit Deipara, qui quidem exceptivus favor contra legem singulare privilegium fuit, præsertim, cum asserat bonum confirmationis in bono. De extensione huius privilegii ad aliquem alium ex puris hominibus plura dicta sunt, quæ tenentur vel impossibilia, vel temeraria, vel errori proxima, videtur enim sensus Ecclesiæ esse, quòd solum Deiparæ concessum fuerit, ut defendit communis sententia. Nihilominus ad Joannem Baptistam protraxere hoc privilegium Galatinus, Catarinus, & Abulensis. Ad Jeremiam & Jacobum minorem alii, quos citat Lorinus in Psal. 45. vers. 6. Ectus extendit ad omnes sanctificatos in utero, & specialiter ad S. Josephum. Pora in Elucidatio ad Beatos Joachimum, & Annam, conditionatè tamen, nimirum, si alius fuerit concessum. Hæc autem res tota, quanta, divinatione est plena. Sicuri & designare spatium temporis, quo absque speciali privilegio potest homo occurrentia omnia venialia vitare. Sotus enim, & Vega designat unum diem: alii verò hoc nimium videtur ex illo Prov. 24. v. 16. *Sepies enim in die cadet iustus, & resurget: impii autem corruent in malum.* Qua de causa tres, aut quatuor temporis horas ipsi designant. Res est omnino incerta, ut ait Ex. Doctor *Part. 3. de Gratia lib. 9. cap. 8. à num. 23.*

978. Quòd autem in ista divina providentia detur ea lex assignata num. 987. Constat ex eo proverb. testimonio supra citato. Tum quia semper habemus, quod nobis remittatur, juxta orationem Dominicam, qua Christus Luc. 11. docuit nos orare dicentes: *Dimitte nobis peccata nostra.* Tum, quia, ut habet Jacobus in sua Canonica cap. 3. *In multis enim offendimus omnes.* Ex his enim, & aliis similibus scripturæ testimoniis satis innuitur voluntas universalis DEI, permittendi iustis diu viventibus plura peccata venialia. Quæ voluntas ex intrinseca denominatione à scientia mediæ, dicitur, non quidem lex peccandi, cum hæc ex terminis DEO repugnet, sed lex permissiva peccatorum, à qua lege

R. P. Gormaz. Theolog. Tom. 4.

universali neminem possumus absque gravi fundamento excipere: excipiendam autem esse Deiparam semper tenuit, & tenet Ecclesia, ut constat ex Tridentino adducto num. superiori, quæ exceptio magnum est privilegium. Sed de his latè in Tractatu de Gratia: Hæc enim quantum ad præsens attinet institutum, satis superq; sunt.

Obj. 9. Contra sextam Assertionem. Deus 899a facit cum voluntate creata concursum actualem, & simultaneum ad actum peccaminosum; quia habet inseparabiliter annexam malitiam; sed nihil facit, nisi volens efficaciter facere; ergo vult efficaciter actum peccaminosum: ac proinde illum prædefinit. Confirmat. 1. Nolitio, qua DEUS non vult se retrahere à conferendo auxilio, quod per scientiam mediæ prævidit inefficax, est prædefinitio peccati; ergo &c. Confirmat. 2. DEUS potest prædefinire penitentiam ante absolutam prævisionem peccati: sed talis prædefinitio est prædefinitio peccati, quod est medium ponendum ad finem penitentia: ad eum modum volitio efficax finis est virtualis saltem volitio mediæ necessariò ponendi ad consecutionem finis; ergo &c. Confirmatur 3. Quando in sacris scripturis dicitur, DEUM obdurare, excæcare; & tradere peccatores pessimis ipsorum desideriis, ait Augustinus, DEUM hoc non præstare per solam patientiam, aut tolerantiam, qua illis relinquit voluntatem peccandi, sed potissimè per potentiam, qua illos in peccata compellit. Unde *tom. 7. lib. de Gratia, & Libero arbitrio* post allata ea omnia scripturæ testimonia cap. 25. ita subiungit: *His & talibus testimoniis divinorum eloquiorum, quæ omnia commemorare nimis longum esset, scilicet, quantum existimo, manifestatur operari DEUM in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates, quocumque voluerit; sive ad bona pro sua misericordia, sive ad mala pro meritis eorum iudicio utique suo aliquando aperto, aliquando occulto; semper autem iusto.* Atqui DEUM operari non solum per tolerantiam, sed etiam per potentiam compellendo peccatores ad peccata, & inclinando ad mala pro eorum meritis, non est solum permittere: sed etiam est peccata prædefinire; ergo &c.

Resp. dist. maj. Facit ex inclinatione, & 900a determinatione sibi immediatè liberà neg. ex inclinatione, & determinatione immediatè liberà creaturæ conc. majör. & dist. minorè; nisi volens efficaciter efficaciam proportionatam concursui suo conc. improporcionatam neg. minorè, & consequent. Ratio est, quia licet Deus immediatè liberè elevelvet creaturam, eique conferat principia, ut possit agere, & non agere, applicetque indifferenter omnipotentiam ad utrumque vo-

lens

lens potius operationem rectam, quam peccaminosam. At actio illa, cum non procedat ab actu primo constituto, ut Deus immediatè liberè se exercent, sed ut se exercent cum adiutorio divino immediatè liberè creatura, ad eum modum, quo de habitu, & voluntate diximus à n. 647. Ea de causa non requiritur ad illam actionem volitio, qua Deus illam efficaciter intendat, quæ esset prædefinitiva, sed volitio, qua Deus illam efficaciter permittat, quæ dicitur permissiva, quin velit se retrahere ex titulis honestissimis providentiæ suæ. Hæc autem volitio potest esse, vel solum decretum indifferens, quando exercetur, & sit efficax extrinsecè: vel alia volitio superaddita etiam ex libito Dei absque ulla connexionione cum scientia media, ut statim dicemus num. sequenti.

901. Ad primam confirmationem neg. ant. Nam prædefinitio est intrinsecè, & efficaciter intentiva actus prædefiniti: illa verò volitio nequaquam est intentiva intrinsecè, & efficaciter actionis peccaminosæ. Quinimò volitio se retrahendi, vel est ipsum decretum indifferens, quando exercetur: volitio enim, qua datur auxilium, est ex se volitio se retrahendi à dando; vel si ex libito Dei superadditur alia, nullam habet ex se connexionem cum scientia media de dissensu: Illud enim: *quamvis videam*, non se habet ex parte volentis, sed ex parte intellectus: Illud verò, *nolo me retrahere*, non habet connexionem cum scientia media, ex qua posset se retrahere: sed excludit volitionem cum scientia media connexionem, qua posset se retrahere, ad eum modum, quo Petrus constitutus liber per libertatem naturalem ad consensum, & dissensum naturalem, si instruat per auxilium, & libertatem supernaturalem, liber ad consensum supernaturalem, qui præcipitur, potest elicere volitionem peccaminosam consentis: qua ex secunda libertate nolit se retrahere à dissensu. Quæ volitio utpote peccaminosa non habet connexionem cum auxilio superno ex dictis à num. 332. De Virtute Pœnitentiæ: sed excludit aliam, quæ haberet connexionem cum auxilio: evidens quidem est posse nos per actum naturalem nolle actum supernaturalem, quare licet libertas in actu primo ad utrumque extremum includat comprincipia ad utrumque, at dissensus non exigit comprincipia ad consensum, sed ad dissensum, licet in his circumstantiis denominetur extrinsecè liber à comprincipiis ad dissensum, & consensum. Ad secundam confirmationem neg. maj. de quo latè in Tractatu de Incarnatione, ubi dicemus non posse Deum prædefinire Christum ut redemptorem peccati ante absolutam peccati prævisionem, eò quòd ea volitio

esset saltem virtualis volitio peccati ponendi ad obtinendum finem redemptionis, Deus autem neque formaliter, neque virtualiter potest peccatum amare. Dabimus plura principia pro hac veritate disp. 17.

Ad tertiam confirmationem dist. maj. compellit, & inclinat impulsu, & inclinatione positiva neg. impulsu, & inclinatione negativa purè significante subtractionem maioris luminis, & efficacis gratiæ conc. maj. & dist. min. neg. conseq. Ratio est, quia sicut Augustinus per verbum *trahere* solum significat allicientiam indifferenter ex n. 603. Ita per verbum *compellere* solum significat allicientiam, quam Deus permittit ad malum, substrahendo efficacem gratiam, qua resisterent, & quam dare non tenetur. Quo in sensu intelligitur etiam inclinatio. Quod autem ita se explicet Augustinus, constat ex lib. 1. ad simpl. quæst. 2. ubi ait: *Obduratio Dei est nolle misereri, ut non ab illo irrogetur aliquid, quo sit homo deterior: sed tantum, quo sit melior, non irrogetur.* Ecce clarissimè respicit ibi obdurationem fieri prædeterminatione ad actum peccati; nam si inmitteretur physica prædeterminatione, irrogaretur à Deo aliquid, quo esset homo deterior; unde tantum reponit obdurationem in speciali subtractione auxilii, qua posita tantum non irrogatur, quo homo sit melior. Ea de causa docet lib. 5. de Civitate Dei cap. 8. & lib. 12. c. 6. & 7. Deum esse datorem omnium potestatum; sed non esse datorem omnium voluntatum, & non esse à Deo voluntatem, quæ est contra Deum.

Sic etiam Lib. de Spiritu, & Littera, c. 35. 901. *Nusquam legimus: non est voluntas nisi à Deo, & rectè non scriptum est: quia verum non est; alioquin etiam peccatorum, quod absit, Auctor est Deus; si non est voluntas nisi ab illo.* Idem docet Prosper Augustini discipulus ad capita Gallorum sententia II. dicens: *Qui dicit, quod per potentiam Deus hominem ad peccata compellat, merito reprehenditur: neque enim Deus, qui iustitia, & bonitatis auctor est, quemquam ad peccatum cogere, & ab innocentia in facinora præcipitare credendus est.* Unde, quando Deus subtrahit tale auxilium peccatori, exercet opus patientiæ, quatenus non aufert gratiam sufficientem: potentiæ verò, quatenus talem gratiam limitat, ita, ut non sit uberior, aut efficacior; demonstrat enim ipsum posse, quod vult: atque adeò posse dare inefficacem, quando vult, & quando vult, efficacem. Reliqua argumenta, quæ hic fieri possent, plenè proposita, & soluta sunt à n. 591. 640. &

733.

o o o o o

DISP.

DISPUTATIO XVI.

DE PRÆDESTINATIONE SANCTORUM.

904. PRæcipua providentiæ species est prædestinatio, ut ait D. Thomas *Pr. Part. quest. 23. art. 2. in Corp.* Unde concretè, & adæquatè sumpta includit actus intellectûs, & voluntatis. Prædestinatio, etsi aliquando sumatur pro quocunque decreto efficaci, quo Deus aliquid vult, quo in sensu dicitur objectum illud prædestinare: at in præsentia solum sumitur in sensu allato n. 840. Reprobatio verò alia est positiva, alia negativa, de quibus disputatione sequenti. Positiva sumitur pro præscientia, & decreto efficaci inflicti pœnæ propter delicta: negativa verò pro negatione efficacis auxilii, & subtractione majoris luminis; quod Deus dare non tenetur ex dictis n. 902. Unde, & prædestinatus, & reprobis possunt absolurè, sive potentia antecedente salvari, & non salvari, cum uterque habeat providentiam sufficientiæ præviæ ad prædestinationem, & reprobationem positivam, licet non sint liberi reduplicativè, nimirum potentia subsequente jam opera bona finalia, vel peccaminosa, sive decreta efficacia posterioritate naturæ ad ea subsecuta. Definitio prædestinationis, quam Theologi tradunt cum Augustino, ea est, quam dedimus num. 834. Eamque habet Magister sententiarum distinctione 40. Ubi apponit hanc definitionem reprobationis collectam ex Augustino *lib. de Prædest. Sanctorum cap. 1. Præscientia iniquitatis quorundam, & præparatio damnationis eorundem.* Unde singulariter vocantur præsciti. Ubi nomine præscientia intelligit præscientiam communiter sumptam, quæ supponit futuritionem rei absolutam. Aliter illa non esset reprobatio positiva, sed negativa, sed de his latè disputatione 17.

SECTIO I.

De Essentia, & Proprietatibus Prædestinationis.

905. ASsero 1. Fide certa est existentia prædestinationis. Probatum ex 8. ad Rom. *Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui.* Actor. 13. *Quotquot prædestinati erant ad vitam æternam.* Exinde S. Prosper prædestinationis fides multa scripturarum auctoritate munita; ergo &c. Confirmat. Ratione. De Fide est, aliquos de facto salvari: atqui non salvantur, nisi prædestinati: idest efficaciter præordinati ad gloriam per media efficacia gratiæ; nullus quippe salvatur sola providentia generali communi reprobis, sed insuper gubernatur, & dirigitur à providentia specialiter benevola per media efficacia gratiæ; ut latè traditur in Tractatu de Gratiâ; ergo &c. Exinde duplex saltem distinguenda est prædestinatio, altera ordinaria, quæ eligit, & destinat

creaturam rationalem ad commune bonum omnibus, qui salvantur, propositum: altera verò extraordinaria, quæ destinat, & eligit ad bonum supernum singularissimum. Subjectum prædestinationis ordinariæ est creatura rationalis tum humana, tum angelica, quæ per filiationem adoptivam admittitur ad hæreditatis divinæ possessionem. Subjectum verò prædestinationis extraordinariæ est Christus quæ homo, sive Christi humanitas, per unionem hypostaticam habens jus ad possessionem hæreditatis ex vi filiationis propriæ, ut n. 840.

906. ASsero 2. Prædestinatio concretè, & adæquatè sumpta includit actus intellectûs, & voluntatis: Ita nimirum, ut ex parte intellectûs includat præscientiam donorum gratiæ, quibus rationalis creatura prævidetur perducenda ad finem suum, si conferantur: ex parte verò voluntatis includit propositum efficacæ ea conferendi. Probatum ex scripturis citatis num. 834. in quibus prædestinatio describitur per eos actus intellectûs, & voluntatis; quod ibi clarè explicat Augustinus. Ratio autem est, quia prædestinatio stat in præscientia, & præparatione beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur. Sed iste conceptus includit ultra præscientiam assignatam ex parte intellectûs, propositum ex parte voluntatis ea media conferendi, ut per se patet; ergo &c. Conf. ex Augustino, Prospero, & Fulgentio citatis num. 663. Ubi docent, præscientiam posse esse sine prædestinatione: Prædestinationem verò non posse esse sine præscientia: quod etiam docet D. Thomas *in cap. 8. Ep. ad Rom. Lect. 6.* dicens: *Præscientia importat solam notitiam futurorum: sed prædestinatio importat causalitatem quandam respectu eorum, & ideo Deus habet præscientiam etiam de peccatis: sed prædestinatio est de bonis salutaribus;* ergo ultra præscientiam requiritur ex parte voluntatis volitio efficacæ, sive propositum conferendi media prævisa efficacia.

907. ASsero 3. Non possunt impleri munera divinæ prædestinationis per solam scientiam simplicis intelligentiæ: sed ulterius requiritur indispensabiliter scientia media. Probatum facile: Prædestinatio constituitur ex providentia efficaci morali: atqui providentia moralis efficaci includit indispensabiliter scientiam mediâ, ut constat à num. 855. ergo &c. Conf. Si posset dari prædestinatio absque scientia mediâ, esset ratione decreti efficaciis inimpedibilis præviæ ad scientiam mediâ: sed tale decretum repugnat, ut constat à n. 856. ergo &c. Quinimò, licet non repugnaret tale decretum, adhuc in sententia eorum Recentiorum illud admittentium, requireretur scientia mediâ ad conferendum principia, quæ vocant proximâ; & immediatè indifferentia, atque efficacia:

etenim ipsi adversarii, quibuscum agimus, docent, principia proximè immediata, & efficacia non posse absque scientia à Deo cognosci; ergo &c. Vide num. sequenti.

908. **A**ssero 4. Decretum efficax conferendi gloriam purè ut coronam meritum ante scientiam mediam elicitem omnino repugnat: secus autem post scientiæ mediæ præluentiam. Probat. Tale decretum esset impossibile cum libertate, ut constat à n. 864. si eliceretur ante præluentiam scientiæ mediæ: atqui prædestinatio, de qua loquimur, relinquit intactam creaturæ libertatem; ergo &c. Conf. Antequam Deus ullum decretum exercitè eliciat, præluet jam in ipso scientiam mediam; etenim antequam sit verum, quòd posita hac hypothesis Deus decerneret, erat jam verum, quòd si poneretur hæc hypothesis, Deus decerneret: ac proinde ante elicientiam exercitam decreti jam adest in Deo scientia media, ut latè constat à n. 225. Rursus decretum constitutum libertatis ad utrumque nequit esse connexum cum scientia media, aut cum alterutro libertatis extremo, ut constat à n. 853. & 871. Sed debet esse indifferens cum exclusionem impedimentorum ex num. 892. Si verò subsequatur scientiam mediam, potest esse connexum cum altero libertatis extremo absque ullo dispendio libertatis, ut constat à num. 864. ergo &c.

909. **D**ixi in Assertionem. Conferendi Gloriam purè ut coronam meritum; quia si illud decretum velit gloriam purè ut coronam meritum ante præluentiam scientiæ mediæ, erit implicatorium in terminis; cum gloria danda ut corona meritum requirat merita: ac proinde libertatem ad ea ponenda, vel non ponenda. Atqui prævio illo decreto non maneret liberas ad ea merita ponenda, vel non ponenda; sed ad summum ad circumstantias meritum non præfinitas, ut constat n. 865. ergo &c. Si verò tale decretum non decernat determinatè gloriam ut coronam, sed disjunctivè decernat gloriam dandam, vel independentè à meritis, si creatura per scientiam mediam non prævideatur bene operatura; vel dependentè ab illis, si rectè operata per scientiam mediam prævideatur: ita ut habeat istum modum tendendi: decerno efficaciter Petro gloriam propter bonum opus A, vel solum, vel etiam cum illo propter merita, si merita Petrus habere inveniantur. Docent aliqui Recentiores, hoc decretum necessitare quidem Petrum ad opus bonum A, libertatem verò ad alia opera meritoria non impedire; quia non infert inevitabiliter merita, sed gloriam propter merita ex suppositione, quòd in Petro inveniantur; ergo illud decretum non esset impossibile cum gloria danda ut corona, unde docent de conceptu præmii non esse distinguere merentem à non merente, sed solum esse distinctivum, licet per accidens aliquando non distinguat: quemadmodum non distinguebat operarios ab

operariis herus denarii diurni Matth. 20. Hæc sententia ex titulo libertatis creatæ nullum affert inconveniens: attamen affert, & quidem magnum ex titulo divini Domini, ratione cuius Deus non potest practicè creaturam rationalem producere absque præluentia scientiæ mediæ proponentis plures operationes tum bonas, tum malas conditionatè futuras, si hæc, vel illa comprincipia conferantur, ut latè constat à n. 642. Ac proinde ex hoc titulo implicatorium est tale decretum. Ex dictis

**Fit 1.** De Lege ordinaria neminem salvari sine prædestinatione formali. Ratio est, quia ita docent Scriptura, Concilia, & PP. requirentes præordinationem ad vitam æternam respectu eorum, qui in hac providentia salutem obtinent: ac proinde requirunt ex lege Dei prædestinationem formalem: sic ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, & immaculati in conspectu ejus in charitate. Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum secundum propositum voluntatis sue.* Ex quo testimonio infert Augustinus cap. 19. de *Prædestinatione Sanctorum*, eam electionem non fuisse ex meritis, seu post meritum prævisionem; sed omnino gratuitam subjectivè: Sic enim ait *Cum dicat Apostolus: non quia futuros talis nos esse præscivit, sed ut essemus tales per ipsam electionem gratia sue.* Et ad Roman. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, qui secundum propositum vocati sunt sancti.* Ex quibus verbis colligitur circa omnes, qui salutem obtinent, præcedere in Deo ordinationem, & propositum formale conferendi ea media, quibus certissimè salutem obtineant, ac proinde esse formaliter prædestinatos.

**Fit 2.** Si nomine Prædestinationis intelligatur decretum efficax executivum gloriæ, eamque conferens necessarium esse in hoc sensu prædestinationem, ut quis salutem obtineat. Ratio est, quia implicat aliquem salvari per merita, & quòd gloria conferatur ut præmium, & corona meritum, quia Deus habeat decretum efficax conferendi gloriam; ergo. Si prædestinatio sumatur pro tali decreto, ut aliquando sumi solet, nequit aliquis salvari, quin prædestinetur. Consequentia tenet, & antecedens patet; quia quando effectus à solo Deo ponendus est, qualis est gloria, nequit poni à parte rei, nisi applicetur omnipotentia ad effectum à solo Deo ponendum, nisi per decretum efficax, quo determinetur omnipotentia; ergo nequit conferri gloria ut præmium meritum, sine decreto executivo, & efficaci dandi gloriam.

**Fit 3.** Prædestinationem formalem rigorosè sumptam includentem volitionem efficacem conferendi a xia ex motivo efficacis, seu quia conjungenda cum consensu finali, & consequentem gloriam, non esse indispensabiliter necessariam, ut aliquis per merita salvetur: esse

verò necessariam prædestinationem materialem sumptam pro voluntate conferendi auxilia, cum quibus voluntas cooperatur bonum finale, & quæ saltem ab operatione bona efficacè effectivè reddatur. Si verò prædestinatio materialis in sensu magis rigoroso sumatur, ut solet, pro aggregato ex decreto primario indifferente collativo auxilii, & ex scientia media consensûs finalis, non est per se requisita tanquam principium per se, ut quis salutem obtineat. Ratio ex dictis facilis est; quia ut quis salutem obtineat, solum requiritur per se id, cum quo creatura est potens rectè finaliter operari, & operatur. Sed ut creatura ita sit potens operari, ut operetur, non requiritur scientia media, sed satis est id, quod se tenet ex parte hypothese scientiæ mediæ. Ita, ut si per impossibile maneret ea hypothesis, & impossibilis esset scientia mediæ, creatura haberet, quidquid requiritur ad operandum; & absque repugnantia ulla poterat ponere operationem ex dictis à n. 858. ergo &c.

913. Quapropter ad evitandum scientiæ mediæ abusum, & libertatis naturam rectè penetrandam, scire quam maximè oportet, quid sit principium per se, quid principium per accidens. Principium per se ex secundo physico est illud, quod non supponit, neque per modum hypothese, neque per modum eventûs prioritate naturæ effectum adæquatè causatum; atque adedò exigitur ab effectu, ut hic & nunc causans: v. g. Si duo ignes conjungantur ad eundem calorem per eandem actionem producendum, ambo sunt causa per se caloris; nullus enim ignis ut causans supponit prioritate naturæ calorem aliunde cum sua actione adæquatè causatum, neque per modum hypothese, neque per modum eventûs; licet enim unus ignis superabundet ad producendum calorem: at tamen hic & nunc calor utrumque exigit ut causantem, utpote non habens alia principia, a quibus sufficienter cum sua actione causetur; quare Deus in hoc casu habet decretum non concurrendi ad calorem, nisi per actionem ab utroque igne physicè procedentem, & consequenter connexam cum utroque; omnis quippe actio essentialiter connectitur cum suo principio physico, cum sit ejus modus, & determinatio.

914. Principium verò per accidens est, quod vel per modum hypothese, vel per modum eventûs supponit effectum prioritate naturæ per suam actionem sufficienter, & adæquatè causatum. v. g. Si Deus videns calorem adæquatè cum sua actione causatum ab igne A, elevarer ignem B. ut per actionem distinctam, & secundariam eundem calorem produceret, tunc quidem ignis B. esset causa per accidens; quia hic & nunc non exigeretur ut causans à calore, cum antecedenter, & independenter ab igne B. prioritate naturæ videretur sufficienter, & adæquatè causatus. Quapropter non est idem principium per accidens, & principium su-

perabundans. Licet enim omne principium per accidens sit superabundans, at non omne principium superabundans est per accidens. Sicuti, licet omnis homo sit animal: at omne animal non est homo. Quare si voluntati sufficienter instructæ per decretum, & auxilium indifferens Deus adderet prædeterminationem, aut principium aliud cum alterutro libertatis extremo connexam, ut per eandem actionem cum auxilio indifferenti consensum, eliceret, tunc prætorio, licet superabundans, esset principium per se; cum non supponeret neque per modum hypothese, neque per modum eventûs prioritate naturæ consensum per suam actionem adæquatè causatum: quin imò Deus tunc haberet decretum, quo nolle concurrere ad consensum, nisi per actionem aequè essentialiter pendentem à principio superaddito. Atque adedò consensus hic & nunc ad sui primariam existentiam exigeret principium illud ut causans.

915. Si verò Deus prævidens jam per modum hypothese consensum aliunde adæquatè causandum cum auxilio, & speciali applicatione omnipotentia, decerneret superaddere præmotionem, aut principium aliud cum alterutro libertatis extremo connexam, ut per actionem distinctam, & secundariam eundem consensum produceret, tunc præmotio esset principium per accidens, & non læderet libertatem. Si autem una actio non apponeretur ex suppositione, quæ esset prior naturæ ad alteram, utraque esset in eodem signo naturæ; atque adedò utraque esset principium per se: v. g. casu, quod duo ignes divinitus per duas actiones totales eundem calorem primò producerent, tunc neuter ignis esset causa per accidens caloris, sed uterque esset causa per se, cum nullus ex illis supponeret prioritate naturæ calorem adæquatè causatum: licet enim calor exigit solum ignem cum sua actione totali, ita, ut dempro alio cum sua actione totali, maneret ille ignis sufficienter producens: at hic & nunc in casu præsupposito non minus exigeret calor unum, quam alterum; utrumque quippe, saltem vagè exigeret ut causantem, ita, ut exigentiæ effectûs non satis fieret potius per unum, quam alterum. Exinde

916. Fit 4. Duplex etiam dari principium remotum: alterum quidem per se, alterum verò per accidens. Principium remotum per se est illud, quod per primam actionem causat causam immediatam non supponendo illam neque per modum hypothese, neque per modum eventûs prioritate naturæ adæquatè causatam, vel inductam. Principium remotum per accidens est illud, quod causat causam immediatam, ex suppositione, quod sit prioritate naturæ causata, vel inducta sufficienter ab alio principio: v. g. Ignis A à solo Deo primò productus est causa immediata per se ignis B. quem primò producit. Si autem Deus elevarer ignem C. ut per secundam actionem reproducat ignem A, & pri-

primam actionem, qua fuit à solo Deo productus, in hoc casu ignis C, erit causa remota per accidens ignis B. Exinde decretum dependens à scientia media, quo Deus vult dare principia ut prævisa ex parte hypothesis, est decretum, quo Deus vult dare causas per se per suam actionem adæquatè causantes prioritate naturæ, quibus voluntas non evitat effectum, quem poterat evitare. Unde Deus conferens eas causas confert evitabilitatem: atque adeò tale decretum secundarium est principium remotum per accidens talis hypothesis, & compossibile cum libertate; solum enim obligat Deum ad ponendum in statu absoluto causas proximas, & immediatas, ex quibus prævisus est per scientiam mediam exiturus potius consensus, quam dissensus ex unica determinatione voluntatis. Quare tale decretum non influit immediatè, sed remotè, & mediatè in consensum; solum enim vult consensum fieri per omnes causas immediatas, & proximas illius, & quidem unicè. Qua de causa Eximius Doctor in omnibus suis disputationibus, tam assidue insistit in eo, quòd prædefinitio à scientia media dependens, & illativa libertatis, non est executiva, neque immediatè applicativa omnipotentia ad consensum: sed purè intentiva volens illum causari medio decreto indifferente applicativo omnipotentia, quod inducit, ut jam conjungendum ex libito voluntatis cum consensu.

917. Tale quippe decretum non est principium remotum per se, sed per accidens; quatenus per accidens inducit, & imperat principia immediata, & proxima consensu, non enim inducit illa nisi ex suppositione, quòd prævideantur per scientiam mediam in statu conditionato sufficientia ad causandum absolute, si ponantur, ut prævideantur dependentia à directione scientia simplicis intelligentia: licet enim decretum directum à scientia media imperet existentiam decreti indifferens collativi auxilii, & applicativi omnipotentia, solum imperat per accidens; quia sine ulla necessitate ex parte consensu, aut ex parte Dei ut providentis universalis imperat reflexè decretum indifferens propter motivum efficaciam; tale namque imperium reflexum habetur ex titulo specialis benevolentia, quam providens exercet; qui quidem titulus posterior est natura titulo universalis providentis: ita ut vera sit hæc causalis: ideo Deus imperat hoc decretum indifferens; quia videtur à scientia media conditionatè existens adæquatè per se ipsum, & conjungendum ex libito voluntatis cum consensu: nec valet e contra: ideo existit decretum indifferens, & conjungitur cum consensu, quia imperatur à decreto directo à scientia media. Unde in statu absoluto pro priori naturæ intelligitur decretum indifferens per se ipsum procedens à voluntate DEI, & conjunctum cum consensu præcisim ab imperio reflexo decreti directi à scientia media. Exinde

Fit 5. Duplicem distinguendam esse determinationem, & quasi actionem, qua voluntas Dei determinatur ad decretum indifferens, & collativum auxilii. Prima est decretum indifferens, quod est determinatio, seu quasi fluxus (etenim in prædicatis absolutis non datur actio ad intra) sui ipsius, per quam sufficienter, & adæquatè procedit à voluntate instructa scientia simplicis intelligentia præcisim ab omni scientia media, & pro priori naturæ ad illam; quare decretum illud est intrinsecè, & immediatè liberum. Secunda est ea determinatio consistens in decreto reflexo imperante, & inducente decretum indifferens ex motivo efficaciam: & hæc secunda determinatio est per accidens, & ex suppositione, quòd sufficiat prima determinatio, si ponatur. Quod explicatur exemplo ignis. Si enim Deus providens ignem A adæquatè, & sufficienter caularum calorem per actionem A, decerneret, quòd ignis B. reproduceret actionem A per se ipsam adæquatè, & sufficienter procedentem ab igne A, & producentem calorem: & ex hac prævisione addatur actio B. reproducens primam actionem A; tunc actio B. absque dubio erit secundaria, & per accidens, licet producat primam actionem A. Pariter in casu nostro: decretum directum à scientia media, inducit primam determinationem, qua decretum indifferens procedit à divina voluntate per se ipsum. Inde decretum imperans est secunda determinatio, & per accidens. Quare sicut ignis A esset prior, & posterior igne B. in diverso genere causæ; adeoque prior, & posterior seipso in diverso genere; ita etiam & decretum indifferens respectu decreti secundarii imperantis. Ex qua doctrina bene penetrata descendunt omnia principia, quæ assumit Suarez ad conciliandas prædefinitiones efficaces cum libertate, ut latè patebit in tractatu de Gratia.

## SECTIO II.

### *Solvuntur opposita.*

Objic. 1. Contra primam Assert. Si daretur prædestinatio in Deo, qua eligeret eos, qui salvantur, esset prædestinatis magna occasio incuria, & reprobis occasio desperationis; ergo non datur. Probat. ant. Nam quisque posset ita ratiocinari: vel sum electus, vel non. Si primum, ergo quomodocumque vivam, salvabor. Si secundum, ergo mihi nihil proderit laborare pro obtinenda salute, cum certum sit, me illam non assecuturum; ergo &c. Sic arguunt plures hæretici. Resp. 1. Neg. ant. ad probationem dist. ant. apud se ratiocinari, vel sum electus, vel non, ita ut sit electus, qui facit merita finalia conc. qui non facit, neg. ant. & consèq. Nam si scio neminem electum esse ad gloriam, nisi qui faciat merita, quibus obtinebit gloriam, hæc notitia non impedit, sed potius promovet ad eligenda merita, quibus certam nostram vocationem,

tionem, & electionem faciamus. Sic 2. Petr. 1. *Magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocacionem, & electionem faciatis.* Qui enim nollet apponere media necessaria ad finem electionis, finem non consequetur; adeoque ex culpa sua impediet electionem, quam habere poterat per illud medium collatum.

910. Quare contra adversarios facile sic retorquetur argumentum: vel Deus scit, quod haereticus vivet per viginti annos, vel non. Si secundum; ergo est ignarus, quod ipsi negant, si primum, ut quid comedunt, ut quid bibunt? Etenim licet nec comedant, nec bibant, adimplebitur scientia Dei, quae falsa esse non potest. Resp. Deum scire, an victuri sint, ponendo media: secus autem independentem à mediis. Sed eni solutionem pro argumento, quae vel ipsis rusticis statim fit evidens.

921. Objic. 2. Deus non habet absolutum decretum ab intrinseco efficax dandi praedestinationis perseverantiam finalem, sed solum decretum componibile cum carentia perseverantiae; nempe decretum, quo dat auxilium sufficiens hic & nunc praevium efficax per scientiam mediam. Atqui ex hoc decreto simul cum decreto conditionato dandi gloriam, ut coronam homini perseveranti, non resultat formalis electio requisita ad praedestinationem; ergo in Deo non datur Praedestinatio. Probat. min. Si Deus habet illud absolutum decretum perseverantiae erga praedestinos, consequens est, ut vel non habeat unam volitionem generalem salvandi omnes homines, vel si habet hanc volitionem, habeat volitiones oppositas; etenim volitio generalis salvandi omnes ita confert auxilium sufficiens ad perseverantiam, ut conferret illud, licet esset inefficax: decretum autem absolutum, & efficax dandi perseverantiam finalem, ita confert auxilium, ut non conferret illud, si esset inefficax; ergo si respectu praedestinationis ponitur utrumque decretum, admittitur oppositio dandi, & non dandi auxilium, si esset inefficax.

911. Resp. Neg. min. ad probationem neg. eas duas volitiones opponi. Quia volitio generalis salvandi omnes, praecise intendit hypothesein sufficientiae auxilii; adeoque praescindit ab efficacia, & inefficacia; neq; ex vi illius determinatur collatio auxilii faciendae; aut non faciendae sub hypothesei efficaciae, & sub hypothesei inefficaciae. Hanc indifferentiam determinat ad hypothesein efficaciae decretum efficax dandi perseverantiam finalem superveniens alteri decreto communi erga omnes. In hac autem determinatione indifferentiae praecedentis, nulla prorsus est decretorum oppositio: sicut sine ulla oppositione decretum de auxilio sufficienti A dando Petro, superveniens decreto salvandi omnes homines determinat hujus indifferentiam praescindentem ab auxilio A, & B.

923. Objic. 3. Contra secundam Assert. Praedestinatio in S. Scriptura sumitur pro solo actu voluntatis efficaciter eligente has, vel illas creaturas ad vitam aeternam. Ergo non includit actum intellectus. Prob. ant. ex Paul. ad Eph. 1. *Qui praedestinavit nos secundum propositum voluntatis suae; ergo &c.* Resp. dist. ant. Praedestinatio qua immediatè libera conc. qua prudens, & certissima, sive adaequatè, & concurretè sumpta neg. ant. & consequentiam. Ad probationem conc. ant. & neg. consequent. Quia Paulus eo loco loquitur de praedestinatione qua immediatè libera, quin excludat praescientiam requisitam ad praedestinationem, qua prudentem, certissimam, & adaequatè sumptam. Ut constat ex n. 834.

Objic. 4. Contra tertiam Assert. Si ad praedestinationem praerequeretur scientia media, qua Deus cognosceret rectam operationem sub hypothesei auxiliorum, inanes fierent respectu praedestinati minae damnationis aeternae, quas contra malè operantes scriptura proponit. Sed hoc dici nequit, cum tales minae universaliter contra omnes proponantur; ergo &c. Resp. neg. maj. Quia electio ad gloriam non excludit, quod sit post merita iusti conditionatè praevisa sub conditione illarum minarum, & dependentè à minis praevisis per scientiam mediam. Potest enim Deus ita decernere: volo dare gloriam ob merita habenda occasione minarum; quia sic vidi per scientiam mediam: undè minae non sunt inanes. Quare Apoc. 3. dicitur: *Tene, quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Quibus in verbis denotatur eam electionem ad gloriam factam esse dependentè à meritis praevisis per scientiam mediam, & dependentè à minis, quae merita posset homo impedire, & exinde scientiam mediam, & electionem subsequenter; ideoque hortatur nos ad hanc vigilantiam.

Objic. 5. Si non possent impleri praedestinationis munera sine scientia media, ideo esset; quia praedestinatio est speciale beneficium ex eo, quod auxilium conferatur; quia per scientiam mediam praevium est fore efficax: sed ad hoc munus non requiritur scientia media: ergo &c. Prob. min. Beneficium auxilii non est aestimandum ex eventu futuro ex illo; ergo &c. Prob. ant. Si beneficium crederet ex bono eventu, etiam minueretur beneficium auxilii ex pravo usu, sed hoc est falsum; etenim exinde fieret; quod non esset major beneficentia Dei vocare Judam ad Apostolarum, in quo damnatus est, quam vocare alterum ad statum matrimonii; in quo obtinet perseverantiam finalem in gratia. Quinimò majus esset beneficium vocatio ad matrimonium ratione boni usus praevisi; ergo &c.

Resp. Conc. maj. & neg. min. ad prob. neg. ant. ad probat. dist. maj. minueretur beneficium ex pravo usu in ratione doni in actu primo sufficientiae considerati neg. in ratione doni in actu secundo considerati cum abusu conc. major. & dist. minor. neg. consequentiam. Ratio est, quia major aestimatio beneficii est ex eo, quod praevideatur bonus usus, quam si praevideatur malus;

C c

Major

Major inquam, non in ratione doni in actu primo sufficientiæ: sed in ratione doni in actu secundo, quia bonus usus prævisus ex auxilio moraliter etiam est donatus à Deo; & sic auger donum, & beneficium in ratione doni in actu secundo, quia respectivè ad auxilium conjunctum cum scientia media pravi usus est magis æstimabile. Exinde ait Borrull, num. 924. Vocationem Judæ ad Apostolatam, fuisse majorem beneficentiam Dei, quam vocationem ad matrimonium; si isti status in actu primo secundum se considerentur; quia unus est perfectior alio. Unde si utrumque hoc donum consideretur in actu primo sufficientiæ præscindendo ab efficacia, & inefficacitate, majus beneficium est vocare Judam ad Apostolatam, quam alium ad matrimonium. Si verò considerentur in actu secundo illi status, & attenda in matrimonio perseverantia finali in gratia, & attenda prævaricatione Judæ in Apostolatu, tamen majus beneficium est ratione circumstantiæ annexæ vocatio ad matrimonium, quam ad Apostolatam.

927. **Objic. 6.** Contra quartam. Si posset dari decretum efficacis gloriæ ut coronæ subsequens scientiam mediam, talis scientia media esset principium consensus in statu absoluto: sed hoc repugnat; ergo &c. Probat minor. Si scientia media esset principium consensus in statu absoluto, esset etiam principium consensus in statu conditionato: sed non est principium consensus in statu conditionato; etenim scientia media omnino supponit consensus conditionatè existentem: atque adeò nequit esse principium illius in statu conditionato; ergo &c. Probat major. Ab iisdem principiis, à quibus pender existentia consensus in statu absoluto, pender etiam in statu conditionato; ergo si scientia media ut dirigens est principium consensus in statu absoluto, erit etiam in conditionato. **Confirmat. 1.** Existencia prima principiorum indifferentium ad consensus, inducitur in statu absoluto per directionem scientiæ mediæ; siquidem decretum directum à scientia media inducit primam existentiam decreti indifferentis collativi auxilii, & applicativi omnipotentia; ergo etiam prima existentia consensus in statu conditionato, pender, & inducitur saltem conditionatè à directione scientiæ mediæ: atque adeò directio scientiæ mediæ debet prævideri in statu conditionato. **Confirmat. 2.** Status absolutus primarius principiorum per se, inducitur per accidens, per directionem scientiæ mediæ; ergo etiam status primarius conditionatus principiorum per se ex parte hypothese prævisus, inducitur saltem per accidens à directione scientiæ mediæ; ac proinde directio scientiæ mediæ debet prævideri ex parte hypothese.

928. **Resp.** dist. maj. esset principium per se consensus in statu absoluto neg. principium per accidens conc. maj. & dist. min. neg.

consequentiam. Ad probationem dist. maj. si esset principium per se conc. si per accidens neg. maj. & concessa minor. neg. consequentiam. Ad probationem dist. eodem modo antecedens, & neg. consequentiam. Explico solutionem. In statu conditionato prævidetur consensus per scientiam mediam pendens à principiis, quæ per se causant consensus in statu absoluto: qualia sunt principia necessaria indifferentia ad utramque partem se habentia ex parte hypothese scientiæ mediæ. Post eorum hunc statum conditionatum per accidens additur decretum directum à scientia media novo titulo deducens ea principia ad statum absolutum, id est ex effectu specialis benevolentia. Quod decretum neque eius carentia non prævidetur ex parte hypothese per scientiam mediam: hypothese enim præscindit ab utroque, ita ut pro libito DE I possit superaddi in statu absoluto decretum illud reflexè imperans, & inducens per secundam determinationem principia indifferentia. Quæ de causa tale decretum imperans est principium remotum purè per accidens ex dictis à n. 916.

Ad primam confirmationem dist. antecedens. Inducitur in statu absoluto per directionem scientiæ mediæ per accidens conc. per se neg. antecedens. Nam scientia media solum dirigit per accidens, quatenus movet ad decretum per secundam determinationem imperans principia per se consensus modo explicato à num. 913. & dist. consequens. Prima existentia consensus, & principiorum indifferentium pender, & inducitur conditionatè à directione scientiæ mediæ in statu conditionato primario prævisio per scientiam mediam neg. in statu conditionato secundario conc. consequentiam. Unde directio scientiæ mediæ non debet prævideri in statu conditionato primario, sed in secundario. Explico solutionem. Duplex est status conditionatus primæ existentia consensus, & principiorum indifferentium ex dictis num. 884. Primus est status conditionatus primarius, & est ille, qui prævidetur per scientiam mediam, qui status hypothese, vel conditio tantum complectitur principia per se indifferentia ad utramque partem, per primam actionem producentia consensus, qualis est status prævisus per hanc scientiam mediam: si dederit Petro auxilium per decretum indifferens, per quod indifferenter applicetur omnipotentia, Petrus consentiet; etenim hic status prævidetur à scientia media, supponitur ad illam, simulque præscindit à scientiæ mediæ directione, & à quocunque statu illum subsequente. Alius est status conditionatus secundarius, & est ille, qui includit principia per accidens superaddita in statu absoluto ex directione scientiæ mediæ, qualis est hic status; si detur directio scientiæ mediæ, vel prædefinitio directio à scientia media, inducens in statu absoluto prima

primam existentiam principiorum indifferentium ex motivo efficaciae, existit consensus. Hic autem status secundarius non praevideatur à scientia media, sed à scientia necessaria: est enim veritas consequenter necessaria, sicut hæc veritas est necessaria consequenter; ex suppositione, quod Petrus cum libertate consentit, consentit.

930. Itaque sicut in statu absoluto, neque prima existentia consensus, neque principiorum consensus, inducitur per se à directione scientiæ mediæ, sed solum secundario per accidens, & per secundam determinationem pro libito Dei habitam dependenter ab alia determinatione independente ab ista: ita in statu conditionato primario praevisto per scientiam mediā, non praevideatur prima existentia consensus conditionate dependens à directione scientiæ mediæ, nam status conditionatus primarius est ille, qui correspondet statui absoluto includenti principia per se primò causativa consensus: non verò principia causativa per accidens dependentia ab alia inductione, & causalitate sufficiente in statu primo conditionato secundario, qui correspondet principiis per accidens superadditis, in quo jam praevideatur directio scientiæ mediæ; nam verum est dicere: si datur directio scientiæ mediæ, dabitur consensus. Notandum tamen est hoc grande discrimen, quod status conditionatus primarius praevideatur à scientia media: status verò conditionatus secundarius non praevideatur à scientia media, sed à scientia necessaria, ut constat ex dictis.

931. Ad secundam confirmationem conc. ant. & neg. conf. Disparitas est, quia status conditionatus primarius ex parte hypothesis praevistus omnino praesupponitur essentialiter ad scientiam mediā; ita ut scientia media intrinsecè praesupponat eam veritatem, ut conditionatam: si dederò auxilium, Petrus consentiet. Unde non est excogitabilis modus, quo scientia media dirigat ad inducendam hanc veritatem ut conditionatam: at verò cum scientia media intrinsecè non exigit purificationem conditionis, sed relinquat D E U M indifferentem, ut conditionem purificet, vel non purificet, ea de causa est in signo apto ut dirigat ad purificationem conditionis, & consequenter ad inducendum per accidens statum absolutum primarium principiorum per se. Unde si aliquod principium superaddatur hypothesis scientiæ mediæ, concurrens per se ad effectum, causando illum per eandem actionem, libertatem everteret: secus autem si sit principium per accidens. Quare scientia media non solum potest dirigere Deum ad conferendam libertatem, sed etiam ad everendam libertatem: v.g. Si Deus diceret: quia vidi, quod si conferam Petro auxilium A cum exclusione impedimentorum, dissentiet, nolo illi ita conferre auxilium A, sed necessitate ad consentum: Tale quippe decretum, utpote pendens à scientia media evitabile esset, & nihilominus liberta-

R. P. Gormaz Theolog. Tom. I.

tem tollit, eo quod non conferat principia eo modo, quo praevista sunt per se causantia ex parte hypothesis. Exinde præmotio Thomistica superaddita ex parte hypothesis ad concurrendum per eandem actionem everteret libertatem: secus autem, si superaddatur ut principium per accidens per secundam actionem causans eundem effectum. Quod idem est de decreto prædefinitivo, si non esset purè intentivum, sed etiam executivum, & applicativum omnipotentiae ad eliciendam actionem ab ipso pendente, simulque pendente ab hypothesis scientiæ mediæ: secus si applicaret ad secundam actionem subsequentem hypothesis, aut solum esset directio secunda illuminativa ex num. 935. Ex dictis

932. Fit 1. Decretum constitutivum providentiæ efficaciae pendens à scientia media, distinguatur à decreto subsequente scientiam visionis, præsertim ex duobus capitibus. Primo, quia decretum subsequens scientiam visionis supponit prioritate naturæ, & prioritate exercitæ decretum collativum hypothesis, atque adeò & eventum absolutè futurum pro sua differentia temporis, decretum verò subsequens scientiam mediā non supponit prioritate exercitæ, sed solum prioritate naturæ collationem hypothesis: atque adeò non supponit eventum absolutè, sed solum conditionatè causatum, exigens, quod ponantur principia ex parte hypothesis se habentia, si absolute, & liberè causandus sit. Secundo, quia decretum subsequens scientiam visionis, utpote supponens eventum absolutè causatum, nullam habet prioritatem quasi à quo respectu eventus absoluti, neque per se, neque per accidens: decretum verò subsequens scientiam mediā, licet sit posterius posterioritate se habente in genere posterioritatis per se, & à quo, esset tamen prius quasi à quo in genere prioritatis per accidens ex dictis à n. 913. Licet enim in eodem genere non possit idem esse prius, & posterius à quo, bene verò in diverso genere: sic salus est prior in intentione, & sumptio medicinae est prior in executione. Scientia visionis utpote æterna est prior tempore, & posterior natura eventu futuro.

933. Fit 2. Decretum efficax dependens à scientia media non tollere immediatam libertatem a stus imperati se habentis ex parte hypothesis. Ratio Exim. Doctoris est: quia imperium efficax per accidens est, quod movere efficaciter ad actum imperatum ex suppositione, quod actus imperatus saltem per modum hypothesis sit jam adæquate causatus à voluntate independenter, & præcisè à motione, & determinatione imperii; huiusmodi autem imperium tam longè abest, ut immediatam lædat libertatè actus imperati, quod potius supponat illam exercitam pro priori signo naturæ: cum autem decretum

C 6 2

pen

pendens à scientia media, five præfinitivum five prædestinativum talis naturæ sit, ut imperet, & efficaciter determinet ad decretum indifferens, supponendo illud jam per modum hypothesis per se ipsum quasi fluens, & procedens à divina voluntate, exinde non officit, imò supponit in statu absoluto pro signo per se priori immediatam libertatem Dei exercitam per decretum indifferens, quo in sensu immediata Dei libertas ad decretum indifferens præcendit à præfinitione, ejusque carentia, quæ pro posteriori naturæ se habet.

934. Fit 3. Similiter in creatis imperium reflexum si sit per accidens, id est ex suppositione, quòd actus imperatus sit aliunde adæquatè causatus five per modum eventus, five per modum hypothesis independentè à motione, & influxu morali imperii reflexi, (supponimus enim, ut servetur proportio, imperium reflexum in creatis moraliter solum influere in actum imperatum) tunc quippe non destrui, imò supponi exercitam immediatam libertatem actus imperantis. Difficile tamen est agnoscere extra revelationem, quando imperium efficax in creatis supponat per se actum imperatum, aliunde causatum. Si verò imperium reflexum est principium per se, id est, efficaciter movens, & determinans ad actum imperatum, independentè ab eo, quòd actus imperatus sit aliunde adæquatè causatus à voluntate: tunc destruet immediatam, & proximam libertatem actus imperati: quia esset necessitas antecedens, & non ex suppositione actus imperati. Quare immediata libertas ad actum imperatum constituenda est per carentiam imperii immediati per se.

935. Fit 4. Præfinitionem, five decretum pendens à scientia media inducens ad statum absolutum omnia principia indifferentia, & decretum indifferens immediatè applicativum omnipotentia ad utramque partem non lædere libertatem; licet etiam immediatè superabundanter applicet omnipotentiam, dummodo solum influat moraliter in consensum. Explico illationem. In principiis equidem scholæ nostræ eadem causa potest esse simul mediata, & immediata ejusdem effectus: v. g. Ignis producens calorem A, simulque cum calore A. producens calorem B, est causa mediata, & immediata. Insuper notandum est, magnū discrimen inter principium physicè influens in effectum, & principium solum influens moraliter. Nam principium physicè influens tale est, ut actio essentialiter pendeat determinatè ab illo, & cū eo connectatur, cum sit modus illius. Quando verò principium solum moraliter influat, id est monendo, alliciendo, inclinando, & approximando, actio non est connexa cum illo determinatè, nec penderet determinatè ab illo: sic si præmissæ solum moraliter influant in conclusionem movendo, & approximando, actio productiva conclusionis non pendeat essentialiter determinatè à præmissis, sed indeterminatè, nimi-

rum vel ab iis, vel ab aliis approximantibus, & moventibus ad actum conclusionis. Exinde Ratio nostræ illationis est, quia ea præfinitio in primis esset principium mediatum consensus causans illum mediis principiis, & decreto applicativo indifferente, prout hæc omnia inducerent ad statum absolutum. Deinde licet ipsa præfinitio etiam applicaret omnipotentiam immediatè superabundanter; esset tamen principium per accidens, præsupponens consensum sufficienter, & adæquatè causatum, atque aded non læderet libertatem: etenim ea præfinitio penderet à scientia media vidente consensum adæquatè causatum ab omnibus principiis indifferentibus cum sufficiente applicatione indifferente omnipotentia; eaque omnia principia induceret ad statum absolutum relinquendo ipsa immediatè influentia per suam actionem eodem modo, quo influeret, licet non adesset præfinitio. Unde licet ea præfinitio immediatè applicaret superabundanter; esset tamen principium per accidens immediatum. Quamobrem actio productiva consensus non esset essentialiter connexa cum ea præfinitione, cum physicè non procederet ab illa, ut supponimus: atque aded ex hoc capite præfinitio non esset principium per se consensus. Deinde non inverteret hypothesis scientiæ mediæ; quia nullum adderet principium, sine quo non posset esse illa actio, atque aded relinqueret omnia principia indifferentia, causantia sufficienter consensum per suam actionem, eodem modo, quo causaret, licet non adesset ea præfinitio. Unde simul esset principium mediatum, ut inductivum hypothesis, & simul immediatum titulo immediatæ applicationis se habentis per accidens, ut diximus.

Fit 5. Decretum indifferens immediatè applicativum omnipotentia prævium ex parte hypothesis non esse principium per accidens, sed per se, licet solum influat moraliter in consensum. Quare adhuc differet in ratione causandi ab illa præfinitione: Ratio est, quia decretum indifferens applicativum prævium ex parte hypothesis, licet solum moraliter influat, non tamen supponit effectum adæquatè causatum ab omnipotentia sufficienter applicata, & approximata. Cum autem consensus exigit aliquam applicationem ex dictis à n. 449. Sive hanc, five illam, ideo decretum indifferens, licet physicè non influat, est principium per se; quia ab effectu exigitur aliqua applicatio, & hic, & nunc non supponitur alia. Præfinitio verò de qua loquimur, supponit consensum adæquatè causatum ab omnipotentia sufficienter applicata: & cum ex altera parte non influat physicè, neque actio physicè procedat ab illa, neque connectatur cum illa, non invertit hypothesis, neque addit aliquod principium per se. Exinde, si præfinitio applicativa omnipotentia moraliter influens in consensum penderet à sola scientia simplicis intelligentiæ, tolleret libertatem: quia non supponeret effectum adæquatè

re eaularum ab omnipotentia sufficienter applicata. Quamobrem requiritur directio scientie medie, ne huiusmodi preænitio libertatem everrat.

SECTIO III.

An sit possibilis electio efficax ad gloriam ut coronam ante merita absolute prævisas?

938. Suppon. 1. Gloriam ut coronam meritorem esse illam, quæ dabitur propter merita electi: quando enim parvulis post baptismum morientibus datur gloria absque illorum meritis, non datur gloria ut corona meritorem, sed ut hæreditas filiorum Dei, ex dictis à num.

842. Unde posita prælucentia scientiæ medie, qua Deus vidit se habere plura auxilia efficaciam, quibus, si conferantur, Petrus obtinebit gloriam, si tunc Deus efficaciter eligat Petrum ad gloriam dandam propter sua merita, quamvis in eo signo non decerneret eligere hæc media præ aliis, ea esset electio Petri ad gloriam, ut coronam, ante absolutam prævisionem meritorem: Licet enim ipsa efficax electio esset etiam scientia visionis meritorem in decreto; at ad illam eliciendam nulla præcelleret scientia visionis meritorem, neque illa est scientia visionis meritorem in se ipsis, quæ adesse debet, ut actu conferatur gloria ut corona; quo in sensu vocatur in præsentem ea electio prior meritis absolute prævisis.

939. Supp. 2. Dupliciter posse aliquem actum esse liberalem, vel onerosum. 1. Subjectivè. 2. Objectivè. Tunc est *subjectivè liberalis*, quando actus volens conferre aliquid bonum concipitur, & habetur spontaneè, & liberè absque obligatione, & debito oneroso ad habendum illum actum. Tunc verò est *subjectivè onerosus*, quando actus existit in agente, cum debito, & onere, ut concipiat talem actum. Actus autem *objectivè liberalis* est, quando intendit, & vult objectum, seu bonum gratis conferre, id est, non habendo pro objecto voluto aliquid onus ad conferendum tale donum: actus verò *objectivè onerosus* est, quando vult aliquid onus ex parte objecti; quare evenire potest, quod aliquis actus sit *subjectivè liberalis*, & *objectivè onerosus*. Explicatur exemplo vulgari: antequam aliquis faciat contractum, concipit voluntatem emendi equum, & solvendi pretium, antequam fiat contractus: cum hæc eadem voluntas sit voluntas faciendi contractum; non enim est voluntas solvendi pretium ante contractum, sed solvendi post contractum: ea de causa talis voluntas est *subjectivè liberalis*, quia concipitur sine ullo onere, ut concipiatur: at *objectivè* est onerosa, quia non vult solvere gratis, sed factu contractu, & cum onere.

940. Supp. 3. Ut aliquis actus sit formaliter, & elicitive alicujus virtutis, v. g. liberalitatis, nõ sufficere, quòd sit *subjectivè* grativus, & libe-

ralis, sed requiritur, quòd sit *objectivè* liberalis, id est, quòd habeat pro objecto elargitionem boni nullatenus debiti propter honestatem talis elargitionis; hoc enim est objectum formale liberalitatis. Quare actus formaliter, & elicitive pertinens ad liberalitatem, debet habere pro objecto formali exclusionem omnis debiti, sive ex contractu, sive ex promissione onerosa. Ratio est, quia actum esse formaliter alicujus virtutis, nihil aliud est, quam intrinsecè moveri ex objecto formali illius virtutis. Unde non potest cognosci, an actus pertineat formaliter ad virtutem liberalitatis ex eo præcisè, quòd sit *subjectivè* liberalis, & gratuitus: id est existens sine ullo onere, sed gratuitò: solum quippe potest cognosci ex eo, quòd *objectivè*, sive ex parte objecti sit liberalis, id est, ex eo, quòd habeat pro objecto elargitionem boni gratis, & absque ullo onere conferendi: Idemque dico de actu oneroso, qui pertinebit ad justitiam formaliter, ex eo, quòd velit objectum, seu bonum conferendum cum onere, & debito: non autem ex eo præcisè, quòd sit *subjectivè* onerosus, pertinebit ad justitiam formaliter, & elicitive. His positis

941. Triplex est sententia. Prima docet Deum non potuisse eligere prædestinatos ad gloriam ut coronam ante absolutam meritorem prævisionem. Ita Vasquez 1. Part. disp. 86. Lessius, uterque Turrianus, Becanus, Monetus, & alii. Secunda defendit Deum salva libertate potuisse eligere efficaciter prædestinatos ad gloriam ut coronam: defacto tamen nõ ita elegisse omnes, sed duntaxat B. Virginè, Apostolos, aliòsq; sanctos Deo valde dilectos, & confirmatos in gratia. Ita Ocamus in 1. dist. 42. q. 1. Gabriel, Caterin, aliq;. Tertia sententia tenet, posse Deum eligere efficaciter, & defacto efficaciter eligere ad gloriam, ut coronam omnes adultos prædestinatos ante prævisam ipsorum merita per scientiam visionis. Ita Thomistæ cum D. Thoma 1. Part. quest. 23. art. 4. & 5. aliique, tum antiqui, tum moderni cum Magistro sententiarum; Scotistæ cum Scotò; & nostri communiter cum Exim. Doctore lib. 1. de Prædestinatione cap. 8. Dissentiunt tamen nostri à Thomistis, & Scotistis, quatenus nostri defendunt decretum prædestinativum pendens à scientia media: alii verò independenter ab illa, utpote negantes scientiam mediantem. Contra quos supra satis dixi.

942. Afferò 1. Possibilis est electio efficax absoluta ad gloriam, ut coronam, non præsupponens merita absolute prævisas. Probat. 1. Gloria conferenda ut coronam, & ut præmiùm est finis honestissimus, & dignissimus, qui ametur, & efficaciter intendatur à Deo: Deus autem per scientiam mediam cognoscit plura auxilia efficaciam ad perseverantiam finalem, & ad merita iusti, quibus collatis gloriam certò conferretur: ergo à scientia media dirigente potest DEUS efficaciter decernere gloriam, ut coronam.

ronam. Utraque antecedentis pars juxta principia à nobis stabilita, certa est: Nam in primis certum est Gloriam ut coronam esse honestum finem. Deinde Deum per scientiam mediam cognoscere, quoniam auxilia erunt efficacia, ut homo finaliter consentiat, & mereatur gloriam, satis à nobis supra ostensum est. Consequentia verò tenet; nam neque læderetur humana libertas meritorum, cum hæc electio efficax sit evitabilis, ut à num. 908. neque ista electio exigit, quòd dirigatur ad scientiam visionis: sed sat est illi prælucentia scientiæ mediæ. Voluntas enim, quæ est subjectivè liberalis, & solum ex parte objecti vult, seu imperat aliam volitionem non quidem liberalem, sed debitam ex justitia, non prærequirit absolutam meritorum prævisionem: absoluta namque meritorum prævisio, solum prærequiritur ad volitionem subjectivè onerosam, & ex justitia debitam, ut num. 939. atqui voluntas purè intentiva decernens efficaciter gloriam ut coronam, sive ut præmium meritorum, qualis est electio, de qua agimus, non est voluntas debita ex justitia, nec subjectivè onerosa: sed subjectivè liberalis, & gratuita: solumque ex parte objecti vult, & imperat aliam voluntatem executivam gloriæ, quæ sit subjectivè onerosa, & debita ex justitia saltem lata, utpote existens post merita absolutè prævisa; ergo ad volitionem efficacem purè intentivam gloriæ ut coronæ, non prærequiritur absolutam meritorum prævisio.

943. Probat 2. Et explicatur ulterius eadem ratio. Electio efficax ad gloriam à nobis exposita est decretum purè intentivum gloriæ ut coronæ, quod gratis concipitur à DEO, idest absque ullo onere, & debito ut concipiat. Deinde Decretum hoc purè intentivum vult, & inducit aliud decretum executivum volens conferre gloriam in præmium, quod decretum executivum non gratis, sed onerosè concipitur post absolutam prævisionem meritorum. Ergo absoluta prævisio meritorum non debet præsupponi ante primum decretum purè intentivum, quod subjectivè est liberale, licet præsupponatur ad secundum decretum executivum, quod subjectivè est onerosum. Exinde hæc assertio facile percipietur distinguendo in Deo duo decreta circa gloriam, ut coronam, & præmium primum purè intentivum; quo Deus absolutè efficaciter decernit ex directione scientiæ mediæ meritorum, quòd conferatur gloria, ut corona, medio alio decreto executivo, eligendo post absolutam meritorum prævisionem. Quod decretum purè intentivum inducit merita justitiam ad statum absolutum inducendo hypotheseim, seu auxilia efficacia prævisa à scientia mediæ: simulque inducendo aliud decretum executivum gloriæ ut coronæ, quòd concipiat ex prævisione absoluta meritorum, seu quia jam videntur merita absolutè

existentia: licet enim primum decretum purè intentivum ex sola directione scientiæ mediæ conceptum, non sit debitum subjectivè, sed gratuitò concipiat, at secundum decretum executivum, quod concipitur post absolutam meritorum prævisionem, jam est subjectivè debitum, & non existit gratis, sed onerosè. Cum autem hoc secundum decretum sit, quod immediatè renumerat, & præmiat, manifestè exinde apparet, quòd voluntas immediatè renumerans sit debita ex justitia, & subjectivè onerosa: licet voluntas purè intendens, quæ solum est mediatè renumerativa, non sit debita ex justitia, nec subjectivè onerosa, sed subjectivè liberalis ex num. 939.

944. Quam obrem in hac assertione valde notandi sunt isti termini. Nam aliud est gratis, & liberaliter concipi electionem, seu decretum purè intentivum gloriæ ut coronæ, idest concipi sine onere meritorum; & hoc verissimum est. Quia de causa ea electio est subjectivè liberalis. Aliud enim est, quòd hæc electio, seu decretum velit, quòd gloria conferatur gratis in præmium, cadendo ly *gratis* vel supra decretum executivum gloriæ, quod est secundarium, vel cadendo supra actualem passivam gloriæ collationem. Si, ut alij intendunt, non subsequatur aliud decretum executivum gloriæ post absolutam meritorum prævisionem. Hoc enim decretum executivum, vel saltem passiva collatio gloriæ, poni debet post absolutam meritorum prævisionem, & ex debito, seu onere meritorum. Quare ea electio purè intentiva gloriæ ut coronæ non est objectivè liberalis, sed onerosa. Sic à Petro gratis concipitur voluntas vendendi equum; sed non vendendi gratis, cadendo ly *gratis* supra actualem traditionem equi.

945. Affero secundò. De facto eligit Deus ad ultos prædestinatos ad gloriam ut coronam independentem ab absoluta meritorum prævisione. Probat 1. primò ex scriptura. Etenim ad Ephel. primo dicitur: elegit nos in ipso ante mundi constitutionem. Ex hoc Testimonio infert Augustinus c. 19. de Præd. SS. eam electionem non fuisse ex meritis, seu post meritorum prævisionem, sed omnino gratuitam subjectivè. Sic enim ait, ut patet num. 910. Cum dicat Apostolus, non quia futuros tales nos esse prævidit, sed ut essemus tales per ipsam electionem gratiæ suæ. Idem enim sonat nos elegisse ante mundi constitutionem, seu ante constitutionem hominum, ac elegisse ante merita: & idem significat nos elegisse, non quia eramus sancti, sed ut sancti essemus, ac nos elegisse ante absolutam prævisionem sanctitatis, & perseverantiæ finalis. Atqui electio ad gloriam ut coronam ante absolutam prævisionem sanctitatis, & perseverantiæ finalis est electio ante abso-

absolutam prævisionem meritorum; ergo &c. Confir. ex ipso Aug. eodem cap. dicente: nec quia credidimus; sed ut credamus, vocamur. & cap. 18. elegit ergo nos DEUS in Christo ante mundi constitutionem, prædestinans nos in adoptionem Filiorum, non quia per nos sancti, & immaculati futuri eramus; sed elegit; prædestinavitque, ut essemus; ergo &c.

946. Probatur 2. ex Lucae cap. 12. ubi Christus ait: *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Quibus in verbis significatur electio antecedens merita, ut potè fundata solum in beneplacito Dei, ut haberetur in illis verbis; quia complacuit Patri vestro. Præterea est electio ad Gloriam, ut haberetur in illis verbis: *Dare vobis regnum.* Tandem non est electio inefficax, neque communis Prædestinatis, & reprobis; siquidem sermo est de complacencia speciali Patris Christi erga Apostolos, propria videlicet Prædestinatorum, ut cum communi sententia explicat Maldonatus. ergo &c. Confir. efficaciter ex Concilio Valentiniano sub Leone IV. anno 855. ita definiente. [*Evidenter fatemur Prædestinationem electorum ad vitam, & Prædestinationem Impiorum ad mortem: In electione tamen salvandorum misericordiam DEI præcedere meritum bonorum: in damnatione autem periturorum meritum malum præcedere justum DEI iudicium.*] In hoc enim testimonio per electionem ad vitam, & ad mortem, clarè intelligitur electio ad æternam vitam, aut æternam mortem: atqui electio ad æternam vitam, quæ est ad Gloriam, est, ut ait Concilium; ante merita nostra absolutè prævisa; ergo &c.

947. Resp. Adversarij scripturam, & P. P. non loqui de electione ad Gloriam, sed ad Gratiam auxiliantem congruam: vel de electione communi reprobis, & prædestinatis, quæ est objectivè conditionata de danda gloria, si apponantur merita. Unde ex illis non probatur efficax divina electio ad Gloriam ut coronam ante merita nostra absolutè prævisa. Contra tamen 1. quia in Testimoniis adductis scriptura, Concilia, & P. P. loquuntur de electione ad sanctitatem finalem, ad regnum Dei, ad vitam æternam per electionem contrapositam reprobationi, ut constat ex testimoniis adductis; ergo loquuntur de electione efficaci ad Gloriam ut coronam. Contra 2. quia licet scriptura aliquando loquatür de electione communi Prædestinatis, & reprobis, quæ est objectivè conditionata, & ex nostra libertate per opera nostra bona fiet certa, ut habetur 2. Pet. 1. [*Quapropter Fratres magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis: Hac enim facientes non peccabitis aliquando.*] At verò in aliis testimoniis à nobis adductis, non est sermo de electione objectivè conditionata, sed absoluta, cum sit sermo de electione Prædestinatorum ad vitam contradistincta ab electione reproborum ad mortem; ergo &c.

948. Prob. 3. & præoccupatur adversariorum res-

sponso. Testimonia à nobis adducta ita intelligenda sunt, sicuti à S. S. P. P. & præsertim ab Aug. intelliguntur: sed intelliguntur de efficaci electione ad Gloriam, ut coronam ante absolutam prævisionem meritorum; ergo &c. Prob. min. electio, de qua ibi testimonia loquuntur, est contradistincta à Vocatione communi Prædestinatis, & reprobis: Illa quippe electio efficaciter conjungitur cum Gloria Prædestinati. Sic Aug. tom. 7. de Corr. & Gratia c. 7. [*Quicumque electi sine dubio etiam vocati: Non autem quicumque vocati, consequenter electi: Illi ergo electi, ut sæpe dictum est, qui secundum propositum vocati, qui etiam Prædestinati, & Præsciti. Horum si quisquam perit, fallitur Deus, sed nemo eorum perit; quia non fallitur Deus. Horum si quisquam perit, vitio humano vincitur Deus: sed nemo eorum perit; quia nulla re vincitur Deus; electi autem sunt ad regnandum cum Christo, non quomodo electus est Judas ad opus, cui congruebat;] & paucis interjectis: [*Cum itaque audimus: nonne ego vos duodecim elegi, & unus ex vobis Diabolus est? Illos debemus intelligere electos per misericordiam, illum per iudicium.*] Quibus in verbis Augustinus Joquitur de electione efficaci, qua nullus perit: Loquitur de electione ante merita absolutè prævisa, cum non loquatür de electione facta ex Justitia, sed ex sola misericordia, ut patet ex ultimis verbis; ergo &c.*

949. Prob. 4. ratione: Deus ante scientiam Visionis consensu finalis, ex sola prælucentia scientiæ mediæ vult Prædestinatis efficaciter conferre auxilium efficax ex speciali benevolentia, quia efficax, & conjungendum cum consensu: sed tale decretum est Prædestinatio efficax Gloriæ ut coronæ, ante absolutam prævisionem meritorum; ergo &c. Confir. Sic volendo auxilium magis commendatur divina misericordia; & affectus benefaciendi, nec non specialis Benevolentia erga Prædestinatos; quæ tantum à Scripturis, & PP. commendatur. Imo illa specialis commendatio, & benevolentia, admissa ea electione efficaci ante absolutam prævisionem meritorum, nobis apparet, qualis à scriptura, & PP. describitur facta ex magna Dei misericordia. Deinde in tali electione efficaci, ut à nobis exposita, nulla est repugnancia; ergo ad explicandum verum, & genuinum scripturarum, & PP. sensum, illam debemus de facto admittere erga omnes Prædestinatos.

## S E C T I O I V.

### Solvuntur opposita.

950. Objic. 1. Contra primam. Actualis collatio Gloriæ ut Coronæ, & præmij, solum datur, quando merita ut merita movent Deum ad conferendam Gloriam: Atqui non movent ut merita, nisi ut absolutè prævisa; merita siquidem concomitant præmium, quia sunt, & per modum causæ moralis efficientis. Ergo solum potest decerni efficaciter Gloria ut prævisa,

corona per absolutam meritorum prævisionem. Confir. 1. quod decernitur ante merita absolute prævisa, decernitur gratis, id est nullis præcedentibus meritis: sed quod decernitur gratis, confertur gratis; ergo actualis collatio gloriæ esset gratuita, & non ex iustitia contra Apostolum 2. ad Tim. 4. dicentem: *[In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex: non solum autem mihi, sed & iis, qui diligunt adventum eius.]* Confir. 2. Voluntas præmiandi, & satisfaciendi juri meritorum debet esse debita tali juri, & non potest esse purè liberalis. Ergo nequit esse ante merita absolute prævisa. Consequentia tenet: anteced. probatur. Voluntas efficax præmiandi est illa, cui incumbit remunerare: sed voluntas, cui incumbit remunerare, cum sit voluntas iusti iudicis, non potest esse liberalis, sed debet esse debita; ergo &c.

951. Resp. Concessis præmissis nego consequentiam. Nam hæc consequentia, notaretur sequitur ex præmissis, sed hæc alia, quæ vera est: ergo solum potest actu conferri gloria ut corona post absolutam meritorum prævisionem. In hoc namque syllogismo fit transitus de actu conferri gloriam ut coronam ad decerni gloriam ut coronam. Licet enim Deus possit decernere gloriam ut coronam decreto purè intentivo ante merita absolute prævisa; numquam tamen actualis collatio gloriæ ut coronæ extat, nisi post absolutam meritorum prævisionem. Quare decretum intrinsecè efficax executivum, quo actu confertur gloria ut corona, est post absolutam meritorum prævisionem. Unde syllogismus adductus constat quatuor terminis. Ad 1. Conf. dist. maj. decernitur gratis subjective conc. maj. gratis objective neg. maj. & dist. min. neg. consequentiam ex num. Ad 2. Conf. neg. antecedens, de voluntate purè intentiva. Ad prob. dist. maj. voluntas præmiandi est illa, cui incumbit remunerari sive immediatè, si est executiva; sive mediatè, si est purè intentiva conc. semper immediatè neg. maj. & dist. min. Voluntas, cui incumbit remunerare immediatè, non potest esse liberalis, sed debita, omitto: cui solum convenit mediatè, & purè intentivè remunerare neg. min. & consequentiam.

952. Itaque electio efficax ad gloriam, ut coronam, quæ est purè intentiva, vult gloriam conferre medio alio decreto executivo habendo post merita absolute prævisa: atque aded est mediatè remunerativa, solumque incumbit illi mediatè onus remunerandi: at ut sit mediatè remunerativa, satis est, quod decretum immediatè executivum gloriæ sit post merita absolute prævisa. Exinde electio illa ad gloriam ut coronam, licet sit subjective liberalis, non est liberalis objective; quia habet pro objecto aliud decretum executivum, quod Deus concipiet ut iustus iudex post absolutam meritorum prævisionem: & hoc decretum executivum, quod est immediatè, & formaliter remun-

nerans, jam est subjective onerosum, & debitum. Quin imò negato ant. dixi omitto ad probationem ultimæ minoris. Nam licet voluntas remunerativa immediatè executiva gloriæ esset ante merita absolute prævisa, adhuc salvaretur tota ratio meriti remunerandi, & præmiis, si non esset purè intentiva, sed quasi conditionatè est executiva; nimirum postquam absolute posita sit conditio meritorum; tunc enim jam esset objective debita ex iustitia, non ut subjective elicit, sed ut objective completa per merita absolute existentia, causans, & exequens gloriam.

953. Obijc. 2. Actus internus imperans, & actio externa imperata pertinet ad eandem virtutem: atqui si decretum efficax dandi gloriam esset ante merita absolute prævisa, actus ille internus esset gratuitus, & liberalis; externa verò collatio gloriæ ut coronæ esset actus iustitiæ saltem latæ; ergo repugnat tale decretum. Ut appareat hujus argumenti æquivocatio, notate oportet discrimen inter actum imperatum internum, & externum: actus enim internus imperatus habet honestatem propriam intrinsecam ex suo proprio objecto, præter honestatem extrinsecè derivatam, & communicatam ab actu imperante. v. g. quando quis ex motivo charitatis, & bonitatis divinæ imperat actum misericordiæ volentem elemosynam ad subveniendum Pauperi, actus ille imperatus intrinsecè, & ex suo proprio objecto pertinet ad virtutem misericordiæ: extrinsecè autem, & derivativè ad virtutem charitatis, à qua imperatur. Actus verò externus imperatus v. g. elemosyna, non habet aliam bonitatem, nisi derivatam ab actu imperante; nam actio externa elemosinæ, si imperatur ab actu misericordiæ, pertinet ad virtutem misericordiæ: si autem ab actu charitatis solius, pertinet ad virtutem charitatis, & non ad aliam.

954. Exinde resp. dist. maj. actio externa imperata pertinet ad eandem virtutem denominativè conc. formaliter neg. maj. Nam cum actio externa imperata non habeat in se bonitatem formalem intrinsecam, sed solum denominativè, & derivativè ab actu imperante, ideo non pertinet formaliter ad virtutem actus imperantis, sed solum denominativè. Et dist. min. si decretum efficax gloriæ ut coronæ esset ante merita absolute prævisa, actus ille internus imperatus esset liberalis subjective conc. objective neg. min. & consequentiam. Quia licet gratis conciperetur à Deo, est tamen voluntas conferendi præmium non gratis, sed incuitu, & cum onere meritorum; ita ut decretum executivum gloriæ, & ipsa passiva executio existant, quia jam sunt merita absolute prævisa; ac proinde illa electio erit actus iustitiæ saltem latæ formaliter, & elicitivè, cum sit subjective onerosa; licet enim gratis concipiatur, non habet actus ille tendentiam dandi gloriam gratis, sed ex debito meritorum, quod satis est, ut non sit objective liberalis, sed ex iustitia.

Obijc.

955. *Obijc. 3.* Ut quis mereatur substantiam gloriae, debet mereri primum decretum dandi gloriam: atqui si ante absolutam meritorum praevisionem daretur decretum efficax intentivum gloriae, homo non mereretur primum decretum; ergo neque gloriam. *Confirm. 1.* Quod confertur ut primum, tale est, ut possit negari adhuc posito merito, ita ut non sequatur ex merito per necessariam connexionem: atqui gloria non potest negari à Deo ex vi electionis efficacis à nobis admittae, posito semel merito; ergo non erit primum. *Confir. 2.* Decreta divina servant ordinem passivum, & objectivum rerum: atqui perseverantia finalis praesupponitur ad gloriam, & gloria ut corona existit post perseverantiam finalem; ergo similiter decretum circa perseverantiam finalem debet praesupponi ad decretum gloriae ut coronae.

956. *Resp. neg. maj.* absolute sumptam; falsum enim est, quod, ut quis mereatur substantiam gloriae, & illam causet meritorie, debeat mereri, & causare meritorie primum decretum dandi gloriam, sed sufficit, quod mereatur, & meritorie causet decretum executivum gloriae, quod jam existit post absolutam meritorum praevisionem, & quia jam existunt merita. Hoc enim & non amplius desiderari potest, ut gloria sit primum, & homo illam mereatur. Quinimò, licet post absolutam meritorum praevisionem non subsequeretur decretum executivum gloriae, sed sola passiva executio gloriae, juxta dicta num. superiori, adhuc salvaretur tota ratio meriti remunerandi, si primum decretum efficax existens ante merita absolute praevisa, non decerneret conferre gloriam pure intuitive, sed conferre executivè dependenter ab intuitu meritorum, seu positis meritis absolute praevisis, eorumque condignitate; tunc enim decretum illud in esse executivi praesupponeret merita absolute praevisa.

957. *Ad primam confirmat. dist. maj.* ut possit negari, & non sequatur ex merito, si meritum consideretur solum secundum se, & secundum intrinsecam suam conc. si consideretur secundum intrinsecam, & extrinsecam neg. maj. & dist. eodem mod. min. neg. conf. Nam cum connexio, quam habent merita cum gloria, supposita electione efficaci ad gloriam, sit extrinseca meritis, non obstat, quominus gloria sit propter meritum; ea enim connexio, vi cuius Deus nequit negare gloriam, provenit à voluntate praemiantis, quae est extrinseca merito, & impedibilis à nostra voluntate per omissionem meriti, atque adeo ex nullo capite repugnans cum merito. Ad secundam confirmationem retorqueo argumentum: prior est applicatio medicinae, quam consecutio sanitatis; ergo quis debet velle prius medicinam, quam sanitatem. *Resp. deinde neg. maj.* Plura enim, quae sunt priora in intentione, sunt posteriora in executione, ut patet in fine, qui saepe prius intenditur, quam media: & tamen executio finis est post mediorum executionem. Unde saepe contingit, ut alia sit rerum, sive obsectorum praecedentia: alia verò praecedentia

R. P. Gormaz Theolog. Tom. 1.

volitionum; objecta enim volita servant inter se ordinem prioris, & posterioris, quem decreta volunt ex parte objecti servari in illis; possum quidem velle apponere hoc objectum ad obtinendum illud, vel apponere illud ad obtinendum istud; at decreta non debent servare ordinem inter se, quem habent res volitae, cum possumus prius velle finem, & postea velle hanc media ad obtinendum finem.

Obj. 4. Posita efficaci electione ad gloriam à nobis admitta, gloria jam non est materia apta ad praemianda merita; ergo talis electio est implicatoria. *Prob. ant.* Praemium debet esse bonum aliud non debitum antecedenter ad merita, & ratione cuius homo fiat ditior, quam erat ante absolutam praevisionem meritorum: atqui supposita ea electione efficaci gloria jam intelligitur debita ante merita, nec homo fit ditior post absolutam meritorum praevisionem; ergo gloria jam non est materia apta ad praemianda merita. *Resp. neg. ant.* ad prob. dist. maj. debet esse aliud non debitum antecedenter ad merita, si est independenter à decreto praemiandi respiciente merita C. si est dependenter neg. maj. & dist. min. gloria jam intelligitur debita ante merita dependenter à decreto praemiandi respiciente merita C. independenter ab illo decreto neg. min. & conf.

Explico solutionem. Praemium debet esse non debitum seorsim à voluntate conferendi illud intuitu meritorum; nam si deberetur aliunde, & nullo habito respectu ad merita, jam non esset praemium meritorum. Si autem est debitum ante merita, ex vi tamen decreti volentis conferre tale bonum intuitu meritorum, tunc bene poterit esse praemium, quia solum deberetur ut exequendum positis meritis, seu dependenter à meritis: licet enim antecedenter ad merita absolute praevisa gloria sit debita, est tamen debita ut danda intuitu meritorum, ac proinde per gloriam fit ditior, non quidem supra id, quod habet dependenter à meritis, cum ante merita jam habeat jus ad gloriam dandam tamen intuitu meritorum, sed fit ditior supra id, quod habet independenter à meritis; nam gloria, quae ante merita decernitur, non est danda, nisi dependenter à meritis.

Obj. 5. Contra secundam assert. Varia scripturae testimonia, in quibus electio ad gloriam facta dicitur post absolutam meritorum praevisionem. Sic Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi: esurivi enim & dedistis mihi manducare; sitivi, & dedistis mihi bibere.* Et ibid. *Euge serve bone, & fidelis, quia super pauca sum isti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Ubi continetur electio ad gloriam post merita absolute praevisa; ergo defacto electio habetur post merita absolute praevisa. *Confirm. ex 2. Petr. 1. Fratres magis sagitate, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis.* Atqui si electio efficax ad gloriam esset ante absolutam meritorum praevisionem, non fieret certa per illa; imò esset certa ante illa; ergo &c.

Dd

Resp.

961. Resp. conc. ea testimonia, & neg. consequentiam. Quia per illa verba non denotatur, quod electio purè intentiva ad gloriam fuerit post merita absolutè prævisa; sed solum denotatur, quod decretum executivum gloriæ est post merita absolutè prævisa, vel saltem actualis executio, & passiva collatio gratiæ; illa enim verba, *percipite, possidete, intra in gaudium*, potius denotant passivam executionem, & collationem gloriæ etiam post merita, & propter merita absolutè prævisa, quod minimè pugnat cum decreto prævio ad merita absolutè prævisa purè intentivo gloriæ dandæ propter merita. Ad Confir. Resp. textum illum D. Petri intelligendum de electione conditionata prædestinatis, & reprobis communi, quâ Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire; illa autem salus æterna ex vi talis decreti electivi non dabitur, nisi nos utamur bene mediis collatis ad talem finem, qui quidem rectus usus non connectitur metaphysicè cum tali electione. Testimonia autem à nobis adducta in probationibus, non de hac, sed de efficaci electione loquuntur. Unde nulla est paritatis ratio. Scio aliquos modernos respondere ibi D. Petrum loqui de certitudine quoad nos, non verò in se: quatenus nos non possumus esse moraliter certi de nostra salute, nisi prout certi sumus moraliter de finali perseverantia.
962. Objic. 6. aliqua testimonia scripturæ, quibus proponuntur minæ damnationis æternæ malè operantibus: atqui istæ minæ inanes forent respectu prædestinati, si esset electus ante merita absolutè prævisa. Ergo &c. Resp. neg. min. quia electio ad gloriam est post merita iusti conditionatè prævisa sub conditione illarum minarum, & dependenter à minis prævisis per scientiam mediam. Deus enim ita dicit: *Volo dare gloriam ob merita habenda occasione minarum, quia sic videtur per scientiam mediam*. Unde minæ non sunt inanes. Hinc Apocal. 3. dicitur: *Tene, quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam*. Ubi denotatur electionem factam esse dependenter à meritis, & minis prævisis per scientiam mediâ, quæ merita potest homo impedire, & simul impedire scientiam mediam, nec non electionem; quamobrem hortatur nos ad hanc vigilantiam.
963. Objic. 7. Promissiones Dei externæ de danda gloria conformari debent divinis decretis internis circa gloriam: atqui promissiones externæ solum sunt conditionatæ, nimirum dandi gloriam hominibus, si moriantur in gratia; ergo decreta divina erunt solum conditionata; ac proinde non dabitur decretum absolutum, & efficacax dandi gloriam ante absolutam meritum prævisionem. Resp. dist. maj. debent conformari decretis divinis, quæ per promissiones externas manifestantur nobis conc. aliis decretis, quæ per illas non manifestantur neg. maj. & conc. min. dist. conseq. decretum dandi gloriam manifestarum per promissionem externam erit conditionatum conc. aliud decretum neg. conseq. Itaq;

promissiones Dei externæ dandi gloriam, cum sint generales omnibus hominibus, prudentissimè sunt conditionatæ, id est sub conditione, quod homines decedant in gratia: & istæ promissiones solum manifestant decretum generale conditionatum dandi gloriam omnibus hominibus, & conformantur cum illo: electio verò efficacax absoluta ad gloriam ut coronam, de qua loquimur, non manifestatur per illas promissiones, imò potius promissiones factæ sunt independentes, & antecedentes ad absolutam illam electionem.

Objic. 8. Omnes, qui salvantur, sunt antecedentes electi; ergo nullus salvabitur, qui non fuerit antecedenter electus: atqui non est in manu hominis reprobis, quod sit antecedenter electus; ergo neq; quod salvetur. Confir. Deus per electionem antecedentem ad merita absolutè prævisa vult, quod omnes, qui salvandi sunt, sint illi electi: ergo vult, quod nullus alius salvetur præter electos; ac proinde excludit omnes alios à gloria, quæ esset reprobatio positiva ante merita absolutè prævisa, pugnans contra Dei sanctitatem, & misericordiam, ut dicemus dist. seq. Resp. conc. ant. & dist. consequens: nullus salvabitur, qui non fuerit antecedenter electus ob præcisum defectum electionis antecedentis nego. Hæc enim non est necessaria, ut quis salvetur: ob defectum correspondentiæ per opera finalia, quæ homo habere poterat, & non habet conc. consequentiam. Ut enim quis salvetur, sufficit, quod finaliter perseveret, & quod Deus illum eligat saltem post merita absolutè prævisa. Ad Confir. dist. ant. vult, quod omnes, qui salvandi sunt, sint isti electi potivè nolendo alios salvari neg. negativè nolendo, id est non volendo salvationem aliorum per hoc decretum conc. ant. Hoc autem non est positivè excludere alios à gloria, sed eos non includere, eos non eligere, eisque non velle gloriam. Quod autem isti non inclusi non salventur, provenit ex eo, quod pro suo mero libito non perseverabunt finaliter sub illis auxiliis, quæ Deus illis conferre decernit. Unde non poterunt eligi adhuc electione consequente, cum nolint apponere merita, quæ ad electionem efficacem consequentem præcedere debent.

Objic. 9. Augustinus lib. 1. ad Simpl. q. 2. ait: *non tam electio præcedit justificationem, sed electionem justificatio: nemo enim eligitur, nisi jam distans ab eo, qui rejicitur. Undo quando dictum est: qui elegit nos ante mundi constitutionem, non video, quomodo sit dictum, nisi præscientia, id est visione meritum*. Ergo ex Augustino electio ad gloriam est ante absolutam meritum prævisionem. Confir. ex Ambrosio lib. 5. de fide c. 2. Testimonium Pauli ad Rom. *Quos præscivit &c.* ita exponente. *Non enim ante prædestinavit, quam præscivit: sed quoniam merita præscivit, eorum præmia prædestinavit*. Ergo &c. Resp. nego consequentiam. Quia Augustinus ibi non loquitur de electione purè intentiva ad gloriam, 12d


sed de executiva, sive passiva collatione gloriae, quae, ut constat ex dictis, praesupponit absolutam meritorum praevisionem. Ad confirmationem neg. consequentiam; quia tam Ambrosius, quam D. Paulus sufficienter intelliguntur de praesentia conditionata meritorum, quae praedestinationem praecedat, vel de electione executiva.

966. Obijc. 10. D. Paulus ad Rom. 9. ait: *Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali ( ut secundum electionem propositum Dei maneret ) non ex operibus, sed ex vocante dictum est: quia major serviet minori: sicut scriptum est: Jacob dilexi: Esau autem odio habui.* Eodem quippe modo loquitur Paulus de reprobatione Esau, ac de electione Jacob: sed reprobatio Esau non fuit ante merita absolute praevisa; ergo neque electio Jacob ante merita absolute praevisa.

Resp. 1. Concesso testimonio Apostoli, nego ibi loqui de praedestinatione ad gloriam, aut reprobatione ad poenam. Hoc enim testimonium, ut norant interpretes, juxta literalem sensum intelligitur de temporalibus beneficiis, ad quae DEUS merè ex suo beneficio noluit eligere Esau, sed Jacob, in quo, ejusque semine promissiones de terra Canaan impleverunt. Unde Cardinalis Toletus ita exponit hoc Testimonium. *Jacob dilexi; Esau autem odio habui,* non ad solas personas ipsas, sed etiam ad posteritatem earum ea verba referuntur. Ex Esau enim fuit Idumaeorum populus: ex Jacob autem populus Judaeorum: dicitur autem Esau servisse Jacob; quia populus illius fuit subditus populo Judaeorum: terra autem promissionis, quae erat terra Canaan fertilis, & abundans, haereditas erat Abrahæ; non Idumæis, sed Ju-

dæis ex Jacob data est. Idumæis autem, & posteris Esau loca saxosa, & sterilia, ut habetur Malach. 1. Ideo dicitur Deus Esau odio habuisse, Jacob autem dilexisse, & eum illi anteposuisse. Omnia enim, quae Paulus in hac collatione, & comparatione narrat, ad temporalia pertinent, quantum ad literam. Quod si de bonis spiritualibus aliquis Apostolum intelligat, juxta sensum Augustini lib. 6. de Civitat. cap. 25. & communem sententiam sui temporis, non exinde est sermo de praedestinat, & reprobis, sed de gentibus, & Judæis: gentes enim in donis, & beneficiis Dei, & vocatione ad gratiam Judæis praelatae fuerunt; nec proinde promissiones posteris Abrahæ factae fuerunt irritae, cum hæ non filiis Abrahæ carnalibus, sed spiritualibus sint factae. Unde secundum ipsum textum & Isaac praelatus est Ismaeli, & Jacob Esau, licet ambo æquè fuerint filii Abrahæ secundum carnem. Quare sensus Apostoli est, quod absq; meritis recipientium Deus dat gentibus vocationem, & auxilia efficacia ad obtinendam gratiam, relinquens Judæos cum inefficacibus, & incongruis, quae ex abusu ipsorum efficacia non sunt. Cæterum si aliquis permittere vellet, quod Jacob sit typus praedestinati, Esau autem reprob; respondendum est secundò dist. maj. eodem modo juxta id, quod exigit sanctitas Dei in unaquaque linea conc. aliter neg. maj. & concessa minori neg. consequentiam. Quia decretum electivum ante merita absolute praevisa non opponitur sanctitati DEI, bene verò decretum reprobativum ex num.

972.



## DISPUTATIO XVII.

## DE IMPIORUM REPROBATIONE.

967. Reprobatio alia est positiva, & alia negativa ex num. 904. Reprobatio positiva non stat praecise in tortura, sed in poena; quae significat eam infligi propter delictum. Unde decretum inflictivum poenae propter delicta requiritur ad reprobationem positivam. Quamobrem inter praedestinationem, & reprobationem positivam intercedit hoc grande discrimen, nimirum quod in praedestinatione praeparantur à Deo non solum corona meritorum, sed etiam ipsa merita, quae sunt beneficia Dei, quibus retribuitur corona gloriae. In reprobatione autem sola poena praeparatur à Deo, ut infligenda ratione iniquitatis, quae non praeparatur ab ipso, sed praeceditur. Ea de causa Augustinus cap. 13. de Praedestinatione SS. ait: *Praedestinatio est, quae sine praesentia non potest esse: Potest autem esse sine praedestinatione praesentia. Praedestinatio quippe Deus ea praescivit, quae fuerat*

*ipse factururus. Unde dictum est: fecit quae futura sunt: praescire autem potens est, & quae ipse non fecit, sicut quæcumque peccata.* Eandem Augustini sententiam docuit D. Thomas in cap. 8. ad Rom. Lect. 6. dicens: *Praesentia importat solam notitiam futurorum: sed praedestinatio importat causalitatem quandam respectu eorum: & ideo Deus habet praesentiam etiam de peccatis: sed praedestinatio est de bonis salutaribus.* Exinde Deus peccatum non praeparat, sed potè permittit; praeparat enim auxilium indifferens per volitionem indifferentem, qua non vult se retrahere à praevisa inefficacia, non quia illam intendat; sed quia, licet intendat ex se actum bonum, ex aliis titulis non tenetur se retrahere à collatione auxilii, per quod homo poterat inefficaciam illam impedire: & ita auxilium confert, ut actus divinus nullam eum peccato habeat connexionem ex n. 901.

R. P. Gormas Theolog. Tom. 1.

D d 2

SE-

## SECTIO I.

*An Positiva reprobatio sit ante merita absolutè prævisæ?*

968. **Supp. 1.** Reprobationem negativam aliam esse puram, aliam esse mixtam. Reprobatio pura negativa stat in decreto affectivo Dei, quo ante absolutam, & conditionatam peccati prævisionem, amaret excludere aliquos à gloria, tanquam ab indebito beneficio. Ex quo sine nullum eis confert auxilium, neque ex ulla sua promissione, aut decreto tenetur illud conferre. Talis verò reprobatio non existit defacto, licet de potentia absoluta posset existere. Et quòd posset existere, patet; quia naturæ humanæ secundum se consideratæ possessio gloriæ supernaturalis est beneficium omnino indebitum: sed ad negandum beneficium omnino indebitum non est necessaria, neque absoluta, neque conditionata prævisio culpæ, quamvis ex titulo dominii necessaria sit prævisio ex num. 642. Etenim Innocenti negatur justè, quòd indebitum ipsi est; ergo non supposita alia in Deo voluntate, est possibilis prædicta reprobatio.

969. Quòd autem talis pura negativa reprobatio defacto non detur, ex eo patet, quòd admisso eo decreto, inevitabiliter homo esset exclusus à gloria. Ergo frustra exhortantur omnes homines, ut honestè reprobationem evitent. Etenim per hujusmodi decretum est æqualiter inevitabilis reprobatio, si bene, si ve malè operentur. Unde dici non posset cum Apostolo 1. Cor. 9. *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne forte, cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* Rursus Deus defacto habet sinceram voluntatem salvandi omnes homines: atqui cum voluntate sincera salvandi omnes homines, quantum est antecedenter ex parte Dei, pugnat antecedens illa voluntas efficaciter excludens aliquos à gloria tanquam à beneficio indebito, quantum est antecedenter ex parte Dei, duplex enim illa efficax voluntas Dei simul habita reddit hunc sensum: *Quantum est ex me, omnes admitto, & simul, quantum est ex me, efficaciter excludo aliquos.* Quæ quidem voluntates inter se pugnant.

970. Reprobatio negativa mixta est illa, quæ non includit decretum, vel auxilium efficax salvationis adhuc extrinsecum: at non excludit decretum indifferens, quòd voluntas pro libito facere posset efficax extrinsecè, tale quidem auxilium confertur ab ea providentia. Cæterum, quia voluntas nequit ea potestate rectè uti, auxilium manet inefficax, & homo reprobus. Quamobrem hujusmodi reprobatio non consistit in eo, quòd Deus conferat vires ad malum, sed in eo, quòd non conferat robustiores ad bonum, & eas, quas per scientiam mediam prævidit fore efficaces, juxta Augu-

stini doctrinam traditam à n. 902. Cæterum in præsentem non est quæstio de ista providentia reprobativa, sed de reprobatione absolutè positiva, includente decretum absolutè efficax, quo creatura rationalis destinatur ad penam æternam. Quærimus enim, an tale decretum possit à Deo concipi ante demerita absolutè prævisæ?

Prima sententia tenet non solum possibile, sed etiam defacto existentem talem reprobationem ante absolutam prævisionem peccati. Ita communiter Thomistæ ex necessaria consequentia sui decreti prædeterminativi; tum etià Granadus, Avendan, ex doctrinæ scientiæ mediæ, ratione cujus prælucentiæ dicunt concipere Deum absq; ulla repugnantia tale decretum. Secunda sententia docet possibile esse, non autem dari de facto eam reprobationem. Ita Ruiz *disp. 16. cap. 6.* Arriaga, & alii. Tertia defendit non esse possibile ab æterno reprobationem positivam, neque ante, neque post absolutam peccati prævisionem, sed solum esse ab æterno quoddam decretum conditionatum infligendi penam æternam, si existat peccatum. Ita Borul *disp. 8. de Volunt. sect. 2.* & alii Recentiores cum ipso. Quarta, sententia docet non repugnare tale decretum reprobativum post absolutam peccati prævisionem: repugnare verò ante absolutam prævisionem peccati. Ita nostri cum Exim. Doctore.

Affero 1. Repugnat reprobatio absolutè positiva, si ve decretum efficax inflictivum penæ propter delicta ante absolutam prævisionem demeritorum. Probat. 1. Tale decretum est impossibile cum summa Dei benignitate; ergo non est possibile. Probat. ant. Sicut efficax intentio præmiandi, quæ antecedit absolutam prævisionem meritorum, includit liberalitatem remuneratoris ut talis: ita efficax intentio puniendi, quæ antecederet absolutam prævisionem peccati, includeret liberalitatem punitoris ut talis: atqui liberalitas punitoris ut talis est crudelitas, & inhumanitas, & severitas opposita summi Dei benignitati; ergo &c. Conf. ex Augustino *tom. 7. lib. 3. contra Julianum cap. 18.* dicente: *Bonus est Deus, justus est Deus, potest aliquos sine bonis meritis liberare; quia bonus est: non potest quemquam sine malis meritis damnare; quia justus est.* Conf. 2. ex Concilio Valentino citato n. 946. ubi ait: *Eidenter fatemur, prædestinationem electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem: In electione tamen salvandorum misericordiam DEI præcedere meritis bonum: in damnatione autem periturorum meritum malum præcedere justum DEI iudicium.*

Probat. 2. Deus ageret contra bonitatem suam, si effectivè puniret ante realem existentiam peccati: atque adeò tale decretum omnino repugnat contra divinam bonitatem. Antecedens patet, & consequentia tenet. Quia sicuti se habet anticipatio punitionis respectu

crudelitatis effectivæ; ita respectu crudelitatis affectivæ se habet anticipatio intentionis. Conf. ex D. Thoma 1. Part. quæst. 19. art. 6. ad 1. dicente: *Judex justus antecedenter vult omnem hominem vivere: sed consequenter vult homicidam suspendi: similiter DEUS antecedenter vult omnes homines salvari; sed consequenter vult quosdam damnari secundum exigentiam suæ justitiæ.* Ergo ex D. Thoma decretum efficax, quo Deus vult infligere poenam propter delicta, ita consequitur delicta, sicut volitio efficax, quæ judex vult homicidam suspendi, sequitur delictum homicidii. Atqui in judice sequitur ea voluntas absolutam prævisionem homicidii. Ergo similiter in DEO.

974. Probat. 3. Deus habet seriam voluntatem evitandi peccatum, quantum est ex se ex num. 767. Atqui decretum absolutum efficax intendens poenam æternam propter peccatum ante absolutam prævisionem peccati est impossibile cū seria detestatione peccati ex parte Dei: etenim qui seriò, & efficaciter vult aliquem finem, non potest seriò, & efficaciter velle carentiam medii omnino necessarij ad obtinendum finem: atque ad eò cū peccatum sit medium necessariò ponendum ad obtinendum finem poenæ, non posset Deus efficaciter intendens poenam propter peccatum ante absolutam prævisionem peccati seriò intendere evitacionem peccati; ergo &c. Conf. ex Ribade-neira: Deus sponte sua eliciens illud decretum essentialiter connexum cum peccato ponendo ante absolutam prævisionem peccati determinaret ad existentiam peccati, atque ista tribueretur Deo: etenim Deus nequit permittere evitacionem medij necessariò requisiti ad finem, quem finem non vult omittere; ergo &c.

975. Probat. 4. Ratione desumpta ex Exim. Doctore: Deus ratione suæ sanctitatis nequit spontaneè, & liberè concipere aliquod decretum, cum quo non possit componere sinceram voluntatem, & serium desiderium, quo optet, & velit evitacionem peccati, seu ipsius non existentiam: atqui cum absoluta prædefinitione efficaci poenæ ante absolutam prævisionem peccati nequit componere sinceram voluntatem, & serium desiderium, quo seriò velit evitacionem peccati: ergo nequit spontaneè, & pro mero suo libito concipere prædefinitionem efficacem absolutam poenæ ante absolutam prævisionem peccati. Probat. minor, quia cum absoluta intentione efficaci alicujus finis nequit componi serium decretum; & sincera voluntas non obtinendi eundem finem: atqui desiderium, & voluntas seria evitandi peccatum, necessariò ponendum ad obtinendum finem poenæ intentum ab illo decreto, esset voluntas seria ad obtinendum finem poenæ intentum: ergo nequit componi cum ea efficaci intentione poenæ serium desiderium evitandi peccatum.

976. Confirm. Implicat aliquem spontaneè, &

pro mero suo libito concipere volitiones serias circa duo contradictoria, qualia sunt existere finem, & finem non existere: sed ita se haberet Deus, si efficaciter intenderet poenam ante absolutam prævisionem peccati; ergo &c. Maj. & conf. tenent: min. verò probatur. Peccatū est medium ponendum, (& ne de voce disputemus,) est saltem essentialiter prærequisitum, ut existat finis poenæ efficaciter intentus: atqui voluntas seriò suadens, & desiderium, ne existat, quod est similiter necessarium, & ponendum, & sine cujus positione nequit obtineri finis, est voluntas seriò suadens, & optans, ne existat finis: ergo desiderium serium evitacionis peccati, erit quoque serium desiderium non existentia poenæ. Maj. & consequentia tenent: Min. verò probat. Quia seriò optare, & sincerè velle, ut existat essentialè impedimentum impossibile cum fine est sincerè & seriò optare, ne existat finis: atqui non positio peccati est essentialè impedimentum impossibile cum poena: ergo seriò optare non positionem peccati est seriò optare non existentiam poenæ. Mirum est, in quor, & quantas vias distraherit adversarios hoc argumentum ad quærendam solutionem. Cæterum de his agemus latè in Tractatu de Incarnatione. Est enim eadem difficultas de decreto intentivo Christi, ut Redemptoris reparativi ante absolutam prævisionem peccati; similiter de decreto prædefinitivo poenæ ante absolutam prævisionem culpæ. Hæc pro nunc insinuasse sufficiat: ad stabilendam siquidem conclusionem nostram, satis superque sunt duæ priores probationes ab hac quæstione independentes.

977. Asero 2. Non repugnat ab æterno decretum divinum absolutum destinans ad poenam æternam post absolutam peccati prævisionem. Prob. 1. Tale decretum cū supponat jam peccatū positum pro sua differentia temporis, neq; formaliter, neq; virtualiter est volitio peccati. Sic qui amat scientiam, quam Deus habet de peccato Adami posito, vel Antichristi ponendo, neq; formaliter, neq; virtualiter amat peccatum Adami, aut Antichristi: amaret autem, si ante absolutam prævisionem peccati veller, quod Deus haberet scientiam de peccato ponendo. Ergo licet Deus non possit habere ab æterno decretum efficax destinans ad poenam æternam ante absolutam prævisionem peccati, potest absq; ulla repugnantia elicere tale decretum post absolutam peccati prævisionem. Conf. quia contraria sententia deviat à communi Theologorum sensu, quin appareat ullum grave fundamentum dicendi oppositum. Conf. iterum, quia decretū, quod solum est conditionatè reprobativum, quale est istud admissum ab adversariis: *Qui moritur in peccato, damnabitur*, est commune prædestinatis, & reprobis. Ergo ex parte voluntatis Dei nihil daretur ab æterno circa reprobos, quod commune non est prædestinatis. Sed hoc dici non potest, cū SS. PP. aliter sentiant; ergo &c.

978. Prob. 2. evertendo fundamentum unicum ad-  
versariorum. Si repugnaret tale decretum, ideo  
esset, quia iniquè, & injustè conciperetur a  
Deo: sed hoc est falsum; ergo &c. Min. Prob.  
Licet tale decretum velit ab æterno pœnam  
propter culpam in tempore solum existentem,  
at solum vult pœnam infligendam in tempore  
post culpam, quàm certè per scientiam visionis  
intueretur pro sua differentia temporis existen-  
tem. Sed ita concipere ab æterno decretum  
non est iniquè, & injustè, sed justè, & sanctissi-  
mè Deum segerere; ergo &c. Confir. non  
potest Deus concipere ullum decretum in tem-  
pore, quin illud concipiat ab æterno, ut docent  
omnes Theologi; & constat à num. 804. atqui  
in tempore habet decretum efficax inflicivum  
pœnæ propter peccata: Juxta Illud Math. 25.  
*Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui  
paratus est Diabolo, & Angelis ejus.* Et ex  
illo Lucæ 13. *Discedite a me omnes operarii  
iniquitatis, ibi erit fletus, & stridor dentium.*  
ergo etiam habet ab æterno DEUS tale decre-  
tum.

## SECTIO II.

*Solvuntur opposita.*

979. Objic. 1. Contra 1. D. Thomas 1. part. q. 23.  
art. 5. ad 2. ait: *Quare hos elegit in glo-  
riam, & illos reprobavit? Non habet rationem,  
nisi divinam voluntatem.* Ergo reprobat Deus  
ante absolutam prævisionem peccati. Resp.  
conc. ant. & neg. consequentiam. Quia D.  
Thomas ibi non loquitur de reprobatione  
positiva, sed de negativa à nobis explicata, &  
cum Augustino admittit num. 970. Quòd au-  
tem D. Thomas loquatur de ea reprobatione,  
de qua loquitur Augustinus patet ex ipso textu,  
quem Angelicus Doct. ita immediatè profequi-  
tur. *Unde Augustinus dicit super Joannem,  
quare hunc trahat, & illum non trahat, noli velle  
judicare, si non vis errare.*

980. Objic. 2. ex Paulo ad Rom. 9. dicente:  
*Deus volens ostendere iram, & notam facere  
potentiam suam, sustinuit in multa patientia  
vasa iræ apta in interitum.* Ergo antequam præ-  
videat absolutè opera reproborum, habet decre-  
tum efficax, quo destinat illos in interitum, sive  
pœnam æternam. Confir. ex eodem Apосто-  
lo ibidem dicente: *Non ex operibus, sed ex vo-  
cante dictum est ei, quia major serviet mino-  
ri, sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem  
odio habui.* Atqui ex hoc textu colligitur  
electionem prædestinati ad gloriam ut coronam  
præcedere absolutam prævisionem meritum.  
Ergo pariter colligi debet odium reproborum  
exclusivum à gloria in pœnam peccati, sive de-  
cretum positivè reprobativum præcedere ab-  
solutam prævisionem peccatorum. Resp. conc.  
ant. & neg. consequentiam. Quia ex eo testi-  
monio non inferitur Deum decernere pœnam  
ante demerita absolutè prævisa, sed solum infer-  
ri, Deum post absolutè prævisa peccata non

statim punire, sed patienter, ac tolerantè dif-  
ferre punitionem ad manifestandum clariss  
suam justitiam.

Ad Confir. conc. maj. & neg. min. Quia ex  
eotestimonio non inferimus decretum præde-  
stinativum præcedere absolutam meritum  
prævisionem ex num. 966. sed ex aliis adductis  
à num. 445. ut cum Toletò, & aliis expositori-  
bus ibi diximus. Quare Malach. 1. dicitur:  
*dilexi Jacob, Esau autem odio habui, & posui  
montes ejus in solitudinem, & hereditatem ejus in  
dracones deserti.* Cæterum quamvis mysticè  
repræsentaretur ibi typus prædestinati, & re-  
probi, non aliter esset, quàm utriusque lineæ ob-  
servata proportione, sanctitati divinæ essen-  
tialiter consentanea; divinæ autem sanctitati  
non opponitur eligere positivè ad gloriam ante  
absolutam prævisionem meritum ex num.  
942. neque reprobare negativè ex num. 470.  
opponitur autem reprobatio positiva ex num.  
972. Unde quamvis ex eo testimonio admitta-  
tur electio efficax ad gloriam ante absolutam  
prævisionem meritum, nequit admitti desti-  
natio efficax ad pœnam ante absolutam demer-  
itorum prævisionem. Ratione autem re-  
probationis negativæ dictum est illud, *odio  
habui.*

Objic. 3. Deus permittit unum peccatum in  
pœnam alterius: sed hoc est permittere pecca-  
tum ex intentione efficacis pœnæ alterius; ergo  
Deus potest efficaciter intendere peccatum ante  
absolutam prævisionem peccati. Resp. dist.  
maj. Permittere unum peccatum per decretum  
intentivum peccati neg. per subtractionem ma-  
joris luminis, & virtutis indebitæ, quam  
Deus dare non tenetur conc. maj. Et dist. min.  
neg. consequentiam. Deus enim non aliter  
permittit unum peccatum in pœnam alterius,  
nisi quatenus ex occasione culpæ præteritæ sub-  
trahit, & negat beneficium indebitum gratiæ  
efficacis, quod præstare non tenetur, ut hac ne-  
gatione puniat peccatum præteritum. At  
numquam Deus intendens efficaciter aliquam  
pœnam prærequirerem aliquod peccatum non  
positum, movetur ex hac intentione ad permit-  
tendum peccatum. Quinimò; ea permissio  
semper conjuncta est cum desiderio affectivo  
Dei, ne peccatum ponatur. Ex qua præinten-  
tione confert vires sufficientes, ut voluntas pro-  
libito possit evitare peccatum, quod ex sola  
culpa sua non evitar. Unde nunquam refun-  
ditur in voluntatem affectivam Dei positio pec-  
cati.

Objic. 4. Deus potest negare pro mero suo  
beneplacito sine alia causa donum, quod non  
debet: atque aded etiam ante omnia peccata  
poterat decernere exclusionem à gloria, ut à be-  
neficio indebito; ergo etiam poterat decernere  
efficaciter pœnam æternam ante demerita abso-  
lutè prævisa, Resp. conc. ant. & neg. conse-  
quentiam. Quia excludere à gloria præcisè ut  
beneficio indebito non requirit peccatum ut  
medium necessariò ponendum, sicut illud requi-  
rit pœna;

in pœna, quæ est punitio. Unde neque in Deo sapit crudelitatem ea exclusio beneficii indebiti: quam crudelitatem saperet decretum efficacis intentivum pœnæ ante absolutam prævisionem peccati, ut constat à num.

984. **Objic. 5.** Non minus relucet Bonitas in punitioe peccati, quam in remuneratione meritorum: sed hæc sufficiunt ad concipiendam antecedentem electionem; ergo etiam illa ad exclusionem antecedentem in pœnam. **Confir.** 1. Deus potest amare efficaciter pœnam ante absolutam prævisionem peccati; ergo etiam potest intendere efficaciter pœnam. **Confir.** 2. independentem à peccato potest Deus ratione supremi domini æternis cruciatibus addicere innocentes; ergo & amare efficaciter punitioem. **Resp. dist. maj.** non minus, & eodem modo neg. & diverso modo conc. maj. & dist. min. neg. consequentiam. diversitas enim est satis grandis. Namquod Deus intendat efficaciter aut merita, aut gloriam, neque crudelitatem sapit, neque pugnat contra divinam sanctitatem. atque adeo affectus remunerationis efficacis non solum relucere potest in Deo post, sed etiam ante absolutam prævisionem peccati: at verò affectus efficacis puniendi. Utpote secum præferens liberalitatem Punitoris, si esset ante prævisum absolutum peccatū, saperet crudelitatem; & aliunde cum esset virtualis volitio peccati utpote medii essentialiter ponendi à sine præintento, pugnaret cum divina sanctitate. Unde nequit relucere bonitas affectivè efficacis punitiois ante absolutam peccati prævisionem.

Ad 1. **Confir. neg. ant.** ex dictis à num. 974. 985. Quin imò permisso antecedenti juxta illos Auctores, qui secundum Doctrinam scientiæ mediæ docent ex ea voluntate non inferri amorem ullum virtualem peccati, consequentia non tenet. Ratio est, quia pœnitentiæ est pœna sanativa peccati, live beneficium peccatoris pertinens ad benefactoris liberalitatem. Reprobatio autem positiva in pœnam peccati est pœna purè punitiva; ac proinde illius amor ita anticipatus vel constitueret, vel argueret facilitatem punitoris. Ad 2. **Confir.** omisso ant. neg. consequentiam. Nam aliud est torquere, live præcisè dolorem infligere, & aliud est punire, quod insuper addit juridicum testimonium delicti. Unde quamvis omittatur Deum posse hominem non prævisum peccatorem addicere æternis cruciatibus titulo supremi domini (quod mihi impossibile videtur, & cum Dei clementia pugnans) torquere autem in pœnam, live punire innocentem non est minus impossibile, quam fieri judicem injustum, & auctorem falsi criminis, quod est unicum fundamentum Augustini pro nostra sententia citati num. 972.

986. **Objic. 6.** contra 2. Voluntas efficacis infligendi pœnam propter peccatum, & decretum

indifferens collativum auxilii ad evitacionem peccati sunt volitiones oppositæ. Ergo non possunt repetiri in Deo. **Confir.** 1. Voluntas antecedens salvandi omnes homines componeretur cum voluntate antecedente efficaciter negante multis gratiam efficacem ad perseverantiam finalem. Ergo essent voluntates oppositæ. **Confir.** 2. Si Deus habet ab æterno absolutum decretum pœnæ erga reprobos, consequens est, ut vel non habeat unam voluntatem generalem salvandi omnes homines, vel si habet hanc volitionem, habeat volitiones oppositas; nam volitio generalis salvandi omnes, ita confert auxilium sufficiens ad perseverantiam, ut conferret illud, quamvis esset efficacis: decretum autem absolutum reprobandi, ita confert, ut non conferret, si esset efficacis; ergo admittitur oppositio dandi, & non dandi, si esset efficacis, auxilium.

**Resp. neg. ant.** Quia voluntas efficaciter reprobativa est subsequens voluntatem antecedentem salvandi omnes homines; voluntas autem efficacis consequens nequitiam opponitur cum indifferente antecedenti, ut cum D. Thoma diximus à num. 973. Ad 1. **Confir. neg. ant.** nam illis etiam, quibus denegat Deus efficacem gratiam, dat sufficientem; & cum ipsa dat oblatam perseverantiam finalem, neque illam excludit Deus, sed homo reddens inefficax auxilium sufficiens acceptum. Ad 2. **Confir. neg. ant.** Illæ enim volitiones nequam sunt oppositæ: cum una sit antecedens, & altera consequens, habeantque fines diversos inter se non oppositos. Ratio est, quia volitio generalis salvandi omnes homines intendit præcisè hypothefim sufficientiæ auxilii: atque adeo præcisè omnino ab efficacis, vel inefficacis: neque ex vi illius determinatur collatio auxilii facienda, vel non facienda sub hypothefi efficacis, aut inefficacis. Hanc indifferentiam determinat ad hypothefim efficacis decretum efficacis dandi perseverantiam finalem superveniens alteri decreto communi erga omnes. In hac autem determinatione indifferentiæ præcedentis; nulla profus est decretorum oppositio; quemadmodum sine oppositione decretum de auxilio sufficienti A dando Petro, superveniens decreto salvandi omnes homines, determinat hujus indifferentiam præcisè ab auxilio A, & B.

**Objic. 1.** Injustum est ferre absolutam sententiam damnationis, antequam existat Peccatum; sed illud decretum absolutum est absoluta sententia damnationis, antequam in tempore existat peccatum: ergo est injustum, & Deo repugnans. **Confir.** 1. Deus etiam post absolutam prævisionem peccati non potest anticipare pœnam ante existentiam peccati in suo tempore exercitam: ergo neque poterit justè anticipare absolutam sententiam. **Confir.** 2. Injustum est aliquem damnare, antequam sit pœnâ dignus; sed antequam existat peccatum

In suo tempore, homo non est poenā dignus, sed erit: ergo injustum est illum damnare absolute decreto ab aeterno existente. Resp. dist. maj. Absolutam sententiam executioni mandandam, antequam existat peccatum conc. post exercitiam peccati existentiam, jam absolute praevisionem pro sua differentia temporis nego maj. & dist. min. neg. consequentiam. Ratio est: quia ex eo, quod peccatum ita sit absolute praevisionem ab aeterno pro differentia temporis extirurum, Deus in tempore efficaciter destinavit illum hominem ad aeternam poenam per tale peccatum finale; atque adeo cum non possit habere in tempore decretum, quod non habuerit ab aeterno, ut constat ex num. 803. ea de causa absque ulla repugnantia elicit ab aeterno tale decretum. Exinde nulla tener paritas ab hominibus ad Deum, cum homines non habeant infallibilem scientiam de peccato ante absolutam existentiam peccati, & aliunde concipere possint tempore sequenti decretum, quod modo non concipiunt.

989. Ad 1. Confir. conc. antec. & nego conf. Nam anticipatio poenae esset iudicium, & testimonium juridicum peccati commissi, antequam esset commissum; quae quidem repugnantia non adest, quando infligitur poena post peccatum commissum. Quin imò anticipatio poenae absque dubio afferret homini magnum damnum, & nocumentum; atque adeo injuste fieret ante existentiam delicti; at verò sententia absoluta damnationis, non aliter exequenda, nisi post existentiam delicti, nequaquam afferret damnum illud, & nocumentum. Quare non esset injusta, cum procederet ex certa notitia peccati futuri: & ex alio capite nequeat Deus in tempore concipere suum decretum. Ad 2. Confir. dist. maj. Injustum est aliquem damnare, antequam sit dignus, & antequam certo praevideatur absolute dignus, conc. Post certam praevisionem, quod erit absolute dignus; subdistinguo; per sententiam exequendam antequam sit dignus conc. ex excessu min. neg. consequentiam, ut constat ex dictis. Sic omnes Theologi, uno dempto adversario, docent Petrum in tempore peccantem, dignum esse, ut ab aeterno odio absolute Deus illum prosequatur, non quidem pro tempore gratiae ante peccatum, sed pro instanti peccati, ut constat à num. 972.

### SECTIO III.

*An Aliqui Parvuli absque ulla Providentia sint Reprobi?*

990. Suppono 1. de fide esse, Deum habere voluntatem generalem, qua vult omnium salutem. Sic 1. ad Timotheum 2. de Deo dicitur: *Omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Quomodo autem intelligenda sit haec divina voluntas, cum plures parvuli absque rationis usu, & inter Barbaros degen-

tes, ubi non est copia baptizantis, est tota praesens difficultas; quamnam enim Providentiam habeat Deus erga illos? circa numerum autem eorum, qui praedestinantur, ac reprobantur, non est modica controversia apud Theologos; apud quos, ut certum supponitur, ex collectione omnium hominum plures esse reprobos, quam praedestinos; hoc enim significant clara scripturae testimonia, praesertim illud Matthaei 1. *Intrate per angustam portam: quia lata porta, & spatiosa via est, quae ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam. Quam angusta porta, & arcta via est, quae ducit ad vitam: pauci sunt, qui inveniunt eam.* Et ratione suaderetur, quia tam ante, quam post promulgationem Evangelij plures moriuntur in infidelitate, quam inter fideles: ergo ex collectione omnium hominum plures sunt reprobi, quam praedestinati.

Suppono 2. ex omnibus existentibus intra Ecclesiam tam adultis, quam parvulis, plures esse praedestinos, quam reprobos: Ratio est, quia ex defunctorum libris facto fidelissimo computo, ferè tot inveniuntur, qui moriuntur post baptismum ante usum rationis, quam post usum rationis. Quin imò inter haereticos multi ex parvulis moriuntur baptizati: ergo major erit numerus salvandorum ex his, qui sunt intra Ecclesiam. Ex adultis verò fidelibus plures esse reprobos, quam praedestinos, probabilius apparet, ut late defendit Ruitius pluribus scripturae, & Patrum testimoniis. Praesertim ex illo Matthaei 20. *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.* Quod intelligitur ad litteram de adultis fidelibus vocatis ad Ecclesiam: Quam expositionem habent apud eundem Ruit Chrysostomus Epistola 4. ad Populum Antiochia; Hieronymus, & alij Patres; ratio etiam suffragatur, quia plures sanè fideles adulti, qui vitam degunt in statu peccati mortalis & nimis ad saecularia divertuntur, aeternae salutis, vel oblitii, vel remissae memores, qui licet confiteantur, statim relabuntur, ut quotidiana experientia testatur: atqui commune est apud Patres, quod, qui malè vivunt, malè moriuntur; & certe periculosa est confessio in ultimo vitae agone facta; ubi homo doloribus, & timoribus agitur, vix est sui compos; Plures enim Sanctissimi Viri testati sunt se in eo articulo positos vix advertisse ad dolorem eliciendum, viaticum sumendum: ergo &c. Addit Ruitius ex fidelibus adultis plures feminas salvas, quam viros. Ratio est, quia feminæ rarius peccant, quam viri, earumque peccata non sunt adeo atrocias, magisque sunt ex fragilitate, quam ex malicia commissa; cum quia sunt timidiores, & facile ad lacrymas, & poenitentiam convertuntur; qua de causa vocat Augustinus & cum ipso Ecclesia, *devotum feminum seculum;* vivunt enim domi reconditæ, & multa videntur pericula peccandi; non intersunt emptio venditioni, bello, rixis, aut negotiis, non duello, non naufragiis, non latrocinis; plura- que

que pia opera communiter exercent, quam vi-  
vi; ergo &c. His præmissis

992. Quæritur in præfenti: utrum circa omnes  
tam prædestinatos, quam reprobos, tam adul-  
ros, quam parvulos exerceat DEUS pro-  
videntiam, qua salutem ipsorum procuret,  
eamque providenter intendat? Prima sen-  
tentia docet voluntatem divisam, qua Deus  
vult omnes homines salvos fieri, non esse  
voluntatem beneplaciti, sed puram volun-  
tatem signi, atque adeo non esse in DEO  
formaliter, sed solum improprie, seu meta-  
phoricè. Ita Basilii Legionensis, Estius,  
Alensis, Bagnez, Navarrus, & alii. Se-  
cunda sententia tenet, talem esse volunta-  
tem formaliter in DEO: ita plures Tho-  
mistæ, quò sequitur Gonet. disp. 4. artic. 3.  
§. 1. & omnes nostri Doctores, ex quibus Ar-  
riaga disp. 25. sect. 3. num. 37. contrariam  
sententiam vocat improbabilem. Cæterum  
in modo defendendi est magnum dissidium in-  
ter Auctores hujus sententiæ: aliqui enim do-  
cent per talem voluntatem formalem anteceden-  
ter Deum non præparare omnibus auxilia  
sufficientia ad salutem: ea quippe ajunt so-  
lum præparavit in statu innocentiae, non au-  
tem in statu naturæ lapsæ, in qua plures pri-  
vantur hujusmodi auxiliis in pœnam origina-  
lis. Ita Janfenius de Gratia Salvatoris lib. 9. &  
10. ubi negat universaliter omnibus in statu na-  
turæ lapsæ, sive fidelibus, sive infidelibus  
gratiam sufficientem. Alii verò volunt fide-  
les obstinatos, & induratos in peccatis care-  
re auxiliis sufficientibus, & destitutos esse om-  
ni gratia. Ita Abulensis, Rossensis, Drie-  
dus, & alii, quos citat Lanardi quæst. 4.  
artic. 4. num. 3.

993. Alii verò docent DEUM per volunta-  
tem antecedentem præparare omnibus auxilia  
sufficientia ad salutem etiam in statu naturæ  
lapsæ. Ita ferè omnes Theologi, licet plu-  
res non se satis explicent: nam multi Tho-  
mistæ cum Gonetò disp. 4. artic. 5. aliique se-  
quentes doctrinam Ægydii cum Lanardi cita-  
to solum dicunt DEUM præparare auxilia  
sufficientia, neque explicant, an DEUS ea  
pro omnibus actualiter conferat: imò ab hoc  
ex industria præscindunt, an sicut medicus,  
qui aperit apothecam omne remediorum ge-  
nus pro infirmitatibus continentem, dicitur  
velle, quantum est ex se, sanare omnes, li-  
cèt talia remedia omnibus non applicet, qui-  
nimò fortè aliqua ex illis per accidens alicui,  
vel aliquibus non sint applicabilia; ita etiam  
DEUS ex voluntate illa generali, & anteceden-  
te, qua vult omnes homines salvos fieri,  
pro omnibus præparet aliqua remedia,  
seu auxilia ad salutem sufficientia, quamvis  
per talem voluntatem illa omnibus non con-  
ferat, nec applicet; imò interdum aliqua ex  
illis non sint proximè applicabilia, ut con-  
tingit in parvulis in utero materno morien-

tibus, quibus baprismus, quamvis pro illis præ-  
paratus sit à Christo, & institutus, ac non est  
proximè applicabilis, quia in tali statu non  
possunt subijci operationibus ministrorum Ec-  
clesiæ, ut docent Theologi cum Magistro in  
secundum distinctione 3. & Thomistæ cum  
D. Thoma quæst. 68. artic. 11.

Exinde infert Lanardi Auctores Catholici  
994. supra citatos pro prima sententia non ne-  
gare auxilia præparata à CHRISTO pro  
omnibus, sed solum collata, ac proinde so-  
lum manere controversiam contra Janfenium,  
ea auxilia in statu naturæ lapsæ negantis  
præparata à DEO pro omnibus, & in e-  
undem sensum controversiam agitat Gonetus  
suprà citatus: cæterum hic sensus con-  
troversie potius videtur esse ad negandum,  
quam ad asserendum DEUM sincerè vel-  
le salutem omnibus; etenim si salus obtri-  
neri non potest, quin conferantur auxilia,  
quibus homines possint obtinere salutem,  
quomodo DEUS potest sincerè velle salu-  
tem, si nolit actu ea auxilia conferre: ne-  
que exemplum oppositum venit ad rem.  
Nam licèt medicus haberet præparata plu-  
ra medicamenta, quibus, si conferrentur,  
possent homines obtinere sanitatem, si ta-  
men ille noller pro omnibus conferre, ne-  
quaquam posset omnium salutem sincerè  
desiderare, si enim matri gravidæ noller  
conferre medicamenta, ne filius in ute-  
ro moreretur, quomodo sincerè haberet pa-  
rata medicamenta pro filio? Quinimò re-  
spectu auxiliorum prior est difficultas; nam  
homines possent pro libito suo illa medica-  
menta emere, & obtinere: at nos nullatenus  
possumus pro libito nostro sufficientiam  
consequi, cum sufficientia nostra à DEO  
sit, ut ait Apostolus, constituta per ipsa auxi-  
lia sufficientia. Quapropter

995. Assero 1. DEUS voluntate anteceden-  
te non quidem puri signi, sed beneplaciti  
vult omnes homines salvos fieri. Probat  
primò ex Paulo citato numer. 990. Illa  
equidem generalis DEI voluntas, quam  
Apostolus prædicat, se extendit ad eos,  
pro quibus mortuus est: sic enim ibi habet  
1. ad Timotheum 2. *Omnes homines vult  
salvos fieri, & ad agnitionem veritatis ve-  
nire: Unus enim DEUS; unus & me-  
diator DEI, & hominum homo Christus  
JESUS, qui dedit redemptionem semetipsum  
pro omnibus.* Quod etiam habetur 1. Joh. 2.  
*Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non  
pro nostris tantum, sed pro totius mundi:*  
sed illa voluntas, qua mortuus est, non solum  
fuit signi, sed beneplaciti, non solum fuit pro  
generibus singulorum, quoad sufficientiam, ut in-  
tendebat Janfenius, sed pro singulis generum,  
ut clarè loquuntur Scripturæ; ergo &c. Ubi  
notandum est, aliud esse dare auxilia omni-

bus, aliud pro omnibus; DEUS enim, licet non det auxilia infantibus rationis usu carentibus; ea tamen confert aut parentibus, aut illis, sub quorum potestate sunt, ut illis bene utendo infantes possint sive in via, sive in patria ad agnitionem veritatis venire ex n. 67.

996. Probat. 2. Conclusio, & confirmatur eadem ratio: sensus scripturæ accipiendus est à Theologis eo modo, quo ab Ecclesia, à Patribus, & à Pontificibus accipitur: atqui eaq; scripturæ testimonia ita accipiuntur, ut DEUS habeat voluntatem beneplaciti, qua vult omnes homines salvos fieri; ergo &c.

Probat. minor ex Augustino in supplemento contra Julianum Lib. 1. cap. 64. dicente: *conclusio hæc Apostoli invicta est: mortuus est porro CHRISTUS, ut evacuaret eum, qui potestatem habebat mortis, id est, Diabolum.* Et Lib. 1. cap. 8. de parvulis ita dicente: *Nunquid homines non sunt, ut non pertineant ad id, quod dictum est omnes homines? Quod etiam habet Sanctus Prosper D. Augustini discipulus libr. 2. de Vocatione cap. 23. dicens: Non irreligiosè arbitror credi, quòd isti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ semper diversis est impensa nationibus, qua utique si bene uterentur eorum parentes, etiam ipsi per eosdem juvarentur.* Voluntas enim, qua gratia confertur adultis, non solum pro ipsis, sed etiam pro parvulis non est mera voluntas signi, sed etiam beneplaciti, non est solum extensa ad genera singulorum, sed etiam ad singulos homines: atqui talis est voluntas illa generalis DEI, quæ in Scriptura proponitur, & à SS. PP. explicatur, ut ex testimoniis adductis constat; ergo &c.

997. Confirm. primò ex Ambrosio sermone in Psal. 118. *Mysticus sol ille iustitiæ omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus, & omnibus resurrexit;* & Sanctus Leo Papa sermone 110. de Passione: *Pro omnibus impiis mortuo Domino, & Judas in eo potuisset consequi remedium, si non festinasset ad laqueum:* Atqui si CHRISTUS solum conferret auxilia pro generibus singulorum, & non pro singulis generum; malè inferretur, Judam etiam potuisse salvari ex eo præcisè, quòd CHRISTUS mortuus fuerit pro omnibus; ergo &c.

Confirmat. 2. Licet Augustinus, Gregorius, Thomas, alique Patres aliquando doceant CHRISTUM mortuum esse pro generibus singulorum, non pro singulis generum, ut eos quoad efficaciam, salvaret, docent tamen mortuum ita esse pro omnibus, ut eis applicaret sua merita quoad sufficientiam; ac proinde mortem CHRIS-

TI ad singulos omnium generum se extendisse, ut ex testimoniis adductis constat. Sic Augustinus de Peccatorum merito, & remissione cap. 18. de Parvulis ait: *Sine ista ergo regeneratione salvos in æternum posse parvulos fieri, quis audeat affirmare, tanquam non pro iis mortuus sit CHRISTUS.* Etenim CHRISTUS pro impiis mortuus est. Et in Psalmum 86. Ita de Juda ait: *Nec agnovit pretium, quo ipse à Domino redemptus erat; ergo &c.*

Confirmatur 3. Non minùs se extendit quoad sufficientiam mors CHRISTI ad omnes, quàm creatio quoad efficaciam: sed nullus est creatus, ad quem efficacia omnipotentia non sit extensa; ergo &c. Minor, & conseq. tenent, & major patet, quia sicut vi creationis creaturæ producuntur, ita vi mortis CHRISTI creaturæ quoad sufficientiam regenerantur, ut habetur 1. Petr. 1. *Qui secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vitam per Resurrectionem JESU CHRISTI ex mortuis; ergo &c.*

Probat. 3. Deus sincerissimè vult omnium salutem, & quòd oremus pro omnibus: sed non ita velle posset, si non mortuus esset, & quoad sufficientiam conferret auxilia pro omnibus; ergo &c. Consequentia tenet, & major patet ex Augustino de Spiritu, & littera cap. 33. & ad articulos falsò impositos, inter quos octavus erat: quòd Deus nolit omnes salvari; cui ita responderet, *sincerissimè credendum est, atque profitendum Deum velle, ut homines salvi fiant: siquidem Apostolus, cujus ista sententia est, sollicitè præcipit, ut Deo pro omnibus hominibus supplicetur.* Minor verò probatur. Nullus potest velle sincerè finem, quando non vult conferre media necessaria à solo ipso pendencia ad consecutionem finis: sed auxilia sunt media necessaria à solo DEO pendencia ad consecutionem æternæ salutis; ergo non posset Deus sincerè velle omnium hominum salutem, si nollet auxilia sufficientia conferre pro omnibus. Confirmatur ex Prospero de Vocatione gentium cap. 25. dicente: *sive igitur novissima contemplerur secula, seu prima, seu media, rationabiliter, & pie creditur, omnes homines salvos fieri Deum velle, semperque voluisse: & hoc non aliunde monstratur, quam de his beneficiis, ad qua providentia Dei, quam universis generationibus communiter, atq; indifferenter impendit &c.* tum etiam ex Augustino de Peccatorum merito, & remissione, cap. 17. dicente: *Gratia Dei est, que hominum adjuvat voluntates, qua ut non adjuventur in ipsis itidem causa est, non in Deo; ergo &c.*

Assero 2. Si Deus non dispensaret pro omnibus auxilia sufficientia ad salutem, adeòq; pro parvulis, non veller serio omnium salutem.

Conclusio est contra doctrinam, quam inter dicendum spargit Gonerus disput. 4. de Voluntate art. 5. §. 2. & 3. Probatur primò. DEUS non vult serió salutem illorum, qui ita privantur gloriâ, ut solum per DEUM ster, ne illi gloriâ consequantur: atqui si non conferret auxilia sufficientia pro omnibus, aliqui ita salutem non obtinerent, ut per solum Deum staret, ne salutem consequerentur; ergo &c. Probat. min. conferre, vel non conferre auxilia solum se habet ex parte DEI; gratia enim auxilians non est hominis volentis, vel currentis, sed miserentis est Dei; ergo illi, quibus non darentur ea auxilia, non possent obtinere salutem: atqui quâsido ex parte Dei stat, ne aliqui possint obtinere salutem, intelligibile est, quòd DEUS serió optet eorum salutem; ergo &c. Confirm. 1. Eatenus Deus vult serió salutem omnium, quatenus serió vult potentiam ad salutem omnium; si enim DEUS veller, quòd homo esset ligatus, & non haberet potentiam ad deambulationem, non posset serió desiderare deambulationem; ergo &c. Confirmat. 2. DEUS adhuc in statu naturæ lapsæ desiderat serió omnium salutem: cum in hunc finem mortuus sit, ut constet ex testimoniis scripturæ, & Patrum adductis: ergo adhuc in statu naturæ lapsæ confert auxilia sufficientia pro omnibus.

1000. Probat. 2. Deus modò in statu naturæ lapsæ ita se exercet erga creaturas ex desiderio salutis earum, & efficacia mortis Christi, ut non solum sit paratus, sed etiam præster actualem influxum, ut possint salutem obrinere, ergo si DEUS nullum omnino præstaret influxum, non posset serió omnium salutem desiderare: antecedens, quod olim à pluribus negabatur, modò jam est omnino certum post Alexandrum VIII. inter triginta unam propositiones damnantem quintam, quæ sic habebat: *Pagani, Judei, Heretici, alique huius generis nullum accipiunt à JESU Christo influxum: adeoque hinc recte inferes in illis esse voluntatem nudam, & inermem sine omni gratia sufficienti;* ergo &c. Confirmat. 1. ex Concilio Senonensi 14. (aliàs Parisiensi) sub Clemente VII. Can. 15. dicente: *Neque tamen tanta gratie necessitas libero præjudicat arbitrio, cum illa semper sit in promptu, nec momentum quidem præereat, in quo DEUS non stet ad ostium, & pulset, cui si quis aperuerit januam, intrabit ad illum, & cenabit cum illo: nec denique tale sit huiusmodi trahentis Dei auxilium, cui resisti non possit;* ergo DEUS semper paratus est, & habet in promptu auxilia sufficientia, quæ confert creaturæ volenti operari, quantum potest, ita ut volenti facere quantum est ex se DEUS non deneger gratiam, ut possit salutariter operari, ac proinde confert sæpè sæpius actu auxilia sufficientia. Confirm. 2. ex Augustino citato num. 996. & Prospero R. P. *German. Theolog. Tom. 4.*

eodem num. & num. & num. 998. id clarè contestantibus; ergo &c.

1001. Respondebis Deum velle serió salutem aliorum, quin auxilia sufficientia pro eis unquam conferat, quatenus concursu causarum secundarum, quibus DEUS non vult violentiam inferre, impeditur, ne ulla auxilia pro eis actu conferantur, quæ ipse DEUS parata habebat: contra tamen primò, quia responsio manifestè militat contra Alexandrum VIII. Senonensè, Augustinum, & Prosperum num. superiori adductos, citatosque: etenim Alexander VIII. non solum definit, quòd Deus habeat parata auxilia, sed etiam quòd influat in Paganos, Judæos, Hæreticos, & alios; ita ut non habeant voluntates inermes, sed instructas influxu per Christum dato: Senonensè non solum ait, quòd DEUS omnibus momentis sit paratus, sed etiam addit, quod pulset: pulsare autem est auxilia conferre: Augustinus docet voluntatem divinam ad parvulos extendi, cum homines sint, atque adeò pro ipsis Deus etiam influat, ita ut si bene uterentur eorum parentes, ut exponit Prosperus Augustini discipulus, per eos parvuli juvarentur. Quæ omnia valde conformia sunt Tridentino causam adventus Christi explicanti fess. 6. cap. 2. per hæc verba: *ut & Judæos, qui sub lege erant, redimeret, & gentes, quæ non sectabantur justitiam, justitiam apprehenderent, atque omnes adoptionem filiorum reciperent;* quo fieret, ut omnes vel in via, vel in patria ad agnitionem veritatis venirent, id est, nonnulli, scilicet adulti, in via, & parvuli saltem in patria, quæ quidem est intentio illius generalis voluntatis divinæ antecedentis; ergo &c.

1002. Confirm. 2. Ille concursus causarum secundarum, quæ impediunt, ne ea auxilia, quæ aliàs parata erant pro omnibus, omnibus conferantur, vel est inductus à solo DEO, vel pendens ab aliqua causa secunda, quæ potuit illum evitare: si primum; ergo Deus ex suametipsa determinatione poluit aliquid impossibile cum salute; ac proinde non vult omnes homines salvos fieri contra scripturam citatam num. 995. Neque unquam influat in eos homines, aut Judæos, aut Paganos, aut id genus alios contra Alexandrum VIII. citatum num. superiori; neque unquam pulsat ad eorum corda, neque dat juvamen contra Senonensè, & Prosperum ibidem citatos. Si secundum; ergo auxilia sufficientia, quibus potuit evitari à causa secunda ille concursus impediens collationem auxiliorum aliis, aut remedium Baptismi, vel Martyrii, jam fuerunt auxilia sufficientia collata pro illis, atque adeò cum hoc salutem requiratur, ut DEUS eorum salutem serió velit, requiretur etiam, quòd dispenset auxilia pro omnibus, ut serió velit omnium salutem.

1003. Probat. 3. Nequit Deus ex suametipsa determinatione desiderans serio omnium salutem, ponere aliquid impossibile cum sufficientia, qua singuli possint obtinere salutem; sed nolitio conferendi auxilia sufficientia pro omnibus, esset aliquid metaphysicè impossibile cum sufficientia, quòd singuli possent obtinere salutem; ergo &c. Confirm. ad hominem: Deus per vos paratus est ad actu conferenda auxilia pro omnibus, quando inferenda non esset violentia causis naturalibus: atqui per vos Deus nunquam potest inferre violentiam causis naturalibus, utpotè magis exigentibus Deo obedire, quàm propriæ inclinationi: ita ut si ignis priveretur calore, vel aqua frigiditate, ratione Dei volentis, nequaquam violentiam pariantur, & sic de reliquis; ergo quotiescunque potest Deus se ita gerere, debet conferre auxilia pro omnibus: sed Deus semper potest ita se gerere, volendo pro libito suo ordinate istam causam secundam ad hunc effectum præ illo; ergo &c.

1004. Probat. 4. Ex D. Thoma comparante voluntatem antecedentem, quâ DEUS vult omnes homines salvos fieri, voluntati mercatoris, qui imminente tempestate, vult salvas merces; atqui mercator non potest dici habere seriam, & veram voluntatem salvandi merces, si ex suametipsa determinatione ponat aliquid impossibile cum potentia ad salvandas merces: ergo juxta divum Thomam nequit DEUS habere veram, & sinceram voluntatem salvandi aliquos, si ex suametipsa determinatione impediat potentiam, ut ii salventur: atqui si DEUS ex suametipsa determinatione poneret aliquid impossibile cum auxiliis sufficientibus ab ipso solo pendentibus, poneret aliquid impossibile cum potentia ad salutem eorum; ergo &c. Confirmat. Ut Deus velit serio hominum salutem, non solum debet velle naturam rationalem ut sic, sed etiam salutem cujuscunque individui; natura enim ut sic non salvatur, sed natura particularis individui; atqui si non velit conferre auxilia pro omnibus, non vellet salutem uniuscujusque individui; ergo &c.

1005. Responder Gonertus, quòd, quando divus Thomas docet voluntatem antecedentem esse illam, qua DEUS respicit naturam humanam secundum rationem generalem naturæ, non intendit respicere illam ut sic, & ut præcisam ab omnibus singularibus, prout olim concipiebatur à Platone; quia natura humana sub tali statu, & præcisione nullum actum divinæ voluntatis terminare potest; unde voluntas divina antecedens dicitur respicere naturam humanam secundum se, & secundum rationem generalem naturæ, quatenus respicit omnes homines in individuo, & in particulari, ut conveniunt, & communicant in eadem natura ad salutem condita, & ad finem supernaturalem eleva-

ta; ideòque cum talis elevatio sine auxiliis sufficientibus subsistere nequeat per voluntatem antecedentem, Deus præparat omnibus hominibus auxilia ad salutem sufficientia.

Contra primò. Natura secundum rationem generalem naturæ non est unica, & indivisibilis res, quæ identificatur cum singulis individuis; aliter admitteret adversarius in creatis plurima Augustissimæ Trinitatis mysteria, quod absurdissimum foret; natura enim ut sic objectivè sumpta stat in aggregato naturarum, in quo quævis natura particularis ibi contenta prædicari potest de suo particulari individuo: ergo si DEUS non confert auxilia pro omnibus naturis in eo aggregato contentis, non confert auxilia pro omnibus hominibus. Contra secundo. Deus ut adversarii etiam farentur, utpotè impotens cognoscere confusè, nequit formare universale, atq; adeò nequit cognoscere naturam, ut universaliter unam per præcisionem; ergo quando Deus cognoscit naturam secundum rationem generalem naturæ, cognoscit aggregatum omnium naturarum; ac proinde si non confert auxilia pro omnibus, neque pro natura secundum rationem generalem naturæ. Contra tertio. Ut Deus conferat auxilia pro aliqua natura, debet illa conferri modo, quo natura possit operari; atqui natura secundum rationem generalem naturæ nequit operari, solumque potest operari ut particularis natura suis viribus instructa: etenim, quòd natura Petri sit instructa auxiliis sufficientibus, satis non est, ut Petrus peccet, aut mereatur; atque adeò ut operetur secundum rationem naturæ; ergo &c. Contra quarto. Quia ista adversarii responsio quantum attinet ad generalem naturam potius apparet Platonica, quàm Catholica, ut expendenti constabit; ergo &c. Ex dictis

Fit primò contra Jansenium, DEUM in statu naturæ lapsæ non solum velle omnes homines salvos fieri; sumpro ly omnes pro generibus singulorum, sed etiam pro singulis generum. Ratio est, quia quantum est ex divina providentia, singuli generum salvari possunt, quamvis actu nõ salventur; ergo quamvis non conferat Deus auxilia efficacia pro singulis generum, confert tamen auxilia sufficientia; quando enim aliqui SS. Patres dicunt de omni genere hominum intelligi divinam voluntatem providentem, non loquuntur de sola providentia sufficientiæ: sic loquitur Augustinus in Enchyridio cap. 103. & Gregorius Magnus in 1. Regum lib. 1. dicens: Omnes quippe homines vult salvos fieri; quia de omni genere hominum elegit, quos ad gaudium æternæ salutis trahit; quibus in verbis satis ostenditur sermonem esse de Providentia efficacis, non autem puræ sufficientiæ. Fit 2. contra Lanardi voluntatem Dei antecedentem non semper esse efficacem; Ratio est, quia voluntas antecedens est composibilis cum utroque

que Libertatis extremo; adeoque non solum cum consensu, sed etiam cum dissensu; ergo &c.

1009. **Fig. 3.** cum eximio Doctore Libro 4. cap. 4. pluribusque Scotistis, voluntatem Dei antecedentem salvandi omnes homines esse subjectivè absolutam, quatenus actu, & per statum existit in Deo, quamvis terminativè sit quasi conditionata, quatenus independenter à consensu, vel dissensu, quem prævia illa voluntate potest creatura elicere, non subsequetur decretum efficax cum alterutro extremo connexum; bene verò si consensus ponatur. Cæterum quia decretum divinum antecedens applicativum omnipotentia indifferenter, & collativum indifferenter auxilii, non ita respicit creaturæ consensum, aut dissensum, ut solum sit voluntas concurrenti, postquam prodixerit creaturam, sed concurrenti simul aut permissivè, aut intentivè ad quemcumque actum, quem determinaverit creatura; ea de causa non dicitur decretum abstractivè conditionatum, sed solum quasi conditionatum: etenim quando mercator conditionatè vult dare centum, si veniat navis, prior debet esse accessus navis, quam datio centum. Quod saltem requiritur, ut illa voluntas sit propriè conditionata, & per appositam conditionem compleatur in esse absolute.

1009. Voluntas autem quasi conditionata non prærequirit positionem conditionis, ut operetur: sic Petrus existens in loco A vult se movere ad locum B, ut ibi sit proximè potens ad effectum, ad quem non erat proximè potens in loco A; virtus autem Petri constituta in loco B proximè potens per illam voluntatem, qua se movet, non requirit, quòd ponatur effectus in loco B, ut ipsa concurrat, quinimò ipsa debet concurrere, ut ponatur liberè effectus; atque adeò voluntas illa non dicitur conditionata, sed quasi conditionata; cum autem decretum Dei, quo constituit creaturam ad utrumque potentem per applicationem omnipotentia, quæ cum creatura debet concurrere, non requirat ad concurrentium, quòd creatura prius operetur, sed quòd operetur, si voluerit simul cum ipsa, ea de causa non est absolute conditionata, sed quasi conditionata, qua Deus confert auxilia pro omnib<sup>9</sup>, non solum respiciens statum innocentia, sed etiam naturæ lapsæ. Patres enim, & Concilia, tum etiam Alexander VIII. quando dicunt Deum pro omnibus auxilia conferre, paratum esse pulsare, & influere, clarè loquuntur de statu naturæ lapsæ; ea siquidem auxilia conferuntur ex meritis mortis Christi; merita autem mortis Christi planè respiciebant naturam lapsam, quam Dominus sua morte redemit.

1010. **Fig. 4.** Contra Lanardi, aliosque modernos illius vestigiis inhaerentes, voluntatem DEI universalem non stare in decreto prævio efficaci inspirante; mirum quidem est, quòd, & quanta auctor iste novissimè doceat; docet enim decretum prævium efficax inspirans non posse componi cum prædeterminatione, neque cum

scientia media; non quidem cum prædeterminatione, quia per tale decretum Deus non cernit dare nobis appendicem prædeterminationis, ut efficaciter operemur, sed per ipsum decretum immediatè infundit nobis gratiam actualem, quæ est amor Dei super omnia, quem vocat inspiratum, & ab ipso decretum efficax vocatur inspirans; talis autem actus inspiratus five per decretum illud efficax nobis à DEO infusus vocatur ab hoc auctore actus nobis meritorius, & dilectio Dei super omnia, à qua reliqui boni actus informantur; unde videtur manifestè nocere ad eliciendam illam dilectionem Dei super omnia non esse voluntatem præventam cum principiis ad utrumque proximè indifferentibus: quapropter impugnatur facile, 1. Quia ut voluntas sit libera, debet esse ad utrumque proximè indifferens, five cum exclusionem cujuscumque principii five intrinseci, five extrinseci inevitabilis à voluntate, & connexi cum alterutro libertatis extremo, ut constat à num. 864. atqui tale decretum efficax inspirans incompossibile esset cum tali voluntatis constitutione: ergo &c.

1011. Impugnatur 2. Voluntas non potest merè passivè se habere in actu meritorio: atqui si actus inspiratus infunderetur à Deo per tale decretum efficax inspirans, voluntas merè passivè se haberet; ergo &c. Impugnatur 3. quia actus, qui potest poni, vel omitti pro libito voluntatis, non potest esse actus secundus libertatis, atque adeò neque nobis liber, & meritorius: atqui ille actus inspirans non posset poni, vel omitti pro libito voluntatis, sed pro libito Dei efficaciter inspirantis, vel non inspirantis: ergo &c. Impugnatur 4. quia in actu inspirato admittit adversarius duas formalitates virtualiter intrinsecè distinctas, nimirum formalitatem vitalitatis, seu actionis, secundum quam producitur à creatura simul, & Deo, & formalitatem qualitatis, secundum quam producitur à solo Deo, atque adeò tenetur admittere inter illas virtualitates distinctionem virtuales in tertio, & mysterium Augustissimæ Trinitatis, ut constat à num. 130. sed hoc planè repugnat in creatis, quin imò, & si per impossibile non repugnaret cum limitatione perfectionis creatæ, repugnet planè cum libertate; nam posita virtualitate qualitatis, quæ realiter identificatur cum virtualitate actionis vitalis, repugnat essentialiter, ne ponatur actio vitalis; sed virtualitas qualitatis per se producitur à solo Deo: ergo à solo Deo impeditur, ne voluntas possit omittere virtualitatem actionis vitalis. Quamobrem doctrina hujus auctoris impugnari facile potest omnibus rationibus, quibus præmotio Physica impugnatur, & insuper rationibus particularibus, quæ ex his capitibus à nobis assignatis facile possunt inferri.



## SECTIO IV.

Solvuntur opposita.

1012. **O**bjic. 1. Contra primam assertionem ex Jansenio Augustin. epist. 2. ad Evodium ait: *Non perit unus ex his, pro quibus mortuus est Christus*: Et sermone 8. de Sanctis: *Christus non perdidit, quos emit sanguine*: similiter plurimis aliis in locis docet illum tantum redemptos esse à Deo, qui actu salvantur: ergo Christus non est mortuus pro omnibus, ac proinde non fuit in Deo voluntas generalis salvandi omnes homines, sed pura voluntas signi. Resp. dist. ant. pro quibus mortuus est offerendo merita Passionis suæ quoad efficaciam conc. quoad sufficientiam neg. ant. & consequentiam; quia Augustinus & alij Patres in similibus testimoniis solum loquuntur de morte Christi applicata aliquibus, ut auxilia efficacia eis conferrentur modo, quo intelligitur illud Joannis 11. *Non perdidit ex eis quemquam, quos tradidisti mihi*; non autem loquuntur, de applicatione quoad sufficientiam; hanc enim omnes Patres clarè docent, ut ipse Augustinus citatus num. 996.

1013. **O**bjic. 2. Dum aliquis potest salvare aliquem, & non salvat eum; signum est, quòd non habeat voluntatem salutis omnium, & singulorum: atqui potest Deus salvare omnes, & singulos homines: ergo signum est, quòd non habeat voluntatem salutis omnium, & singulorum hominum. Confir. 1. qui habet voluntatem antecedentem salvandi aliquem, salvat illum, dummodo nullum sequatur incommodum: sed Deus absque ullo incommodo potest salvare omnes, & non salvat: ergo signum est, quòd non vult voluntate antecedenti omnium salutem. Confir. 2. talis voluntas antecedens nullum haberet objectum: ergo non reperitur in Deo. Resp. dist. maj. dum potest efficaciter, & non salvat, signum est, quòd non vult efficaciter concedo, quòd non vult ineffaciter neg. maj. & concessa min. neg. consequentiam. Ratio est, quia illa voluntas antecedens non est efficax, sed indifferens; atque adeò ex illa nequit infallibiliter inferri omnium salus ponenda.

1014. **A**d 1. Confir. dist. maj. si nullum sequatur incommodum, & sequatur correspondentia libera salvandi conc. & non sequatur nego maj. & dist. min. neg. consequentiam. Quia Deus per voluntatem antecedentem solum obligatur ad dandam sufficientiam, ut ipsi homines liberè respondeant, nec vult efficaciter eorum salutem independentem à libera ipsorum correspondentia: unde si ipsi non respondeant, non imputabitur Deo, sed homini defectus salutis; Deo autem imputabitur auxilium, quod pro eo contulit; ut ipse Dominus dixit per Prophetam Oseam 13. *Perditio tua ex te Israel, tantummodo in me auxilium tuum*: Ad 2. Confir. neg. ant. quia illa voluntas inter alia haberet pro objecto gloriam, non quidem purè ut possibi-

lem, sed potius potentem obtineri per medià quæ ex se Deus elargitur; cum autem Deus ea media liberè elargiatur, exinde illa divina voluntas non est necessaria, sed libera.

**O**bjic. 3. Multi moriuntur, qui gloriam non adipiscuntur, nec per illos stat, sed præcise per Deum, ne eam assequantur: atque adeò absque ulla Dei Providentia pro ipsis habita reprobi sunt, v. g. infantes, qui in materno utero moriuntur, vel inter gentiles ante rationis usum vitam absolvunt, aut à nativitate amentes sunt, & Baptismi recipiendi copià carent; ergo pro ipsis non voluit Deus, quantum est ex se, gloriam, adeoque voluntas generalis nequit se extendere ad ipsos. Confir. etiam Deus habet voluntatem puniendi omnes homines casu, quo in peccato moriantur, quæ voluntas etiam est antecedens: ergo nihil speciale ponitur in Deo circa gloriam, in quo stat voluntas beneplaciti, qua velit omnibus gloriam. Resp. neg. ant. quia Deus pro omnibus hominibus dispensat auxilia, sive parvuli, sive amentes sint, adeoque vult pro omnibus gloriam quoad sufficientiam, licet non velit omnibus gloriam per voluntatem efficacem; in hoc namque argumento egregiè confunduntur duo toto cælo diversa. Aliud enim est Deum velle, & dispensare auxilia pro omnibus, aliud autem est, quomodo dispenseret; istæ quippe duæ quæstiones sunt valde diversæ, ut constat à num. 45. scimus enim, Deum ex voluntate antecedenti conferre auxilia pro omnibus, ut constat ex Testimoniis adductis, & præfertim ex D. Prospero citato num. 996. ea quippe omnia sunt effectus meritorum Passionis Christi, quæ se extendit ad omnes redemptos; parvuli autem, amentes, & uno verbo omnes homines verè redempti fuerunt à Christo, atque adeò pro ipsis confertur influxus Passionis Christi.

**Q**uomodo autem Deus pro ipsis instuat, est nobis prorsus ignotum: potest enim id præstare modis innumeris, & mirabilibus; aliquando enim, ut aiebat Prosper citatus num. superioris, confert auxilia parentibus ex intentione, ut si bene utantur, habeant remedium parvuli, in quo stat habere Providentiam pro parvulis; aliquando confert aliis, ut orant pro illis cum intentione admittendi eam orationem; ratione cuius ipsis succurrat; aliquando illi, quibus pro parvulis, aut amentibus auxilia conferuntur, advertunt eorum Periculum, & obligationem favendi illis, quo in casu, si non se gerant, ut debent, peccabunt; aliquando non ita advertunt, atque adeò omittunt favorem, quem præstare poterant sine peccato; at non exinde arguitur non fuisse, sed potius fuisse Providentiam Dei pro illis: Neque Deo difficile est parvulis, vel inter fideles, vel inter gentes magis barbaras auxilium præstare, aut conservando illos, si oportuerit usque ad ætatem adultam, vel usque dum Baptismum fluminis, aut sanguinis succiperent, aut ministros in icu oculi adducendo, qui Baptismum ministrarent; hæc enim omnia

nia facillima Deo sunt; at quomodo Deus in hac sua providentia se gerat, scier solùm ille, cui Deus revelaverit, vel consiliarius eius fuerit; nos equidem ex scriptura, Conciliis, & Patribus adductis scimus Deum habere aliquam Providentiam pro omnibus; qua de causa ait Eximius Doctor, vult, ut nos oremus pro omnibus.

1017. Quænam autem sit ista divina providentia; neque nos scimus, neque ad nos attingere scire; sic enim in rebus naturalibus scimus plura esse, quin sciamus, quomodo sint, ut constat à num. 45. quid mirum, quòd in rebus adeò reconditis, quales sunt, quæ pertinent ad providentiam divinam, sciamus providentiam, quin sciamus quomodo, aut qualiter se habeat talis divina providentia? Unde sicut ista esset ridicula argumentatio: nos non scimus, quomodo sit constitutum continuum: ergo continuum non est constitutum; ita esset ridicula hæc alia argumentatio: nos non scimus, quomodo Deus provideat pro parvulis, & amentibus, barbaris, infidelibus, aut id genus aliis: ergo non providet; exinde dicimus nullum sive parvulum, sive amentem reprobum esse, & ab æterna salute exclusum absque aliqua divina providentia pro illo, licet ingenuè profiteamur ignorare nos, quæ, aut qualis sit talis divina providentia: scimus enim multis, & mirabilibus modis posse à DEO haberi, eamque esse talem, qualem DEUS agnovit. Vide à num. 1021.

1018. Ad Conf. dist. ant. habet voluntatem puniendi cum eodem modo tendendi, quem habet voluntas salvandi nego, cum diverso modo tendendi conc. ant. & neg. consequentiam. Ratio est, quia dupliciter quis potest velle objectum sub aliqua conditione ponendum, primò ita, ut, quantum est ex se, velit, quòd alter apponat conditionem; secundo ita, ut quantum est ex se, nollit, ut alter conditionem apponeret. Exemplum, quo id explicari solet, optimum est: mercator enim conscendens navim mercibus oneratam habet voluntatem conditionatam distrahendi merces in Portu, si cum eis illuc salvus appulerit, habet etiam voluntatem easdem projiciendi in mare, si aliter vitam salvare nequeat; cæterum inter has duas voluntates est magnum discrimen; nam erga venditionem mercium omnino afficitur, optatque eam navigationem apponi ad earum venditionem, nimirum felicem navigationem, & descensum in portum destinatum; at è contra circa projectionem mercium in mare nullo modo afficitur, quantum est ex se, neque eam optat, sed summè displicet, atque adeò displicet in tempestate, quæ est conditio ad eam projectionem, decernit autem projicere, si aliter se ipsum salvare nequeat; ad eundem ergo modum distinguendæ sunt in Deo duæ voluntates antecedentes de salute hominum, quam desiderat; quantum est ex se: & de penæ æternæ conditione, quam, quantum est ex se, non desiderat, unde illæ duæ voluntates diversissimum habent mo-

dum tendendi, neque tener paritas ex una ad alteram.

Objic. 4. Voluntas antecedens de salute omnium hominum est fictitia, & simulatoria: ergo non est propriè, sed tantum metaphoricè in Deo. Prob. ant. ex D. Thoma 3. part. quæst. 2. art. 4. in corpore; ubi sequens de voluntate antecedenti ait: *Illam magis appellanda est velleitas, quam absoluta voluntas*: ergo &c. Confir. Illa voluntas divina antecedens nequit esse absoluta, aliter omnes salvarentur, neque potest esse conditionata; conditionata enim non est actu in Deo, sed esset, si daretur Conditio: ergo nulla est talis antecedens voluntas in Deo. Resp. negando antecedens; ad Prob. conc. ant. nego consequentiam; quia D. Thomas nomine velleitatis intelligit veram volitionem contradistinctam à voluntate efficaci connexam cum objecto, quam vocat absolutam voluntatem: quod patet ex ipso textu, in quo comparat voluntatem divinam antecedentem cum voluntate antecedenti, quam habet iudex de vita omnium hominum, ut constat ex num. 1004. Cum autem illa voluntas iudicis sit voluntas, ita etià in via D. Thomæ illa voluntas divina antecedens est vera voluntas.

Ad Confir. neg. ant. quia voluntas illa est subjectivè absoluta, & terminativè conditionata. Absoluta quidem, quatenus Deus per illam verè vult salutem omnium; terminativè autem conditionata, quatenus vult illam salutem, si homo apponat illam conditionem, quam Deus desiderat ex dictis num. 1018. explicatur iterum exemplo; in hoc enim actu: Si scriberem Petro, Petrus veniret ad me, non significatur volitio ex parte mei ad scribendum, quia conditio ad volendum se habet ex parte mei, & sic potius significat, si vellem scribere: in hoc autem actu, si Petrus veniret ad me, scriberem ipsi, cum conditio ad volendum non se teneat ex parte mei, sed solùm sit terminus meæ volitionis, non obstat, ne defacto ego habeam talem voluntatem, qua volo scribere Petro, si Petrus ad me veniat; tunc enim, si vellem, simulque Petrus veniret, ea volitio diceretur subjectivè absoluta, cum ex Parte subjecti non solùm detur volitio objecti sub conditione, sed etiam volitio ipsius conditionis: cum ergo in DEO etiam detur volitio salutis sub conditione meritorum finalium, & volitio, quantum est ex se, ipsius conditionis, exinde talis volitio dicitur subjectivè absoluta, & terminativè conditionata.

Objic. 5. Contra 2. conclusionem ex Macedo decem loca Augustini, in quibus videtur negare providentiam universalem comunem omnibus: ergo Deus non dispensat auxilia pro omnibus. Resp. dist. ant. videtur negare providentiam efficaciam concedo, sufficientiam neg. ant. & consequentiam. Augustinus enim clarè docet, voluntatem generalem Dei se extendere ad omnes, atque adeò Deum habere providentiam sufficientiam pro omnibus, licet pro multis non habeat providentiam efficaciam. Sic Tom. 1. lib.

lib. 4. contra Julianum Pelagianum cap. 8. de parvulis ait: *Numquid aut homines non sunt, ut non pertineant ad id, quod dictum est omnes homines, aut aliquis poterit dicere, Deus quidem vult, sed ipsi nolunt, qui nondum velle, sive nolle ista noverunt, cur istum potius, quam illum damnet, aut liberet, nos, qui sumus, qui respondeamus DEO?* Ex quo apparet pro his parvulis, qui damnantur, non negare Augustinum providentiam sufficientiæ, sed solum efficaciæ: quomodo autem Deus hanc providentiam exerceat, diximus jam supra à num. 1016. nobis prorsus ignotum esse, & modò ex Augustini Doctrina addimus qui sumus nos, ut simus consilarii Dei?

1022.

Objic. 6. Ideo Deus in statu innocentiae deberet conferre auxilia sufficientia pro omnibus, quia gratia erat propria illius status: atqui gratia non est propria in statu naturæ lapsæ, sed potius peccatum, vel saltem gratia mixta peccato: ergo Deus debet habere in statu naturæ lapsæ providentiam mixtam ex misericordia, & iustitia juxta illud Psalmi 100. *Misericordiam, & iustitiam cantabo tibi Domine*; ac proinde confert auxilia sufficientia pro aliquibus, secus autem pro omnibus. Confir. in statu Innocentiae, in quo non erant peccata, nulli decernerentur supplicia: ergo in statu culpæ, in quo sunt peccata, aliquibus decernitur privatio omnis gratiæ; ac proinde conferenda non est gratia sufficiens pro omnibus. Resp. dist. maj. ideo sufficienter omitto, ideo necessariò neg. maj. & omiſſa min. neg. consequentiam: etenim causalis ideo, aliquando significat necessariò, ut quando dicimus: ideo Petrus est homo, quia est animal rationale; cum necessariò requiratur, quòd sit animal rationale, ut sit homo; aliquando verò significat sufficienter: sic dicimus, ideo Petrus est animal, quia est homo; quin requiratur necessariò, quòd sit homo, ut sit animal, cum Leo, qui non est homo, sit animal; licet sufficiat, quòd sit homo, ut sit animal.

1023.

Ratio autem statui innocentiae, & statui naturæ lapsæ communis, propter quam Deus confert auxilia sufficientia pro omnibus, est, quia Deus vult providere pro omnibus, ut ex scripturis, & P. P. adductis nobis constat, cum adhuc in statu naturæ lapsæ velit Deus, quantum est ex se, omnium salutem, quæ independenter ab omni divina providentia haberi non potest; unde & in statu innocentiae, & in statu naturæ lapsæ dispensaret Deus auxilia pro omnibus. Ad Confir. conc. ant. & neg. consequentiam. Quia supplicia in statu innocentiae necessaria non erant ad ullum finem à Deo providente intentum, ac proinde nulla erat ratio cogens ad ea decernenda; at verò in statu naturæ lapsæ auxilia sufficientia pro omnibus necessaria sunt ad finem salutis omnium à Deo intentum, ac proinde ex titulo universalis providentis conferet auxilia pro omnibus.

1024.

Objic. 7. Sententia de gratia sufficienti pro omnibus fuit opinio Pelagii, & Pelagianorum impugnata à D. Augustino, & à D. Prospero, ut

ait Maldonatus cap. 1. In Joannem num. 9. Sic Augustinus Tomo 2. Epistola 101. De gratia ait: *Quomodo dicitur omnes homines eam jussu accepturos, si non illi, quibus non datur, eam sua voluntate respuerent; quoniam Deus vult omnes homines salvos fieri, cum multis non detur Parvulis, & sine illa plerique moriantur, qui non habent contrariam voluntatem, & aliquando cupientibus, festinantibusq; Parentibus, ministris quoque volentibus, ac paratis Deo nolente non datur, cum repente, antequam detur, exspirat, pro quo, ut acciperet, currebant.* Unde manifestum est eos, qui huic resistunt tam perspicuae veritati non intelligere omnino, quia locutione fit dictum, quòd omnes homines vult Deus salvos fieri, cum tamen multi salvi non fiant, non quia ipsi, sed quia Deus non vult, quòd sine ulla caligine manifestatur in parvulis: ergo &c. Confir. Zvinglius, Lutherus, Calvinus, aliique hujus generis Hæretici gratiam universalem pro omnibus admiserunt: ergo non est admitenda à Catholicis.

Resp. dist. ant. sententia de gratia sufficiente, quæ supernaturalis esset, & necessaria ad simpliciter posse, vel quæ confereretur independenter à jure debito ex meritis nostris conditionatè prævisis nego, quæ ita non esset concedo ant. & neg. consequentiã. Ratio est, quia Pelagius nunquam admisit gratiam supernaturalem requisitam ad simpliciter posse, ut constat à num. 699. Semipelagiani autem, ut errorem Pelagii utrumque temperarent, docebant gratiam dari ex jure acquisito à creaturis per merita conditionatè prævisa, atque adeò naturam nudè sumptam sufficientem esse ad inchoandam operationem conducentem ad vitam æternam, ut constat à num. 702. contra quos arguit Augustinus, quantum autem doctrina nostra ab illis erroribus distet, constat ex ibi dictis. Quòd autem in testimonio adducto dicat Augustinus, gratiam per Baptismum non haberi à parvulis, quia Deus non vult, non significat Deum positivè velle carentiam omnis providentiæ pro ipsis, sed aliquam providentiam efficaciæ, quam dare non tenetur, quin talis carentia sit Parvulis imputabilis tanquam poena demeriti conditionatè prævisi: unde sicut neque gratia Baptismi esset parvulis libera, ita neque carentia talis gratiæ est libera ipsis.

Gratia enim in doctrina Augustini, ac Catholicorum non datur, quia volumus, quin potius datur, ut velimus. Hanc esse Augustini mentem, dubitare non potest, qui ipsum legat; sic enim ibi quæstionem proponit: *Recognoscis me, ut puto in his, quæ nos scire, dixi, non omnia, quæ ad fidem Catholicam pertinent, commemorare voluisse, sed ea tantum, quæ ad istam, quæ inter nos agitur de Dei gratia quæstionem, utrum præcedat hæc gratia; an subsequatur hominis voluntatem; hoc est, ut plenius id eloquar, utrum ideo nobis detur, quia volumus, an per ipsam Deus etiam hoc efficiat; ut velimus; ex quo satis clara manet Augustini doctrina.* Ad Confir.

Confr. distinguo antecedens, admiserunt gratiam universalem pro omnibus, qualem docet Ecclesia, nego, quæ vel non relinqueret libertatem, vel non esset necessaria ad simpliciter posse, vel daretur ex jure meritorum conditionatorum, conc. antecedens, & nego consequentiam; quia nos contrarium omnino docemus, ut constat ex dictis.

1027. Obijcies 8. Notitia legis Evangelicæ non pervenit ad omnes; sunt enim aliqui in extremo mundi recessu, ad quos Evangelij notitia non pervenit: ergo illis, aut pro illis data non est gratia sufficiens. Confr. primò. Infideles non peccant: ergo non debent habere auxilia sufficientia ad peccata vitanda. Confr. secundò. Ut Christus sit universalis redemptor, satis est, quòd sua merita pro omnibus obrulerit, licet non fuerint à Patre pro omnibus acceptata, adeoque licet non conferantur auxilia pro omnibus: ergo &c. Resp. nego consequentiam, quia plura sunt præcepta legis naturæ, in quorum saltem vio-

lacione cognoscunt malitiam, quam sine speciali DEI gratia vitare non possunt, ac proinde ad ea vitanda confert DEUS suam gratiam, quò respexit Alexander VIII. damnans eam propositionem adductam num. 1000. Ad primam Confr. dist. ant. non peccant peccato infidelitatis contra legem, quæ ad eorum notitiam inculpabiliter non pervenit conc. peccato opposito legi saltem naturali, quam cognoscunt nego antec. & consequentiam. Ad secundam Confr. nego ant. quia si DEUS non acceptaret, non esset Christus redemptor absolute, sed solum affectivè: in hac autem providentia Christus Dominus absolute est omnium redemptor, ac proinde adhuc Ethnicis, Paganis, & aliis conferuntur auxilia ex meritis Christi, ut ex scriptura, & Patribus constat à num. 995. & declaravit Alexander VIII. citatus num. 1000.



## DISPUTATIO XVIII.

### DE DECRETO APPLICATIVO OMNIPOTENTIÆ PRÆDESTINATIS ET REPROBIS COMMUNI.

1028. Decretum applicativum omnipotentiae, quo constituitur voluntas ad utrumque indifferens, est quasi conditionatum, habetque hunc modum tendendi: volo concurrere cum creatura ad amorem *A*, vel ad odium pro jure ipsius determinativo, sive prout ipsa se determinaverit; volo tamen, quantum est ex me, ut existat amor, & non odium; hoc decretum non dicitur simpliciter conditionatum: quia, ut ait Eximius Doctor, ut esset simpliciter conditionatum, necesse erat, ut posset poni conditio independenter ab ipso; sicuti quando quis vult dare centum, si veniat navis ad portum, voluntas illa dicitur simpliciter conditionata, quia adventus navis nequaquam dependet ab illa volitione; Contra verò, quando Petrus existens in loco *A*, in quo non est proximè potens ad liberè eliciendum, vel non eliciendum effectum pro loco *B*, vult se transferre ad locum *B*, ut ibi sit proximè potens ad eliciendum effectum pro libito suo; cum enim effectus liber pendeat, ut in illis circumstantiis ab illa translatione; decretum illud translaticivum non est simpliciter conditionatum, sed quasi conditionatum, prout non vult efficaciter effectum, sed mediante jure libertatis proximæ, qua constituitur Petrus in loco *B*; ita tamen, ut nequaquam habeat connexionem essentialem cum eventu; si autem Petrus per decretum illud translaticivum affectum aliquem ostend eret ad unum libertatis extremum, & non ad aliud, hinc haberet se-

riam voluntatem unius, & non alterius, & multò magis, si ipse transferret alium in hunc finè, desiderans quantum est ex se, ut alter se exerceat bene, & non malè, quod cum ita contingat in DEO, exinde ostendit seriam voluntatem ad bonum, & non ad malum ex vi decreti applicativi suæ omnipotentiae. Videatur Eximius Doctor libro secundo de consensu DEI cap. 3.

#### SECTIO I.

*An Decretum applicativum per se omnipotentiae ad utrumque sit intrinsecè indifferens?*

1029. **S**uppono 1. Objectum decreti applicativi omnipotentiae saltem partiale esse exclusionem cujuscumque; impedimenti inaufeabilis, & conexi cum alterutro libertatis extremo; atque adeò habet pro objecto, quod excludit, quidquid impediret indifferentiam proximam libertatis ad utrumque; ut constat ex dictis à num. 864. insuper habet se ipsum pro objecto inadæquato; etenim licet repugnaret actus habens se ipsum pro objecto adæquato, non repugnat tamen, quòd habeat se ipsum pro objecto inadæquato; sic cognitio definiens omnem cognitionem definit se ipsam, ut objectum ipsius inadæquatum, quod idem est de cognitione exprimente omnem ens in ratione entis, omnem vitalitatem, & qualitatem, cum ea ipsa cognitio sit etiam ens, vitalis, & qualitas. Pariter illud decretum applicativum omni-

omnipotentiae ad utrumque vult exclusionem impedimentorum fieri per ipsum decretum, quod per se ipsum vult omnipotentiam expeditam ad utrumque; atque adeo se ipso est omnipotentiae applicatio: sic apud communem Theologorum sententiam lex, & votum habent se pro objecto inadæquato, quia lex superioris vult, quod subditus maneat ligatus moraliter ad faciendam rem; & cum ipsa voluntas superioris sit illa obligatio, & lex illa vult se ipsam tamquam objectum partiale, quod suo modo contingit etiam in voto, & in extrinseca condonatione, quæ vult remittere, & cedere juri, & ipsa est remissio, & cessio juris.

1030. Suppono secundò. Illud applicativum decretum velle etiam conferre principia, aut auxilia necessaria, ut voluntas sit ad utrumque expedita; atque adeo habere illa etiam pro objecto partiali; quamobrem licet tale decretum sit indifferens vel ad actum, vel ad omissionem actus ex libito creaturæ potenter poni, vel non poni, non est indifferens, sed efficax in ordine ad excludenda impedimenta inevitabilia, & cum alterutro libertatis extremo connexa; ratio est, quia si ista efficaciter non excluderet, non constitueret voluntatem ad utrumque indifferentem: eodem modo, quando confert auxilia ad utrumque indifferentia, est efficax in ordine ad conferenda auxilia, licet sit indifferens in ordine ad effectum, sic voluntas, qua Petrus dat Paulo centum, ut ipse pro libito suo emat, vel non emat equum, est efficax in ordine ad dandum centum, non autem est intrinsecè efficax, sed indifferens in ordine ad emptionem equi; cum hanc relinquat in voluntate Pauli; ex quibus facile est inferre tendentiam, & objectum adæquatum hujus decreti applicativi omnipotentiae. Cæterum, ut hæc clariùs innotescant, referam sententias Authorum, nostramque eligemus, & probabimus.

1031. Quadruplex est in præsentī Authorum Classis. Prima docet, decreta indifferentia esse DEO injuriosa rationem primæ causæ, primique liberi subvertentia; solumque agnoscit in DEO decreta intrinsecè efficacia. Ita communiter juniores Thomistæ, quos sequitur Gonetius disp. De voluntate articulo primo. Secunda Classis docet, pro statu innocentiae admittenda esse in DEO decreta indifferentia; pro statu verò naturæ lapsæ sola decreta efficacia. Ita Jansenius de gratia Christi Salvatoris libro 8. cap. 2. Macedo in sermone doctrinæ Sancti Augustini cap. 8. & plures alii, quos citat Gavardi quæst. 4. de scientia articulo primo parag. primo. Tertia Classis defendit, gratiam statûs innocentiae, & divina decreta fuisse efficacia pro eo tempore, quo status ille perseveravit, & quo nulla erat tentatio externa, sed urgente tentatione

necessarium fuisse à DEO amplius ea gratia roborari, ac proinde aliud decretum efficax elici. Ita Coqueus, & plures alii, quos sequitur Gavardi quæst. 5. de voluntate articulo tertio. Quarta Classis tenet, non posse servari illæsa jura libertatis creatæ, quin decreta per se applicativa omnipotentiae, & collativa auxilii per se ad liberam operationem requisiti, sint intrinsecè indifferentia. Ita ferè omnes nostri Doctores, quorum Catalogum invenies apud Borruol disp. quinta de scientia media sectione quarta, ubi centum è Societate Authores numerat, pluresque alios numerare posset. Vide Eximium Doctorem in opusculis libro secundo de scientia conditionata capite primo, & octavo, & in opusculis libro primo de absoluta scientia contingentium capite sexto, pluribusque aliis in locis.

Assero cum 4. sententia contra tres priores relatas, seclusis decretis indifferentibus creata libertas omnino corrui; ac proinde necesse omnino est admittere in DEO decreta intrinsecè indifferentia.

Probatur primò, ut voluntas sit proximè ad utrumque expedita, sive libera ad amandum, vel non amandum, requiritur decretum applicativum omnipotentiae, sine qua creatura nequit esse expedita ad agendum: sed tale decretum applicativum omnipotentiae nequit esse intrinsecè efficax, seu connexum cum alterutro libertatis extremo; aliter cum esset à creatura inimpedibile, & inevitabile, esset quoque inimpedibile, & inevitabile operatio cum ipso connexa, ex dictis num. 450. Ergo &c.

Confir. Decretum efficax inflictivum pœnæ propter peccatum est subsequens liberum voluntatis exercitium, & metaphysicè connexum cum pœna, & cum peccato; (decretum verò peccati permissivum est antecedens liberum voluntatis exercitium, & metaphysicè inconnexum cum pœna, & cum peccato) decretum verò peccati permissivum est antecedens liberum voluntatis exercitium, & componibile tam cum peccato, quam cum illius omissione; sed hoc ita non esset, si decretum istud permissivum peccati non esset intrinsecè indifferens, ut ex ipsis terminis constat; ergo &c.

Respondet primò cum aliquibus Recentioribus, qui, nescio ob quos fines, docent, DEUM omnia per idem indivisibile decretum decernere, argumentum nostrum non subsistere, quia ex parte actus primi ad utrumque indifferentis non negatur decretum applicativum omnipotentiae, sed omnipotentia, ut ajunt, ut per se ipsam applicata per præcisiorem exclusionem passivam impedimentorum. Ratio eorum est, quia omnipotentia est virtus necessariò ad operandum non minus, quam æternitas sit virtus ad correspondendum omni tempore.

tempori, & immensas ad coexistendum omni loco absque ullo decreto praevio indifferente. Quapropter solum requiritur exclusio passiva impedimentorum in eo praecise consistens, quod Deus nolit se retrahere ad concurrendum cum creatura.

1034. Contra primò, omnipotentia quae talis in eo distinguitur ab aliis divinis attributis, quod Deus quae omnipotens ita est creaturarum Dominus, ut non nisi ipso volente per volitionem, aut permissivam, aut intentivam possit quodcumque creatum in rerum natura dari, ut ex scriptura, & Patribus num. 450. & 793. exinde Gregorius Nissenus in hexamero columnà 4. 5. *Illud nobis positum, constitutumque sit in natura divina cum voluntate ita concurrere posse, ut DEI potentis mensura sit ipsa voluntas*: & D. Gregorius libro 12. moralium cap. 2. *Nulla qua in hoc mundo ab hominibus sunt, absque omnipotentis DEI occulto consilio veniunt*. Pariter Anselmus dialogo de veritate Catholica 8. *Scio te non dubitare, quia nihil omnino est, nisi DEO aut faciente, aut permitteente est*, sed non ita se habet DEUS in aliis suis attributis, quae talibus: etiamsi locus sit in rerum natura, non est in manu DEI, ne coexistat loco, sicut est in manu DEI non dare principia ad hanc libertatem, neque cum creatura concurrere: pariter non est in manu DEI, quod existat tempus, & DEUS se retrahat, ne temporis durationi coexistat: ergo reliqua divina attributa quae talia non exigunt decretum DEI posito effectum externo, ut ipsa secundum naturam suam se exercent, quod quidem decretum ex titulo divini domini super omnes creaturas exigit omnipotentia quae talis; ac proinde secluso quocumque praevio decreto, si creatura existat, non exinde est omnipotentia applicata ad concurrendum cum illa.

1035. Contra secundò, plura sunt in DEO decreta virtualiter distincta: ergo ratione indivisibilitatis decreti, quo DEUS teneatur omnia simul decernere, perperam negatur decretum indifferens. Probatum antecedens. Decretum productivum creaturae rationalis est decretum, quo DEUS, quantum est ex se, intendit, quod creatura DEO serviat rectè operando, & vitam aeternam obrineat; atque adeò ex se componibile est cum illius creaturae vita aeterna; decretum verò inflictivum poenae aeternae propter peccata non est componibile cum vita aeterna, quin imò, ut constat ex num. 972. decretum reprobativum subsequitur liberam operationem voluntatis; neque potest DEUS reprobare ante absolutam peccati praevisionem: ergo decretum productivum creaturae rationalis, & decretum inflictivum aeternae poenae virtualiter distinguuntur: eodem modo decretum reprobativum, & decretum collativum libertatis ad peccandum, & non peccandum distinguuntur virtualiter: ergo chyme-

R. P. Gormaz Theolog. Tom. 1.

ricum est dicere DEUM per decretum virtualiter indivisibile omnia decernere. Contra tertio. Quia hujusmodi responso saltem in sententia Societatis sustineri non potest, ut constat ex dictis; ergo &c.

Probatum secundò ex SS. Patribus reverà distinguentibus in DEO decreta efficacia à decretis permissivis cum utroque libertatis extremo componibilibus, quibus resistere potest creata libertas. Sic Augustinus Libro tertio. de libero arbitrio cap. 18. *Quaecumque causa est voluntatis, si ei resisti non potest, sine peccato ei ceditur*. Et libro primo ad Simplicianum quaest. secunda: *Illi electi, qui congruenter vocati; illi autem, qui non congruebant, neque attemperabantur vocationi, non electi, quia non sequuti, quamvis vocati; & libro 13. de Trinitate cap. 12. Modus autem iste, quo traditus est homo in Diaboli potestatem, non ita debet intelligi, tanquam hoc DEUS fecerit, aut fieri jussisset, sed quod tantum permiserit, justè tamen*. Olympiodorus in Ecclesiastici cap. 6. prope initium: illud ad Romanos primo: *Tradidit illos Deus in reprobum sensum; ita exponens. Non quòd DEUS ipse quemquam hominum cogat avaritiam, intemperantiamque sectari, sed quòd ea permittat, quae homines electione liberae voluntatis aggrediuntur, dum liberi arbitrij naturam facultatemque conservant*. Divus Thomas prima parte quaest. 29. ad tertium: *DEUS igitur neque vult mala fieri, neque vult mala non fieri, sed vult permittere mala fieri*. Damascenus libro secundo de fide c. 29. *secundum acceptationem sunt quaecumque sine controversia bona sunt; sunt & quaedam secundum permissionem*. Theodoretus Ezechielis 29. *Verum alia quidem ipse moderatur, alia vero fieri permittit modo libero, domini cedens arbitrio*: atqui si decretum constitutivum libertatis humanae non esset intrinsecè ad utrumque indifferens, sed potius cum alterutro libertatis extremo connexum, haec Patrum testimonia vera non essent: ergo &c.

Probatum tertio. Creatura rationalis non solum in statu innocentiae, sed etiam in statu naturae lapsae libera est libertate à necessitate, ut docet fides, & definitum est contra Jansenium ab Innocent. X. & Alexand. VII. damnantibus hanc tertiam Jansenii propositionem: *ad merendum, & demerendum non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione*: ergo non solum in statu naturae innocentis, sed etiam in instatu naturae lapsae, debet dari decretum divinum collativum principiorum ad utrumque; quo posito possit voluntas pro libito suo se conjungere cum alterutro libertatis extremo; sed tale decretum non potest esse metaphysicè connexum cum alterutro libertatis extremo, sed intrinsecè indifferens ad utrumque: ergo &c. Confirmatur. Voluntas libera non habet dominium supra suum actum, nisi habeat dominium omittendi actum: atqui si decretum

Ff 2

colla-

1036.

1037.

collativum principiorum ad utrumque non esset intrinsicè indifferens, sed potiùs connexum cum alterutro libertatis extremo, non haberet voluntas dominium omittendi actum, cum non habeat dominium ad impediendum illud divinum decretum, quo posito essentialiter ponetur actus; ergo &c.

1038. Respondet Gonetus disp. 1. de voluntate articulo 1. §. 2. quòd, licet liberum arbitrium nõ habeat dominium supra divinum decretum, & connexionem indissolubilem, quæ intercedit inter decretum, & actum voluntatis creatæ, tamquam primi liberi, primi quæ determinantis, habet tamen dominium in illum prout se tenet ex parte consensûs liberi dependentis à voluntate creata tamquam à secundo libero, & secundo determinante. Quàm contraria sit ista responsio doctrinæ D. Thomæ facile constat à num. 634. Quapropter contra primò, ex eo, quòd actus ab alia causâ priori determinetur, non manet voluntas libera, ac proinde non est agens secundum liberum, ut habet D. Thomas in secundum distinctione 28. parte prima articulo primo in corpore dicens: *Non esset homo liberi arbitrij, nisi ad eum determinatio sui operis pertineret*: atqui juxta responsionem Gonetii actus voluntatis determinaretur à DEO tanquam à causâ priori: ergo &c. Contrà secundo ex eodem D. Thoma in secundum distinctione 21. quæst. 1. artic. 1. in corpore, ubi hæc habet: *Liberum arbitrium non invenitur in his, quorum actiones non determinantur ab ipsis agentibus, sed à quibusdam aliis causis prioribus*: ergo non datur determinatio ad unum extremum præ alio procedens priùs à causâ prima, quàm à secunda. Contrà 3. ex eodem D. Thoma 1. parte quæst. 14. artic. 13. in corpore dicente: *Quicumque cognoscit effectum contingentem in sua causa tantum, non habet de eo, nisi conjecturalem notitiam*: atqui si in decreto constitutivo libertatis daretur determinatio ad unum extremum præ alio, non solum haberetur in causâ notitia conjecturalis, sed certa: ergo &c. Contrà 4. his omnibus rationibus, quibus à num. 572. probavimus, repugnare respectu causarum liberarum decreta subjectivè absoluta, & objectivè conditionata; ex quibus à num. 579. probavimus posse voluntatem resistere inclinationi principiorum ad unum præ altero libertatis extremo.

1039. Probat 4. Admitrenda est in Deo scientia mediæ, qua sub hypothese ad utrumque indifferenti conducente ad effectum, & componibili cum illius omissione, cognoscit Deus determinatè effectum præ omissione, ut latè constat à num. 658. atqui illa hypothesis requisita ad scientiam mediæ includit decretum intrinsicè indifferens: ergo &c. Prob. min. in illa hypothese includitur, quidquid requiritur ad istam conditionalem, *si conferam*: atqui ad illam conditionalem *si conferam*, requiritur decretum indifferens; illud enim *si conferam*

est decretum non quidem intrinsicè efficacè, aliter subverteretur hypothesis scientiæ mediæ: ergo est decretum intrinsicè indifferens. Confr. primò, sub illa hypothese *si conferam*, prævidet necessariò DEUS carentiam omnis antecedentis connexionis cum consensu inevitabilis à voluntate; sed carentia talis connexionis haberi non potest, nisi per divinum decretum, quo excludatur prædeterminatio, & quodcumque aliud inevitabile à voluntate, & connexum cum alterutro libertatis extremo: ergo &c. Confr. secundò. Hypothesis illa *si conferam*, est DEO libera: atqui non potest DEUS prævidere collationem auxiliij sibi liberam, quin prævideat decretum sibi liberum: ergo sub illa hypothese *si conferam* prævidet DEUS decretum sibi liberum: atqui decretum illud Deo liberum non potest esse connexum cum alterutro libertatis extremo, sed cum utroque compossibile, ne pereat hypothesis scientiæ mediæ, ut ex eo num. constat: ergo &c.

Respondent Juniores aliqui cum Muniellâ distinctione 9. De essentia, & arbitrio, sect. 23. à num. 229. Omnipotentiam applicari ex necessitate per decretum positivum diviniæ voluntatis, quo DEUS (ut habetur num. 181.) vult efficaciter requisita in actu primo, vel potestatem ea acquirendi pro libito nostro, simulque vult exclusionem omnium impedimentorum in alterutrum libertatis extremum. Cæterum per illud indivisibile virtualiter decretum velle etiam omnia, quæ vult; atque ad eò non esse intrinsicè indifferens indifferencia compossibilitatis cum nolitione penæ, quæ infligitur propter actum malum elicitum. Contrà tamen primò, decretum illud collativum principiorum ad utrumque componibile debet esse cum alterutro extremo libertatis, ut per illud libertas non avertatur, sed constituat, ut ex hucusque dictis facile constat: sed ut ita se habeat, debet esse indifferens intrinsicè ad utrumque libertatis extremum: ergo &c. Contrà secundò, & explicatur magis hæc ratio. Decretum applicativum omnipotentiam, & volitivum efficaciter actûs, qui elicitur, non possunt esse virtualiter idem; aliter creatura impotens impedire decretum applicativum omnipotentiam esset etiam impotens impedire decretum efficaciter volitivum actûs, qui elicitur: ergo illa duo decreta sunt virtualiter distincta, ac proinde decreto efficaciter volitivo actûs, qui elicitur, non convenit indifferencia, ut jungatur cum actu, vel omissione actûs, quæ quidem indifferencia convenit decreto omnipotentiam applicativo.

Contrà tertio. Non stat hypothesis scientiæ mediæ cum præcisione ab omni omnino decreto ex num. 1040. ut fateatur ipse adversarius, ac proinde sicut hypothesis se habet pro priori ad actum, etiam decretum applicativum omnipotentiam se habet pro priori ad actum

actum: atqui decretum applicativum omnipotentiae se habens pro priori ad actum nequit esse idem cum decreto efficaciter volitivo actus, vel praesupponente efficaciter actum: ergo decretum illud applicativum omnipotentiae nequit esse virtualiter idem cum reliquis omnibus divinis decretis: sed debet esse componibile tam cum decretis subsequenter actum, quam cum subsequenter omissionem actus: sed in eo stat, quod decretum applicativum omnipotentiae ad utrumque sit intrinsece indifferens, aliter non esset decretum requisitum ad hypothesin scientiae mediae, sed ad hypothesin scientiae necessariae, vel scientiae visionis; ergo &c. Ex dictis

1043. Fit 1. Decretum applicativum omnipotentiae ad constituendam liberam voluntatem ad utrumque esse ex necessitate intrinsece indifferens, nec posse identificari virtualiter cum decreto praedefinitivo. Fit 2. Decretum per se collativum auxiliorum intrinsece indifferentiū nō posse identificari virtualiter cum decreto inflicivo poenarum propter peccata, atq; adeo neque decretum reprobativum cum decreto praedefinitivo operationis bonae. Fit 3. Decretum productivū creaturae rationalis distingui etiam virtualiter à decreto, aut collativo aeternae gloriae, aut inflicivo aeternae miseriae. Fit 4. Deum ex perfectiori, quam habet, libertate, & dominio, quod absque ulla implicancia excogitari potest, posse servare eum ordinem, quem objecta habent inter se, si ipse voluerit, volendo prius causam essentialiter non connexam cum effectu, & pro signo posteriori volendo effectum, vel illum non servare, quando nec ex parte domini divini, neque ex perfectione creata adest ulla repugnantia, exinde possit pro libito suo per eundem actum virtualiter indivisibilem producere hominem simul, & leonem, ut eos producere per duos actus virtualiter distinctos, ita ut velit homines producere per actum, qui existeret, quatumvis leo non produceretur: & producere leonem per actum, quo non produceretur, si non producendus homo foret, tunc enim, cum detur dependentia non mutua inter eos actus, datur necessarid inter illos virtualis distinctio, & sic de aliis similibus.

## SECTIO II.

### Solvuntur opposita.

1043. Objic. 1. Ex Petro Gobat Dominicano libro, cui titulus est Theologiae scholasticae secundum illibatam D. Thomae doctrinam ultima pars, seu ultimum complementum, ubi, ut ipse ait, quinque assert demonstrationes contra decretum indifferens. Quarum prima haec habet: decretum indifferens se habet ex parte actus primi, determinatio vero creaturae ex parte actus secundi; ergo creatura prius operatur, & postquam ipsa operata est, operatur Deus, quod implicat, ac proinde implicat decretum indifferens. Confirm. Omni-

potentia vi illius decreti non operatur, dum manet indifferens: ergo prius debet determinari à determinatione creaturae, ut per illam applicatione operetur. Retorqueo argumentū in voluntate instructa habitu supernaturali charitatis ad eliciendum actum amoris Dei, habitus ille se habet ex parte actus primi, determinatio vero ex parte actus secundi: ergo voluntas prius operatur, & postquam ipsa operata est, operatur habitus, quod implicat, aliter à pura natura procederet actus supernus; ergo implicat actus supernaturalis, quo voluntas operetur.

1044. Respondeo deinde concedo primam partem antecedentis, & disting. secundam. Determinatio creaturae, quae est simultaneus concursus Dei concedo, quae non est concursus Dei simultaneus nego antecedens, & consequentiam. Ratio est, quia, licet Deus relinquat voluntati vim determinandi, non relinquit illi determinationem, nisi concurrente Deo, quomodocumque creatura concurrat per eundem simultaneum concursum ad eum modum, quo licet habitus supernaturalis charitatis relinquat voluntati determinatione ad actum supernaturalē, non relinquit illi determinatione, cum ipsa determinetur absq; habitus concursu, sed per eundem simultaneum concursum cū habitu. Unde ad confirmationem retorquendum est eodem modo argumentum. Deinde in formam Resp. dist. ant. dum manet indifferens per exclusionem determinationis ipsi, aut voluntati immediate liberam concedo, solum ipsi omnipotentiae immediate liberam nego antecedens, & consequentiam. Etiam si habitus maneret determinatus ex determinatione soli voluntati libera, eō, quod simul cum voluntate concurrat, nequaquam dubitari potest, DEUM manere determinatum ex determinatione voluntati libera immediate, eō quod per eundem concursum simultaneum cum voluntate concurrat. Et sanē vim demonstrationis non capio, nisi adversarius fateatur habitum supernum esse liberum non minus, quam voluntatem; quod dicere non audebit.

1045. Obj. 2. Decretum indifferens utpote conditionatum ad concurrentem, si creatura concurrat, ut ajunt Molina, Lessius, Suarez, Annatus, & alii, non decernit concurrere, nisi postquam apposita est operatio creaturae, qua dissoluta manet indifferencia decreti: sed talis conditio ad concurrentem est impossibilis: ergo & decretum indifferens est impossibile. En magnum suae demonstrationis robur. In primis supponit falsum, quod decretum illud à nostris Doctoribus vocetur conditionatum: solum enim vocatur quasi conditionatum. Quam autem magnum sit inter utrumque discrimen, constat ex num. 1028. Resp. dist. maj. decernit concurrere, nisi postquam apposita est operatio creaturae, sumpto *ly postquam* positivè nego, sumpro negativè conc. maj. & dist. eodem modo min. neg. consequentiam. Ratio est, quia si *ly postquam* sumatur positivè, significat, quod prius

prius ponatur determinatio creaturæ, & postea concursus Dei: si verò sumatur negativè, significat, quòd Deus non concurreret, antequam creatura concurrat. Cùm autem Deus per decretum indifferens constituens libertatem ita se gerat, non concurrat post determinationem voluntatis sumpto ly *post* positivè, sed negativè. Quèd si advertisset adversarius, planè agnovisset id ipsum evenire in habitu supernaturali, qui licet non concurrat post determinationem voluntatis, sumpto ly *postquam* positivè; concurrat tamen post determinationem voluntatis sumpto ly *postquam* negativè, cùm non concurrat, antequam voluntas concurrat, sed simul cum illa concurrente, & immediatè determinante.

1046. Objic. 3. Illud decretum indifferens, utpote conditionatum est nugatorium; habet quidem istum modum tendendi; concurrat cum creatura, si concurrat cum illa, aut si illa mecum concurrat: sic esset nugatorium dicere: equus trahet currum cum alio equo, si cum eo illum trahat: sed decretum nugatorium est impossibile, & Deo repugnans; ergo &c. O magna vis tertiæ demonstrationis. Respondeo facilè nego majorem, quæ probanda erat, & improbatam relinquit auctor iste demonstrativus. Decretum illud indifferens non habet illum, sed istum tendendi modum: creatura, sine omnipotentia, quam applico, concurrere nequit: potest autem cum illa simultané concurrere, voluntate ipsa prædeterminante: sic habitus supernaturalis non habet tendentiam nugatoriã, quamvis verum sit dicere; non posse voluntatem sine habitu, aut ejus supplemento concurrere ad actum supernaturalem; posse autem cum illo simultané concurrere, relicta tamen immediata determinatione voluntati: hæc enim, cùm ita sint adhuc apud ipsos adversarios, non video, quomodo ab ipsis probari possit ea major syllogismi, quem vocat demonstrativum.

1047. Objic. 4. Decretum indifferens invertit ordinem causæ, & effectus: etiam faceret, quòd causa secunda operaretur, antequam operaretur prima: nõ enim posset omnipotentia vi illius operari, nisi solvatur decreti indifferencia ab ipsa creaturæ determinatione: atque adeò creatura prius operetur; ergo &c. Hoc argumentum non solum militat contra doctrinam nostrã, sed etiam contra libertatem divinã: etenim, si Deus est indifferens ad creandum, vel non creandum, ad volendum, vel non volendum, & causa indifferens operari non possit, nisi prius solvatur indifferencia, exinde planè fit Deum operari non posse, nisi prius ipsius indifferencia solvatur; atque adeò liber in operando non fit, sed determinatus, quod contra fidem est, & contra Scripturam Psalm. 90. dicentem: *Deus ultionum liberè egit.* Exinde respondeo nego antecedens; nam creatura non operaretur prius negativè, quàm Deus, ut constat ex num. 1046. Neq; ut Deus operetur, requiritur, quòd

tollatur indifferencia præsuppositivè, sed simultané per actionem à virtute indifferenti procedentem: sibi solvitur indifferencia habitus per actionem à voluntate, & habitu simul provenientem, quamvis præviè ad illam actionem complexum ex habitu, & voluntate esset indifferens ad illam, vel illius omissionem: licet enim non possit aliquid determinatum provenire ab indifferenti, ut indifferenti, ex imperfectione virtutis potest provenire ab indifferenti, ut tali, ex perfectione dominii se potente determinare cum suis comprinciis ad quodcumque voluerit: cùm autem voluntas simul cum omnipotentia proximè applicata, ita maneat constituta, exinde manet libera ad solvendam indifferenciam per operationem ab ipsa, & omnipotentia simultané procedentem: ad quam ex jure libertatis voluntas immediatè determinat.

Obj. 5. Ex decreto indifferenti fieret Deum 1048. agere fortuito, temerè, modo cæco, & stulto, cùm operaretur propter ipsius intentionem; ergo &c. Confirm. Ex decreto indifferenti fieret, quòd voluntas esset primum agens, & primum determinans: ergo tale decretum indifferens repugnat. Resp. neg. ant. quia Deus cum creatura simultané concurrens, ipsamque per decretum indifferens liberam constituens, cognoscit, quidquid cognoscibile est in signo libertatis, ac proinde neque fortuito, neq; temerè, neque cæco modo procederet, ut constat ex dictis à n. 868. Ad confirmationem neg. ant. quia, ut esset primum determinans, & primum agens, requirebatur, quòd operaretur prius, quàm Deus, & haberet virtutem determinandi, antequam Deus voluntati talem virtutem contulisset: cùm autem Deus operetur prius, quàm creatura eam producendo, & conferendo illi principia immediata, ut maneat liberè constituta: exinde primum determinans & primum agens dicitur Deus: creatura verò dicitur secundum agens, & secundum determinans ex eo, quòd illa secunda determinatio ab ipsa, & à Deo simul proveniens, proveniat à Deo immediatè concurrente, & à creatura immediatè determinante, ut latè diximus supra, ubi reliqua Thomistarum argumenta plenè soluta sunt.

Objic. 6. Ex Esparza: omnia in mensura, & numero, & pondere disposuit Deus, ut constat ex sapientia cap. 11. ergo Deus nil decrevit, usque dum tetigit omnia unico decreto virtualiter indivisibili. Confirm. 1. Ex ejusdem Sap. c. 8. Ubi de Deo dicitur: Attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter: atqui exinde deducitur Deum nil decrevisse usque dum omnia comprehenderet, & sic unico indivisibili decreto, quidquid futurum erat, prædefinisse; ergo &c. Confirmat. 2. Ex Dionysio de cælesti hierarchia cap. 1. de Deo dicente: *Omnium est artifex, & semp. r. omnia componit, estq; causa indissolubilis coherentia, & ordinis omnium, suæque principiorum*

*omni sequentium principis semper connectit: & unam universi conspirationem, concentumq; pulcherrime efficit: atqui si Deus non decrevisset omnia unico decreto indivisibili, sed pluribus decretis, non connecteret in decernendo principia & fines, & ordines omnium, sed per unum decretum una, & per aliud decretum alia, sicq; non produxisset omnia in numero, pondere, & mensura, ergo &c.*

1050. Respondeo concedo antecedens, & nego consequentiam, quia ut Deus disponat omnia in numero, pondere, & mensura, sufficit, quod ea recte disponat in ordine ad fines sibi præfixos; cum autem in ordine ad fines sibi præfixos sancti, iusti remuneratoris, atque causis liberis providentis non possit omnia decernere per unicum decretum virtualiter indivisibile, ut constat ex num. 1032. Nullatenus inferri potest ex eo testimonio, omnia fuisse decreta à Deo per unicum decretum virtualiter indivisibile. Ad 1. confirm. conc. maj. & dist. primam partem min. usque dum omnia comprehenderit comprehensione præcedente ad omnia decreta prioritate exercita concedo, prioritate naturæ nego hanc, & secundam partem minoris, & consequentiã. Ratio est, quia cum Deus habeat scientiam de rebus sub conditione exituturis, si ad ea præcedat decretum indifferens applicativum omnipotentia; scientia illa, licet sit prior exercitæ, est tamen natura posterior tali decreto, ut constat ex sæpe dictis, præsertim à num. 873. Insuper cum alia decreta hanc scientiam subsequantur; qualia sunt prædefinitiva, reprobativa, & alia similia; exinde fit, divinam comprehensionem non officere, sed potius exigere multipliciter virtutalem decretorum.

1051. Ad secundam confirmationem conc. maj. & dist. min. non connecteret connexionem chymærica atque à Deo non intenta concedo, connexionem possibili, & intenta à Deo neg. min. & consequentiam. Ratio est, quia cum plures fines sint inefficaciter à Deo intenti, ut patet in salute omnium hominum, cujus efficax conclusio relinquatur in manu libertatis creatæ: decretum indifferenter oblativum concursus, & collativum auxilii per se requisitum nequit connectere voluntatem cum operatione connexionem possibili, sed purè chymærica: decretum autem prædefinitivum per accidens requisitum revera potest, & connectit voluntatem cum operatione ex dictis à n. 913. Exinde enim potest Deus per idem decretum indivisibile decernere, & connectere connexionem possibili omnes fines suæ providentiæ.

1052. Obijc. 7. Quod quis est mente capacior, & perfectior, potest etiam universaliter, & indivisibiliter plura comprehendere tam intellectu, quam voluntate, cunctarique, & ire per partes, venit ab aliqua imperfectione, vel physica, vel morali: atqui Deus est mentis sum-

mæ, qua nulla potest esse capacior, aut perfectior, & scilicet est incapax imperfectionis vel physicae, vel moralis: ergo est incapax decernendi per partes, ac proinde, si velit decernere, metaphysica necessitate tenetur decernere omnia decernenda unico indivisibili virtualiter decreto. Probat. maj. Angeli, quia mente nobiliores, quam nos, plura objecta, quam nos uno intuitu penetrant; & quod sunt in se perfectiores, universalioribus, & simplicioribus utuntur speciebus, & actibus: e contra verò homines, quod sunt mentis tardioris, & inconstantioris animi, eò sunt tardiores in resolvendo; ergo &c. Confirm. 1. Tarditas in resolvendo necessariò venit vel à defectu notitiæ, vel ab animi inconstantia: quod enim quis est mente capacior, & perfectior, eò est minus inconstans animo; & magis sciens; ergo &c.

Confirm. 2. Si nullus sit defectus notitiæ, nullusque torpor animi, nulla potest esse ratio cunctationis in decernendo; ergo &c. Prob. ant. Ponamus Regem, qui imperii initio cognoscit omnia, quæ deinceps evenire possunt, quæque re ipsa sub hac, vel sub illa hyporhesi (quæ sine suo libito contingere nequeat) evenient, vel non evenient, Rex ille de omni casu excogitabili plenè edoctus decernere simul omnia potest, ejusque in decernendo cunctatio aut levitatis animi, aut defectui virium, aut notitiæ vitio tribueres, quæ summè distant à summo Rege omnium Principe Deo; ergo &c.

Resp. conc. maj. quoad primam partem, & neg. simulatum, atque obsecrum secundæ partem suppositum, nimirum, quod sit cunctari, & ire per partes, non decernere omnia unico decreto indivisibili: cunctari enim, & ire per partes significat timere, ne lateat aliquid cognoscibile, quod ignoras in operationis executione: ideòque paulatim proceditur, ne ex improvviso aliqua mala incognita prodeant, quod, quando est, nullatenus sequitur, nec sequi potest ex decretorum D E I universalis distinctione. Ad probationem distinguo primam partem antecedentis: penetrant unico intuitu plura objecta pro eo signo cognoscibilia concedo, non cognoscibilia nego. Etenim qui perfectiori pollet intellectu, facilius discurrit ex notis ad ignota, quæ ex notis inferri possunt; secus autem ad ea, quæ nullatenus inferri possunt ex notis, sed quando id est ad probandam indivisibilitatem decretorum Dei, atque ad negandum distinctum intrinsecè indifferens virtualiter decretum à decreto intrinsecè efficaci; intellectus enim est potentia necessaria; voluntas verò est potentia libera, quapropter intellectus divinus debet pro quolibet signo cognoscere, quidquid pro eo signo cognoscibile est, aut non cognosceret, quia non posset, quæ magna quidem imperfectio esset in divino intellectu.

1055. Voluntas autem divina non opus est, quod amet, quidquid amabile est, quamvis sit potentia libera, non exinde inferitur, quod non posset, sed quod noller: quæ non est imperfectio, sed perfectio voluntatis liberæ Dei, ut constat à num. 752. Exinde secunda pars antecedentis non venit ad rem, quod enim potentia necessaria utatur, vel non utatur simplicioribus speciebus, & actibus, nullatenus probat, quod potentia libera debeat uti talibus actibus, sed probat, quod si potentia necessaria non uteretur simplicioribus actibus, tunc tunc non posset uti illis; at de potentia libera non probat, quod non posset, sed quod noller: quinimò juxta plures Theologos Angeli perfectiores possunt uti pluribus speciebus, & actibus, quam minus perfecti. Tandem neque venit ad rem tertia probationis pars, quia licet sit imperfectio in homine tarditas in resolvendo orta ex tarditate in cognoscendo, non est imperfectio, si oriatur ex libero voluntatis liberæ ex præsupposita perfecta comprehensione: sic vel aliter pro libito suo decernere potest, vel ad suas perfectiones ostendendas, vel ut contingit in Deo ad libertatis creatæ jura servanda.

1056. Ad primam confirmationem concedo antecedens de cunctatione explicata num. 1054. & nego consequentiam, quia ea quasi detentio Dei in decernendo non sumitur ex defectu notitiæ, aut ex ignorantia, sed ex libito servandi illæsa jura libertatis creatæ, & ex jure supremi providentis, quæ quidem aliter in Deo requiri non possunt, nisi cum virtuali decretorum distinctione: scientia enim ex parte universalis providentiæ requisita conjungitur cum decreto intrinsecè indifferenti, & immediatè applicato omnipotentis: scientia verò requisita ex parte providentiæ particularis, atque prædefinitione operationis relictæ conjungitur cum decreto non quidem intrinsecè indifferenti, sed intrinsecè efficaci, ut constat ex dictis à num. 1032. cùmque hæc requiratur ad servanda illæsa jura libertatis creatæ, & universalis providentis, exinde ea distinctio virtualis decretorum non est detentio in Deo ex defectu notitiæ, aut ex ignorantia: unde Probatio antecedentis non venit ad rem, nisi supponatur Rex ille cum jure ad virtuales decretorum distinctionem, vel ex jure libertatis suæ, aut providentis, qui illæsam relinquit subditorum libertatem, ex modo decernendi; quo in casu nulla esset imperfectio ita decernere, ut constat ex dictis. Quapropter multò minùs erit imperfectio in Deo, cui essentialiter competit munus universalis providentis.

1057. Objic. 8. Possibile est Deum in quavis providentia omnia unico simul, & indivisibili virtualiter decreto decernere, & statuere: ergo est simpliciter, & metaphysicè necessarium. Prob. ant. Deus independenter ab omni exercitio suæ

libertatis, & pro signo indifferentiæ est summè instructus noticia comprehensiva rerum omnium tam quoad possibilitatem, quam quoad futuritionem sub quacunque hypothesi, five possibili, five necessaria, five contingenti: ergo pro eo signo est proximè potens ea decernere in quavis providentia unico decreto virtualiter indivisibili sit absque ulla necessitate decreti intrinsecè indifferentis. Consequentia videtur legitima: Antecedens verò probatur: quia independenter ab omni usu libertatis divinæ est in Deo scientia simplicis intelligentiæ, & scientia media; ergo &c. Confirm. 1. Causalitas meriti in præmium, aut demeriti in pœnam est solum causalitas moralis objecti in objectum, secus divini actus in actum, cùm scientia visionis peccati sit decretum, per pœnam propter peccatum, ut sumi potest ex D. Thoma 1. Part. quæst. 19. art. 5. dicente: Deus vult hoc esse propter hoc, sed non propter hoc vult hoc: ergo ex hoc capite necessaria non est virtualis multiplicitas decretorum. Confirmat. 2. Ut decretum applicativum omnipotentis servet illæsam libertatem, sufficit, ut pendeat à scientia media; atqui licet sit connexum cum altero libertatis extremo; neque sit intrinsecè indifferens potest pendere à scientia media, ut patet in prædefinitione: ergo tale decretum potest absque ulla repugnantia identificari virtualiter cum quovis alio divino decreto, ac proinde omnia divina decreta poterunt virtualiter identificari.

Resp. neg. ant. ad probationem dist. ant. est summè instructus noticia comprehensiva rerum omnium factibilium per idem decretum virtualiter indivisibile nego, per plura decreta virtualiter dist. conc. ant. & neg. consequentiam. Ad probationem dist. ant. independenter ab omni usu priori prioritate exercita concedo, priori prioritate naturæ neg. ant. & consequentiam, quia decretum indifferens applicativum omnipotentis ad actus liberos, & decretum indifferens per se collativum auxiliis, licet nõ sint priora scientia media prioritate exercita, sunt tamen priora prioritate naturæ, cùm se teneant ex parte hypothesis scientiæ mediæ, eamque constituent: quæ quidem hypothesis est prior scientia media prioritate naturæ, ut sæpe diximus præsertim à num. 932. Ad primam confirmationem dist. ant. secus divini actus in actum sumpta causalitate physice pro principio effectivo concedo, sumpta latè pro prioritate naturæ, qua unus actus præcedit alterum ratione independentiæ à dependenti nego antecedens, & consequentiam, quia in hoc sensu non negat D. Thomas decreta virtualiter distincta, quin potius ea disertissimè tradit ut constat ex num. 847. Unde quando dicit: Non propter hoc vult hoc, solum negat distinctionem realem decretorum, non verò virtuales, ut ibi diximus, & latè constat ex dictis. Ad

Ad secundam confirmationem dist. maj. ut pendear à scientia media subsecuta posterioritate naturæ ad decretum per se applicativum omnipotentia concedo, non subsecuta neg. maj. & dist. pariter min. neg. consequentiam, quia ut decretum pendens à scientia media servet illasam libertatem, requiritur, quod conjungatur cum comprinciipiis per se requisitis ad constituendam libertatem, inter quæ numerandum est decretum indifferens, ut constat ex dictis à num. 1032. Aliter enim libertatem evertet, ut constat à num. 864. & 890.

1059. Objic. 9. Dispositio divina, seu decretum circa rem quamlibet universi necessariò prærequirit ut regulam sui directricem comprehensionem omnium rerum quomodocumq; inter se combinabili, & comparabili, earumq; futurationis quomodocumq; combinabilis, & comparabilis inter se sub omni possibili hypothese: ergo necessariò est dispositio indivisibilis omnium, quæ Deus vult disponere, & exclusio omnium, quæ Deus non vult disponere; ac proinde si Deus velit in objecta creata tendere, exercebit ex necessitate suam libertatem per unicum, & indivisibilem actum penes singula, & omnia. Consequentia tenet, quia dispositio regulæ sequitur naturam regulæ, à qua dirigitur. Probat. Ant. quia dispositio non supponens regulam præscriptam est imperfecta, utpote non supponens comprehensionem omnium, quæ prodesse possunt, vel obesse; ergo &c.

1060. Confirm. 1. Dispositio divina nequit esse opposita deformitati: atqui si non procederet ex noticia omnium combinabilium, exponeretur deformitati; stat enim bene partem quoad se disponi optimè quoad conformitatem intrinsecam, & disponi deformiter quoad extrinsecam in ordine ad totum, & reliquas partes, cum quibus est extrinsecè combinabilis; ergo &c. Confirm. 2. Artifex imprudenter se gereret in determinatione partis ad ædificium non comprehenso prius toto ædificio, ejusque partium consonantia, & coherencia intrinseca, & extrinseca; ergo pariter Deus in dispositione universi. Antecedens videtur certum, & consequentia legitima, quia hic ordo universi non est merè arbitrius, qualis in cumulo partium, sed nexus, & coherens cum proportione partis ad partem multò mirabilior, quàm ordo corporis naturalis; ergo &c.

1061. Resp. Nego antecedens, ad probationem nego etiam antecedens. Ratio ex sæpe dictis est, quia licet scientia media sit prior prioritate exercita respectu decretorum, cum à Deo exercitè habeatur, quamvis decreta circa rem conditionatam non eliceret; at non est prior prioritate naturæ respectu omnium decretorum, & præsertim respectu decreti indifferens ex parte hypothese prævisi. Quapropter cum non possit præcedere scientia illa ut directiva, nisi ad decretum, respectu cuius habet prioritatem naturæ; exinde in

R. P. GORMAN Theolog. Tom. I.

schola nostra manifestum sit, scientiam mediam non posse præcedere, ut regulam directricem omnium divinatorum decretorum. Ad primam confirmationem concedo majorem, & nego minorem, quia ut decretum divinum deformitati non exponatur, satis est, quod subsequatur posterioritate naturæ ad scientiam requisitam ad omnes effectus efficaciter à DEO intentos, licet non subsequatur ad scientiam effectus efficaciter non intenti, sed pro libito Dei relicti determinationi creaturæ. Sic artifex intendens solum efficere faciem pulchram, volens relinquere operis perfectionem sub aliorum libito, non eget notitiâ combinabilitatis reliquorum membrorum, quæ sub quavis hypothese possibili revera erit.

1062. Pariter Deus, qui ex vi decreti primarii indifferenter applicativi omnipotentia, atque collarivi auxilii, non intendit efficaciter futurationem, sed providere creaturæ, quæ pro libito suo eam ponat, aut omitat, non eget notitiâ directrice futurationis, quæ revera erit sub quavis hypothese, sed notitiâ, qua cognoscat posse à voluntate ita provisâ rem poni, si velit.

Exinde ad secundam confirmationem distinguo antecedens, si efficaciter intenderet ex sua determinatione conficere totum ædificium concedo, si solum intenderet ex sua determinatione aliquid apponere, & reliqua relinquere alterius libito nego antecedens, & consequentiam, cujus probatio nulla est, ut constat ex dictis, quia sicuti in isto casu coherencia partium non solum diceret libitum artificis, sed etiam aliorum, qui liberè cooperarentur, ita in ordine universi qua parte Deus sub libertate nostra illum relinquit, non solum intervenit libitum Dei, sed etiam nostrum, quin exinde omnes fines particulares providentiæ frustrare possimus, ut constat à num. 839.

1063. Objic. 10. Non possunt dari in Deo decreta virtualiter distincta inter se mutuo independentia: ergo neque mutuo dependentia. Respondent aliqui cum Errera negando antecedens, quia Deus pro libito suo potest per idem indivisibile virtualiter decretum velle plura objecta inconnexa, vel per unum velle aliqua ex illis, & per aliud alia; si enim homo perfectâ notitiâ instructus libertatem habet ad ita volendum, quare Deo libertas illa concedenda non est? Quidquid tamen de hoc sit, respondeo permitto antecedens, & nego consequentiam, quia eò præcisè, quòd in Deo decreta sint virtualiter mutuo independentia, eò ipso componi non possunt cum identitate virtuali; at verò si non sint mutuo independentia, componi possunt cum virtuali identitate; cumque Theologum sit admittere in decretis Dei majorem identitatem, quæ excogitari possit, exinde

Gg

licet

licet concedenda non sit identitas virtualis inter decreta divina virtualiter mutuò independentia, non exinde concedenda est virtualis distinctio inter illa; quia eo ipso, quòd in Deo decreta essent mutuò independentia, quidquid per illa duo fit, posset optimè fieri per unum, v. g. & applicare indifferenter omnipotentiam ad utrumque, & conferre auxilium indifferens; atque adeò posset totum hoc haberi per unum decretum virtualiter indivisibile; quando verò decreta essent dependentia non mutuò, non posset fieri per unum, quòd per illa duo fit. v. g. applicare,

indifferenter omnipotentiam expeditam ad utrumque, simulque per ipsum virtuale decretum prædefinire efficaciter unum libertatis extremum, scilicet consensum: quare cum Theologicum sit admittere in divinis decretis majorem identitatem, quæ excogitari potest, licet concedatur propter hanc rationem identitas virtualis inter decreta mutuò independentia; non exinde concedi potest identitas virtualis inter decreta dependentia non mutuò,

